THESAURUS RESOLUTIONUM SAC. CONGREGATIONIS CONCILII

Quæ prodierunt Anno MDCCLXVII.

Rm̃o P. D.

FRANCISCO XAVERIO DE ZELADA

ARCHIEPISCOPO PETRENSI

SECRETARIO.

TOMUS XXXVI.



ROMÆ MDCCLXVIII.

Ex Typographia Bernabò, et Lazzarini.

SUPERIORUM FACULTATE.

INDEX
TITULORUM CAUSARUM
Quæ anno 1767. *in Sacra Congregatione Concilii propositæ fuerunt.*

FINIS.

Die Sabbathi 24. Januarii 1767. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.



UATUOR sequentes Causæ descriptæ jam fuere in Folio Congregationis habitæ die 20. præteriti mensis, quod EE. VV. non graventur iterum ante oculos habere.

ANDRIEN. Status hujus Causæ, & copiosa series quæstionum, quibus indole sua implicita est, enarratur in *Folio diei 20. Decembris anni nuper elapsi*. Quum tamen ea die judicio adesset dumtaxat Capitulum Ecclesiæ Cathedralis juribus suis, libellisque instructum, contra verò Presbyteri S. Nicolai ad disceptandam Causam non adhuc parati breves imploraverint inducias, hinc, ut juribus utriusque Partis plenè cognitis, tutius caperetur judicium, placuit petitis induciis assentiri, edito rescripto: *Dilata ad sequentem, & detur Dubium juxtà mentem*. *Sess. 24. Cap. 3. de Reform.*

Secundam hujus rescripti partem suggessit necessitas explicandi totam divisionem materialem Parochiæ Civitatis Andriæ in eo, quod Sacramentorum respicit administrationem. In Congregatione quippè habita *die 20. Septembris anni proximè præteriti* certus quidem constitutus fuit ipsius Civitatis ambitus, intra quem Ecclesia S. Nicolai coadjuvaret in Sacramentis administrandis Ecclesiam Cathedralem unicam in ea Civitate Parochialem, nihil autem statutum fuit quoad illius Territorium, de quo quid decernere expediret, Sacra Congregatio sub peculiari Dubio una cum aliis proponendo reservavit postea determinandum. In integrum itaque implementum mentis S. Congregationis definiendum est ante controversias super divisione formali, qui habitantes extra mœnia uni, vel alteri Ecclesiæ subjiciantur.

Proponitur igitur primariò

An, & qui habitantes extrà mœnia Civitatis pertineant ad Ecclesiam Cathedralem, vel ad Ecclesiam S. Nicolai.

Cætera modo subjiciuntur Dubia divisionem formalem respicientia.

I. *An electio unius, aut plurium Vicariorum pro exercitio admi-*

nistrationis Sacramentorum in ambitu Ecclesiæ S. Nicolai Coadjutricis sit facienda a Capitulo Ecclesiæ Cathedralis unico Parocho habituali, & ad ejus nutum, in casu &c.

II. *An in associationibus Cadaverum defunctorum in ambitu dictæ Ecclesiæ S. Nicolai, & tumulandorum in quavis Ecclesia sivè Sæculari, sive Regulari ejusdem ambitus, interveniente tamen Capitulo Cathedralis, munus Parochi expleri debeat a Vicario dictæ Ecclesiæ S. Nicolai, seu potius a Vicario Capituli Cathedralis, in casu &c.*

III. *An, & a quo jus Parochiale sit exercendum in funeribus Cadaverum defunctorum in ambitu Cathedralis, & tumulandorum in dicta Ecclesia S. Nicolai, aut in ambitu ejusdem Ecclesiæ, & tumulandorum in quavis Ecclesia ambitus Cathedralis, in casu &c.*

IV. *An, & cui competat d. exercitium Parochiale, quando Cadavera levanda ex ambitu dictæ Ecclesiæ S. Nicolai sepelienda sint in aliqua ex Ecclesiis filiabus Cathedralis; in casu &c.*

V. *An Canonicis, sivè Presbyteris, aut Clericis adscriptis servitio Cathedralis, & habitantibus in ambitu dictæ Ecclesiæ S. Nicolai in casu infirmitatis Sacramenta sint ministranda a Vicario Cathedralis, seù potius à Vicario d. Ecclesiæ S. Nicolai; in casu &c.*

VI. *An iisdem decedentibus absque electione Sepulturæ, nec alibi eam habentibus sepeliri debeant in Ecclesia Cathedrali; in casu &c.*

VII. *An Presbyteris, seu Clericis adscriptis servitio dictæ Ecclesiæ S. Nicolai, & habitantibus in ambitu Ecclesiæ Cathedralis in casu infirmitatis Sacramenta sint administranda a Vicario dictæ Ecclesiæ S. Nicolai, seu potius a Vicario Cathedralis: in casu &c.*

VIII. *An, iisdem decedentibus absque electione Sepulturæ, nec alibi eam habentibus, sepeliri debeant in dicta Ecclesia S. Nicolai; in casu &c.*

IX. *An decedentes in ambitu dictæ Ecclesiæ S. Nicolai ab intestato, aut cum Testamento nulla facta electione sepulturæ, nec illam gentilitiam habentes in dicta Ecclesia, sepeliri debeant privative in Ecclesia Cathedrali, uti unica Parochiali; in casu &c.*

X. *An in associationibus Cadaverum Defunctorum in ambitu dictæ Ecclesiæ S. Nicolai, & tumulandorum in ead. Ecclesia, vel in alia præter Cathedralem, & ejus Ecclesias filiales, minimè interveniente Capitulo Cathedralis, Vicarius dictæ Ecclesiæ S. Nicolai teneatur levare Crucem Parochialem a Cathedrali, seù potius possit uti propria Cruce, in casu &c.*

XI. *An Capitulo Cathedralis debeatur quarta funeralis pro omnibus tumulationibus faciendis a d. Ecclesia S. Nicolai; in casu &c.*

XII. *An*

XII. *An dicta Ecclesia S. Nicolai teneatur contribuere Caballos sexdecim pro singulo Cadavere tumulando in ipsa Ecclesia; in casu &c.*

XIII. *An in omnibus processionibus etiam solemnibus, & funebribus explendis a Presbyteris dictæ Ecclesiæ S. Nicolai intra, aut extra proprium ambitum levanda sit Crux Parochialis a Cathedrali, seù potius uti possint propria Cruce; in casu &c.*

XIV. *An pro dd. processionibus petenda, & obtinenda sit licentia non tantum ab Episcopo, sed etiam a Capitulo unico Parocho; in casu &c.*

XV. *An in pagellis distribuendis ad probationem adimplementi præcepti Paschalis in dicta Ecclesia S. Nicolai ultra titulum d. Ecclesiæ S. Nicolai addi debeat alter coadjutricis Cathedralis cum subscriptione Archipresbyteri, in casu &c.*

XVI. *An, & a quo recolligi debeant dd. pagellæ in casu &c.*

XVII. *An Vicarius, sivè Vicarii dictæ Ecclesiæ S. Nicolai, quolibet anno adferre debeant Rm̃o Archipresbytero Vicario Capituli Cathedralis notulam eorum, qui Paschale præceptum non adimpleverint, in casu &c.*

XVIII. *An solus Reverendissimus Archipresbyter certiorare debeat Confessariis illos, quibus justis de causis sacramenta non sint administranda, in casu &c.*

XIX. *An soli Archipresbytero competat licentiam dare invalidis, aut alias legitimè impeditis adimplendi præcepto Paschali in alia Ecclesia præter Cathedralem, & Coadjutricem, in casu &c.*

XX. *An degentibus in districtu dictæ Ecclesiæ S. Nicolai liceat adimplere præcepto Paschali in Ecclesia Cathedrali unica Parochiali in casu &c.*

XXI. *An, & cui jus competat concedendi licentiam aliis Sacerdotibus conjugendi in Matrimonium, & administrandi Sacramentum Baptismi sivè in* Ecclesia *Cathedrali, sivè in dicta alia S. Nicolai, sivè in quacumque alia Civitatis Andriæ, & sui Territorii, in casu &c.*

XXII. *An in sola Ecclesia Cathedrali unica Parochiali publicari debeant excommunicationes, litteræ Monitoriales pro rebus deperditis, nec non denunciationes occasione Matrimoniorum contrahendorum, & Clericorum promovendorum, in casu &c.*

XXIII. *An in fine cujuslibet anni Vicarius, seu Vicarii dictæ Ecclesiæ S. Nicolai adferre debeant ad Archivium Ecclesiæ Cathedralis quinque libros Parochiales, in quibus baptizati, confirmati, in matrimonium conjuncti, mortui, ac status animarum fuerint descripti; in casu &c.*

XXIV. *An jus administrandi sacramenta habitatoribus extra mœnia Civitatis Andriæ competat Capitulo Ecclesiæ Cathedralis unicæ Parochialis totius Civitatis, & Territorii; in casu &c.*

XXV. *An, & quomodo sit providendum super partitione emolu-*

mentorum provenientium ab exercitio Curæ animarum ; in casu &c.

Ad dub. singulare = Tertiam partem Domorum extra mœnia, & in eis habitantes pertinere ad Ecclesiam S. Nicolai, reliquas vero duas tertias partes ad Cathedralem, & scribatur Archiepiscopo Tranen. juxta instructionem = Ad I. Negative = Ad II. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam = Ad III. Jus ducendi funus spectare ad Ecclesiam tumulantem cum associatione Vicarii alterius Ecclesiæ = Ad IV. Quoad Ecclesias in ambitu Cathedralis provisum in tertio = Ad V. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam = Ad VI. In Cathedrali, si in ea adsit Sepulchrum proprium, sin minus in Sepulchro Majorum, alias in Ecclesia S. Nicolai = Ad VII. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam = Ad VIII. Ut in sexto = Ad IX. Negative = Ad X. Negativè ad primam partem, affirmative ad secundam = Ad XI. Audiatur Episcopus = Ad XII. Affirmative = Ad XIII. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam = Ad XIV. Affirmative in omnibus quoad Processiones extra ambitum = Ad XV. Affirmative absque subscriptione Archipresbyteri = Ad XVI. A Vicario S. Nicolai = Ad XVII. Negative = Ad XVIII. Negative = Ad XIX. Competere unicuique intra proprium ambitum = Ad XX. Affirmative = Ad XXI. Competere unicuique Vicario respectivè de licentia Episcopi = XXII. Affirmative quoad excommunicationes, & litteras monitoriales, arbitrio Episcopi, in reliquis in utraque Ecclesia respectivè = Ad XXIII. Servetur solitum = Ad XXIV. Provisum in dubio addito = Ad XXV. Audiatur Episcopus.

Sess.22. cap.6. de Reform.

ROMANA, SEU SABINEN. SUBSIDIORUM DOTALIUM.

An, & in qua summa sint constituendæ Dotes in bonis hæreditariis quondam Cæsaris Valentini, in casu &c.

Non proposita, cum sequentibus.

MA-

MACERATEN.

An sit standum, vel recedendum à decisis, in casu &c.

Sess.22. cap.6. de Reform.

MACERATEN.

I. *An Præpositus Ecclesiæ Collegiatæ S.Blasii Terræ Montis Milonis sit punctandus, dum audit Confessiones in dicta Ecclesia, in casu &c.*

II. *An sit servanda taxa punctaturarum, seu potius reformanda, & quomodo, in casu &c.*

Sess.22. cap.6. de Reform.

NULLIUS SANCTI RUFFILLI PROVINCIÆ RAVENNATEN. MISSÆ CONVENTUALIS. In Parochiali Ecclesia S. Nicolai Terræ Meldulæ Ordinariæ Jurisdictioni Reverendissimi Capituli Basilicæ Vaticanæ subjecta anno 1698. Cæsar Armanni instituit Congregationem, seu Communem Adunantiam duodecim Presbyterorum. Onus his injunxit tum quotidie celebrandi duas Missas lectas ad Populi commodum, primam in aurora, secundam circa meridiem cum unius tantùm applicatione in animæ suæ, suorumque majorum expiationem, tum etiam collegialiter conveniendi singulis diebus in eadem Ecclesia ad recitandas, ut mos est in Cathedralibus, & Collegiatis, Horas Canonicas in Choro = *cantando anche ogni giorno la Messa Conventuale* = assignato singulis Presbyteris annuo redditu scutorum triginta = *netti da tutte e spese, cioè di Supellettili per la Chiesa, Sagristia, Chierici, Cere, e cose simili.*

Sess.22. Decret. de observan., & evit. in celeb. Miss.

Parochialem hanc Ecclesiam anno 1743. san. mem. Benedictus XIV. in Insignem Collegiatam erexit, illius Vicarium Curatum primam Dignitatem constituit, & nomine Archipresbyteri decoravit. Ex cœtu autem dictorum Presbyterorum = *quorum quilibet redditum scutorum triginta, & forsan ultra monetæ Romanæ ex dicti Cæsaris hæreditariis bonis provenientem annuatim percipit* = unum Decanatum, ac undecim Canonicatus instituit, eosque obtinentes voluit præ cæteris = *personaliter residere, & in ea singulis diebus, & debitis temporibus Missam Conventualem decantare, ac Horas Canonicas tam diurnas, quam nocturnas, aliaque Divina Officia recitare.*

Renuentibus vero Canonicis præscriptam Conventualem Missam pro Benefactoribus applicare, duo in Congregatione dic-

diei 8. Augusti 1761. proposita fuerunt dubia: *I. An Canonici Sancti Nicolai fuerint, & sint immunes ab applicatione Missæ Conventualis, & quatenus Negative. II. An sit locus reductioni oneris applicationis ejusdem Missæ ad dies Dominicos tantum, in casu &c.* = ; & responsum fuit = *Ad I. Negative, & amplius. Ad II. Negative* = Videndum est folium illius diei.

Non acquieverunt Canonici resolutioni secundi Dubii. Novo igitur exhibito decennali reddituum Canonicalium calculo iterum modo postulant, ut ob nimiam illorum modicitatem ad dies tantum Dominicos reducatur applicatio Missæ Conventualis. Inquiunt enim, Fundatorem singulis assignasse annua scuta triginta: ipsos autem ex illius bonis vix annua scuta novendecim, & ex legatis postea Capitulo relictis percipere alia annua scuta quinque, & obulos octuagintaseptem, atque ita in totum habere annua scuta vigintiquatuor, & obulos nonaginta, & nonnisi post annum 1791. quo fieri tantum poterit extinctio passivi census scut. 700. impositi in causam sumptuum erectionis Collegiatæ, redditus Canonicatus perventuros esse ad annua scuta 29. 28. Patere hæc omnia ex decennali calculo per Peritos a Vicario Capituli electos exarato: Attenta idcirco tanta reddituum tenuitate ad congruam singulorum substentationem non apta, ac imminuto annuo reditu cuique ex Presbyteris a Fundatore assignato, locum esse debere reductioni applicationis Missæ Conventualis tum ex litera Constitutionis san. mem. Benedicti XIV. incipien. *Quum semper*. 19. *Augusti* 1754., tum ex assueta Sac. Congregationis benignitate, ut in *Amerina* 12. *Martii* 1746., & in *Cervien.* 17. *Septembris* 1757.

Eamque eo libentius ipsis ajunt indulgendam, quia innumeris aliis oneribus gravantur; tenentur enim quotidie Missam Conventualem canere, & quandoque etiam plures juxta Missalis Rubricam: binas Missas lectas cum maximo incommodo, alteram diluculo, in meridiem alteram celebrare, & ex iis unam quotidie applicare: Archipresbytero in Missis solemnibus, & Vesperis assistere: Concionibus tam in Adventu, quam in Quadragesima fieri solitis interesse: ad Processiones tam ordinarias, quam extraordinarias accedere: propriis sumptibus solemne festum S. Sylvestri, & Translationis Almæ Domus Lauretanæ celebrare, aliaque plura subire munia, quæ leguntur in Fundatione.

Iniquum propterea summopere videri, ut dum adeo exiguos reditus habent, nec quantitati a Fundatore præscriptæ, nec congruæ cujusque substentationi respondentes, teneantur ultra innumera, quibus gravantur, onera, ad quotidianam etiam Missæ Conventualis applicationem,

ac alias coganturvictum sibi aliunde cum dedecore Clericalis status comparare.

Sacra hæc Congregatio pluries declaravit, Canonicos Cathedralium, & Collegiatarum Ecclesiarum teneri ad applicandam quotidie pro Benefactoribus in genere Missam Conventualem, non obstante quacunque contraria consuetudine, quamvis immemorabili, ut in *Squillacen.* 17. *Martii* 1714., *in Camerinen.* 9. *Junii ejusdem anni*, *in Ferrarien.* 18. *Martii* 1719., *in Comen.* 11. *Maii* 1720., *& in Veliterna* 14. *Martii* 1722.. Idemque edixit san. mem. Bened. XIV. in sua celebri Constitutione incipien. *Quum semper*, 19. *Augusti* 1754.

Ad occurrendum tamen Ecclesiarum paupertati, & inopiæ, idem *Benedictus XIV. in eadem Constitutione*, §. *Alii*, ita monuit: *Tridentina quidem Synodus sess.* 24. *cap.* 15. *opportunas rationes ostendit, quibus Canonicalium Præbendarum inopiæ valeat provideri: Si vero designatam a Concilio viam, ut fere evenire solet, nequaquam iniri posse contingat, reliquum erit ad Congregationem Concilij recursum habere, cujus erit, perspecto ex vestris relationibus rerum statu, auctoritate Apostolica a Prædecessoribus nostris eidem impartita, & a nobis etiam præsentium tenore confirmata, quotidianam applicationem Missæ Conventualis pro Benefactoribus in genere, ut alias, ad festos tantummodo dies reducere.*

Sæpius ob id in Sacra Congregatione actum est de reductione applicationis Missæ Conventualis propter redituum Canonicalium tenuitatem, ac juxta varias rerum circumstantias respondit; aliquando enim denegavit, ut in *Camerinen. Missæ Conventualis* 6. *Junii* 1705., *& in Vicen. Missæ Conventualis* 13. *Septembris* 1719. Aliquando autem, urgente gravi inopia, reductionem concessit ad dies festos de præcepto, ut in *Varmien.* 11. *Junii* 1712., *in Veliterna* 14. *Martii* 1722. *ad III. Dubium*, *in Spoletana* 19. *Decembris ejusdem anni*, *in Spalaten. applicationis Missæ Conventualis* 23. *Junii* 1729., *in Amerina Missæ Conventualis* 12. *Martii* 1746., *& in Ariminen. Missæ Conventualis* 18. *Septemb.* 1751.

Tota hinc inspectio ex redituum quantitate pendet. Vicarius Generalis Sacrosanctæ Basilicæ S. Petri in præcedenti informatione diei 25. Julii 1760. affirmavit: *Ex omnibus reditibus evidenter constat, quemlibet Canonicum, demptis omnibus oneribus, ac quibuscumque expensis, verè percepisse annualem summam scutorum triginta, & ultra, prout ex visura librorum ejusdem Collegiatæ etiam compertum habui: quæ distributio profecto augebitur progressu temporis usque ad summam scut.* 36. *attenta potissimum diminutione, & cessatione fructuum censualium, ac totali extinctione æris alieni, ad quem effectum annualiter fit depositum scut. viginti quinque.*

Modo vero idem Vicarius Generalis refert: *In obsequium mandatorum EE. VV. deputatis a me duobus Peritis Ratiocinatoribus*

bus, ut distinctè referrent super quantitate percepti, ac respectivè impensi per Collegiatam spatio decem annorum, injunctaque desuper Canonicis exhibitione omnium, & quorumcunque librorum dictæ Collegiatæ, in quibus sive introitus, sive exitus tam hæreditatis Cæsaris Armanni Fundatoris Adunantiæ duodecim Presbyterorum in Collegiatam postea erectæ anno 1743. *ex benignitate, & indulgentia ipsius Summi Pontificis Bened. XIV. quam aliorum legatorum a Benefactoribus eidem Collegiatæ relictorum descripti reperirentur; in lucem prodiit status ipsius Collegiatæ, seu verius calculatio reddituum, ut supra, per dictos Peritos efformata, quam pariter adnecto: Ast quia ob generalitatem dictæ calculationis dubitatio aliqua super veritate, & quantitate eorumdem redituum, & respectivè expensarum oriri posse videbatur, exegi attestationes, quas etiam adnectendas censeo.*

Verum quoad exhibitum novum calculum status activi, & passivi ponderandum est, an jure detracta fuerit eleemosyna onerum Missarum, & Missæ Conventualis, quoties Fundator injuncto onere celebrationis Missæ Conventualis, & applicationis unius Missæ quotidianæ singulis Presbyteris assignavit annua scuta triginta tantum expressè immunia = *da tutte le spese, cioè di Supellettili per la Chiesa, Sagristia, Chierici, Cere, e cose simili.*

Advertendum item, quod licet in statu activo, qui datus fuit anno 1761. fundationis redditus darentur *dal primo Giugno 1755. a tutto Maggio 1756.* ꝟ 258. 17.1., *dal primo Giugno 1756. a tutto Maggio 1757.* ꝟ 239. 10., *dal primo Giugno 1757. a tutto Maggio 1758.* ꝟ 210., attamen in hodierno calculo longè inferiores redditus eorumdem annorum adnotantur.

Proponitur

An sit standum, vel recedendum a decisis, itaut sit locus reductioni, & quomodo, in casu &c.

Sess. 24. cap. 12. de Reform.

CALARITANA. Solemnem concordiam ad varias sedandas lites inter Canonicos, & Beneficiatos Cathedralis Ecclesiæ Calaritanæ exortas de mandato Sacræ Rituum Congregationis anno 1629. initam approbavit sa.me. Urbanus VIII., & ad eam stabiliendam sex Beneficia ejusdem Ecclesiæ suppressit, & *illorum loco erexit in eadem Ecclesia sex Canonicatus, totidemque Præbendas de Solio, seu de Sede nuncupandas, quas obtinentes stallum in Choro, &, postquam Sacris Ordinibus initiati fuerint, vocem in Capitulo, aliisque Capitularibus actis, non tamen vocem passivam in electione Vicarii Capitularis Sede vacante habeant;* eisque pro Mensa Capitulari dedit *massam omnium, & singulorum fructuum,*

ctuum, redituum, & proventuum Beneficiorum supprimendorum a Mensa Capitulari antiquorum Canonicorum omnino distinctam, ita tamen quod dicti novi Canonici, eorumque Successores ex præfata Canonicorum antiquorum Mensa quidquam ullo unquam tempore prætendere non possint.

Mandavit insuper novos Canonicos, servata juxta ordinem receptionis inter ipsos præcedentia, hanc ipsos nullam habere supra Canonicos antiquos; eosdemque teneri Invitatoria intonare, aliaque omnia præscripta in Concordia servare, & præsertim quod novi Canonici = *sano obbligati sempre intuonare l'Invitatorio negli Offizj Canonicali, e Pontificali, nelli quali canteranno solo li Canonici le Antifone da' suoi stalli, però negli altri Offizj doppj scenderanno due de' Canonici nuovamente eretti ad intuonare le Antifone, seconda, e terza uno per parte.*

De pluribus conquesti sunt hi novi Canonici nuncupati de *Solio* tum contra Canonicos antiquos, tum contra alios possessores Canonicatuum ex post in eadem Ecclesia erectorum; hinc in Congregatione diei 22. Novembris 1760. quinque proposita fuerunt dubia I. *An sex Canonici nuncupati de Solio, sive de Stallo sint vere Canonici, & quatenus affirmative* II. *An iidem Canonici semper, & quandocumque præcedere possint Canonicis, quorum Canonicatus fuerunt post erectionem Canonicatuum de Stallo fundati, vel deinceps fundandi*. III. *An dicti Canonici jus habeant assequendi Officium vulgo nuncupat. Sisenarii, & alia, quæ per turnum obtinentur*. IV. *An prædicti Canonici possint canere Antiphonas, & Invitatoria ex propriis stallis, seu potius teneantur in iis canendis accedere ad Faldistorium*. V. *An prædicti Canonici gaudere possint annua vacatione trium mensium a Choro, & duas ex tribus partibus quotidianarum distributionum percipere*.

Verum dilationem petentibus Canonicis antiquis nuncupat. *di Prebenda*, in Congregatione tantum diei 17. Januarii anni 1761. resoluta fuerunt præmissa dubia, rescriptumque fuit = *Ad I. Affirmative*: *Ad II. Dilata, & exhibeantur fundationes, & proponatur citatis interesse habentibus*. *Ad III. Affirmative*. *Ad IV. Servetur solitum*. *Ad V. Dilata, & exhibeantur Statuta, & doceatur de consuetudine vacationum* = Videndum est folium diei 22. Novembris 1760. in quo latè Causæ species exhibetur.

Præfixo jam interesse habentibus termino, novisque hodie adductis juribus ad I. repetunt Canonici de Solio, essentiam *Canoniæ* consistere in Stallo, in Choro, in voce, in Capitulo, & in jure fruendi præbenda, ac quotidianis distributionibus. *Anaclet. in jus canon. lib. 3. tit. 5. §.3. n.57., Barbos. de Canon. cap. 12. num. 1.* Se autem hæc omnia habere, ideo veros esse Canonicos. *Card. de Luca de Canon. disc.37. num.2.*

Hoc autem magis, magisque patere ex ipsa erectionis littera,

ra, qua suppressa sex Beneficia in veros Canonicatus ad instar aliorum Canonicatuum antiquorum erecta fuerunt: ex habitu, & insigniis Canonicalibus propriis Canonicorum, non Beneficiatorum: ex ipsa denique fidei professione a solis Canonicis, non vero a Beneficiatis emittenda *Garzias de Benef. par.3. cap.3. num. 16.*, *Barbos. de Canon. cap. 17. num.13.*

Ad secundum contendunt, praecedentiam antiquiori Canonicatui semper deberi; suos proinde Canonicatus anno *1629.* erectos praecedere debere caeteris Canonicatibus ex post erectis, vel erigendis: hoc consonum esse tum Concordiae anni *1629.*, quae Canonicos *de Solio* Canonicatibus jam tunc erectis tantum postposuit, tum justitiae, & aequitati, ne alias absurdum contingat, ut Canonici novissimae erectionis per saltum sibi ipsis praecedant, origine, gradu, & possessione anterioribus.

Attendendum vero non esse quodcumque factum, vel approbationem Capituli in novis Canonicatibus erigendis: nequivisse Capitulum vel Pontificiae legi, vel Juribus Canonicorum *de Solio* derogare, vel saltem per solemnes interpositas istorum protestationes sua jura semper sarta, tectaque servata fuisse.

Ad III. substinent, se ut veros Canonicos de omnibus antiquorum juribus, & honoribus frui debere; hinc injuste arceri ab Officio *Sisenarii*, scilicet a numero sex Canonicorum, qui eliguntur, ut insurgentes controversias dirimant, & ab aliis Officiis, quae per turnum exercentur.

Non impugnant ad IV. *servari solitum* accedendi nempe ad Faldistorium quoad officia duplicia; contendunt tamen, se in officiis Canonicalibus, & Pontificalibus ad idem Faldistorium pro Invitatorio canendo accedere non esse cogendos: inquiunt enim, in his officiis tum antiquos Canonicos, tum illorum Coadjutores Antiphonam in propriis Stallis canere: nullibi in concordia cautum fuisse, ut ipsi in officiis ad faldistorium accedant; recte proinde posse in propriis Stallis Antiphonam canere, prout faciunt Coadjutores antiquorum Canonicis *de Solio* indubitanter inferiores.

Ad ultimum denique asserunt, deesse peculiare Ecclesiae statutum, sed ex immemorabili consuetudine semper Canonicos antiquos vacatione trium mensium gavisos fuisse: iniquum proinde esse, ipsis quamvis veris Canonicis denegari, quod reliquis de eodem Capitulo sine quaestione conceditur.

De quatuor primis dubiis late habetur in folio diei 22. Novembris 1760, ad ultimum vero perpendendum est, an ex novis adductis juribus sat probetur consuetudo vacationum. Viden. folium in Corduben. diei 14. Decembris 1765.

Nec a Canonicis antiquis nuncupat. *de praebenda*, nec a Posses-

so-

foribus Canonicatuum post annum 1629. erectorum libellum habuimus. Placeat igitur EE. VV. definire.

I. *An sit standum, vel recedendum a Decisis quoad I. III., & IV.*

II. *An Canonici nuncupati* de Solio *semper, & quandocunque praecedere possint Canonicis, quorum Canonicatus fuerunt post erectionem Canonicatuum de stallo fundati, vel deinceps fundandi.*

V. *An praedicti Canonici gaudere possint annua vacatione trium mensium a Choro, & duas ex tribus partibus quotidianarum distributionum percipere.*

LUNEN. SARZANEN. Decreto Sacrae Congregationis *diei* 2. *Decembris* 1758. probata fuit, & successive exequuta translatio Parochialis ab Ecclesia posita in pago *Arcis* ruinam minante ad Ecclesiam recenter constructam in pago *Villae*, qui duo pagi cum aliis tribus *Metello*, *Bricca*, & *Collivecchio* constituunt locum Soragii Mutinensis Dominii in Dioecesi Sarzanen., & numerant in totum 142. familias subjectas quoad Curam Animarum unico Parocho ab antiquissimo tempore moranti in pago *Arcis*, ubi una pro omnibus existebat Ecclesia Parochialis. *Sess. 21. cap. 4. de Reformat.*

Conquerentibus de hac translatione hominibus pagi *Arcis*, qui non fuerant antea auditi, duo in Congregatione *diei* 14. *Aprilis* 1764. proposita fuerunt dubia I. *An substineatur translatio Parochialis ad novam Ecclesiam Villae, vel potius sit locus illius restitutioni ad antiquam Ecclesiam Arcis, & quatenus affirmative*. II. *An sit decernenda illius divisio, seu dismembratio, & quomodo in casu &c.* responsumque fuit *Dilata, & interim deputetur Vicarius pro Ecclesia Arcis, & in reliquis ad E̅m̅um Praefectum ad mentem*. Videndum est folium illius diei, in quo quid de jure sit, & quid in hoc translationum, & dismembrationum Ecclesiarum negocio secundum diversas rerum circumstantias alias definiverit S.Congregatio, late habetur.

Datae fuerunt Episcopo litterae, ut referret, an commode Parochiae divisio fieri posset; quae adessent faciliora, & pacatiora media pro congrua utrique Parocho sive ex praesentibus Parochiae redditibus dividendis, sive aggregandis assignanda; qui fines pro utraque statuendi; itemque referret de redditibus Parochialibus tum certis, tum incertis.

Quae ad haec responderit Episcopus, quas in aliquibus difficultates, quae demum temperamenta proposuerit, videnda sunt ex circumferendis litteris ejusdem Episcopi, qui eas insuper, quas potuit, transmisit probationes super redditibus certis, & incertis Parochiae ascendentibus in totum ad annua scuta centum tria monetae Romanae.

Iterant hodie querelas familiae Arcis de facta translatione: re-

repetunt cuncta dolo, & manifesta fraude confecta fuisse, omnia proinde in pristinum statum esse restituenda. Impugnant, legitimas adesse causas dismembrationis, vel saltem rogant, ut, si ad evitanda dissidia aliquo modo sit providendum, suo Parocho justa congrua, & suæ Ecclesiæ matricitas, ac debitus honor servetur, & nonnisi Vicarius Cappellanus in nova Ecclesia pagi *Villæ* constituatur.

Silentibus adhuc, nec se defendere curantibus, licet monitis, familiis aliis, quæ sequutæ translationi plaudunt, ac ea gaudent, iterum EE. VV. proponitur definiendum.

I. *An substineatur translatio Parochialis ad novam Ecclesiam* Villæ, *vel potius sit locus illius restitutioni ad antiquam Ecclesiam* Arcis *in casu &c. & quatenus affirmative*.

II. *An sit decernenda illius divisio, seu dismembratio, & quomodo in casu &c.*

Sess. 21. Cap. 4. de Reform.

BRICTINORIEN. TRANSLATIONIS, ET PERMUTATIONIS. Foropompilium antiquissimum Æmiliæ Provinciæ Oppidum divisis limitibus subest partim Episcopo Brictinoriensi, partim vero Capitulo Sacrosanctæ Vaticanæ Basilicæ. In parte Episcopo subjecta Parochialis adest Ecclesia Divo Petro Apostolorum Principi dicata, quæ plurium Ecclesiarum matrix, ac plebalis est, Fontem Baptismalem retinet, ac octingentos circiter Parochianos sub se habet. Ecclesia hæc antiquitus a perpetuo Archipresbytero regebatur, sed a tempore, cujus initii memoria non constat, una cum omnibus bonis reperitur unita Mensæ Episcopali, translato in Episcopos Brictinorienses onere deputandi, & manutenendi Cappellanum amovibilem pro Curæ Animarum exercitio, necnon providendi, & respective comparandi quidquid pro Ecclesiæ fabrica, Parochiali Domo, Supellectili Sacra, Cera, aliisque ejusmodi necessarium fuerit.

Huic Matrici Ecclesiæ subjecta quoque est inter cæteras finitima Ecclesia S. Leonardi vulgo *in Schiava*, quæ Parochialis est, a perpetuo gubernata a Parocho, biscentum sexaginta septem numerans Parochianos, & aliam ruralem Ecclesiam S. Severi habens unitam. Hujus Ecclesiæ Parochus Franciscus Amaducci institui cupiens in perpetuum Archipresbyterum Ecclesiæ matricis S. Petri ad elegantiorem formam, & cultiorem ornatum Episcopi diligentia redactæ, anno 1763. preces dedit, ut bona omnia, & reditus Ecclesiæ S. Leonardi, exceptis decimis, & bonis adjacentibus, transferrentur ad Ecclesiam matricem, ac ipsemet, suique Successores in perpetuos Archipresbyteros dictæ Matricis constituerentur, vicissim vero Episcopi tenerentur amovibilem Cappellanum Curatum deputare pro Eccle-

clesia S. Leonardi, onusque haberent illam, & aliam adnexam S. Severi, sacrariumque manutenendi, aliaque providendi, prout erga Matricem Ecclesiam tenentur.

Immature autem defuncto prædicto Francisco Amaducci Parocho S. Leonardi, easdem preces nunc renovat Oeconomus Mensæ Episcopalis, exhibitoque consensu tam Capituli Ecclesiæ Cathedralis, quam Parochianorum Ecclesiæ Matricis, & alterius S. Leonardi, datoque ulterius statu activo, & passivo utriusque Ecclesiæ, propugnat, permutationem hanc tum juris dispositione, tum assueta Sac. hujus Congregationis benignitate esse largiendam.

Asserit, Ecclesiam S. Petri esse in nobiliori Oppidi parte sitam: Octingentos & ultra Parochianos, & quidem cultiores sub se habere: Matricem esse, ac plebalem plurium Ecclesiarum, & signanter Ecclesiæ S. Leonardi: Illius Rectorem antiquitus Archipresbyteri titulo decoratum fuisse: Maximum esse ad illam populi concursum, ac frequentiam: Non tam ideo decori Ecclesiæ, quam animarum curæ, & saluti summopere expedire, ut antiquus Archipresbyteratus titulus eidem restituatur, utque non a Mercenario Cappellano, sed a perpetuo Archipresbytero regatur. *Rota in Romana Juris baptizandi decis. 299. num. 19. cor. Crescentio.*

Ecclesiam vero S. Leonardi in ignobiliori Oppidi parte sitam esse: Tantum biscentum sexaginta septem Agricolas, & istos neque habentes stabile domicilium sub se habere: Matrici Ecclesiæ S. Petri subjectam esse. Incongruum hinc non esse, ut per amovibiles Cappellanos Curatos regatur, prout passim rurales Ecclesiæ reguntur: Immo absurdum videri, quod filiali Ecclesiæ præficiatur perpetuus Parochus; Ecclesiæ vero Matrici Cappellanus tantum amovibilis deputetur.

Petitam idcirco permutationem cessuram esse in maximum divini Cultus incrementum, ac spiritualem animarum progressum, necnon in evidentem, ac honorificentiorem Oppidi, ejusque incolarum utilitatem; omnique proinde jure esse permittendam, accedente maxime plenissimo consensu tum Capituli Ecclesiæ Cathedralis, tum Parochianorum interesse habentium, tum demum Episcopi.

Nullum moveri posse dubium quoad translationem, seu permutationem redituum, & bonorum, quia retentis per singulas Ecclesias respectivis adjacentibus bonis, decimis, præeminentiis, & Parochianis, translatio in reliquis, ac permutatio congrua, utilis, & proportionata est: idque maxime probari judicio Episcopi, a quo recedendum non est. *Cap. Ad audientiam de Eccl. ædif.*

Episcopus in sua relatione inter cœtera hæc habet: = *Major quippe Dei cultus, & salubrius animarum regimen obtinebitur, si ei-*

si eidem Ecclesiæ loco Vicarii ad nutum amovibilis, cui Mercenarii potius, quam Pastoris nomen aptari potest, perpetuus Rector, & proprius Parochus assignetur, qui non per modum transeuntis, sed per modum permanentis Oves suas cognoscat, & pascat, & ab Ovibus suis cognoscatur.

Licet enim alia Ecclesia S. Leonardi imposterum non a proprio Parocho, sed per Vicarium, ut supra, amovibilem, & per Episcopum ibi deputandum, ac manutenendum regatur; id eos perniciosos effectus non producet, quos in Plebali Ecclesia S. Petri parere dignoscitur, attenta disparitate qualitatis, & quantitatis Personarum his duabus Paræciis subjectarum. Ruralis siquidem Paræciæ S. Leonardi animæ numerum biscentum sexaginta septem non excedunt, & sunt omnes Coloni prædiorum, qui non habent stabile domicilium, & sedem fixam, sed arbitrio suo, vel dominorum de anno in annum habitationem, & Paræciam variare solent; adeo ut respectu ejusmodi errantis populi amovibilitas Parochi, aut parum, aut nihilum obesse possit.

Paræcia vero S. Petri octingentas, & ultra animas habet, quarum pleræque vel sunt incolæ insignis Oppidi Foripompilii, vel sunt possidentes illius Territorii, ibique suas stabiles Sedes, seu Domos obtinent. Ideoque his præcipue convenit, & expedit proprium, & inamovibilem habere Parochum, qui sit ea doctrina, & idoneitate præditus, quæ ut plurimum in Cappellanis amovibilibus, ut inferioris notæ viris, non concurrit, sed desideratur.

Maxime congrua est ea ponderatio, quod hic agitur de statu Parochialis Ecclesiæ S. Leonardi commutando ad eum finem, ut imposterum perpetuus Parochus non Ecclesiæ filiali, sed Matrici S. Petri constituatur. Perpendendum igitur, an justa, & legitima causa concurrat, ob quam petita commutatio concedatur.

Christus Dominus de se dixit. = *Ego sum Pastor bonus, bonus Pastor animam suam dat pro Ovibus suis: Mercenarius autem, & qui non est Pastor, cujus non sunt Oves propriæ, videt Lupum venientem, & dimittit Oves, & fugit, & Lupus rapit, & dispergit Oves: Mercenarius autem fugit, quia Mercenarius est, & non pertinet ad eum de Ovibus* =. *Joan. X.* Viden. etiam Concil. Trident. *Sess.* 13. *Cap.* 1. *de Reform.*

Sac. Congregatio in una Pisauren. 10. Maii anni proxime elapsi, qua populus Roncaliæ petierat in novam, & veram Parochialem erigi Ecclesiam S. Mariæ *dell'Imperiale*, in qua Cappellanus Curatus amovibilis Curam animarum exercebat proposito Dubio = *An & quomodo sit locus erectioni Ecclesiæ S. Mariæ in novam Parochiam*. = Etsi omnes interesse habentes assensum in id præstarent respondit = *Negative* =.

Quid autem juxta singulares hujus Casus circumstantias censendum sit EE. PP. edicent.

Proponitur.

An

An & quomodo sit locus permutationi, & respective translationi in casu &c

OSNABRUGEN. DISPENSATIONIS. Contendente Gaspare Glandorf Canonico Collegiatæ Ecclesiæ Sancti Martini Mindensis Osnabrugensis Diœcesis, se Patris minis, Matrisque lacrymis, & suasionibus compulsum, non libera, sed coacta voluntate Sac. Subdiaconatus Ordinem suscepisse, ac declarari idcirco petente, se nulla continentiæ obligatione devinctum, in Congregatione diei 19. Januarii anni 1765. proposito Dubio = *An sit locus dispensationi in casu &c.* = resolutum fuit *Negative*. *Sess. 22. cap. 21. de Reform.*

Impetrato beneficio novæ audientiæ implorat iterum Orator justitiam Sac. Congregationis, ut ejus votis obsecundet, & cumulatis novis juribus, seu novis attestationibus juratis Matris, Patrui, & Parochi latiori calamo repetit, quæ de passo metu, de vi sibi illata, ut Subdiaconatum susciperet, de inutilitate actus gesti deduxit in præterita propositione, quæque accurate collegit Folium *diei 15. Decembris* 1764.

Verens tamen forsan & ipse, talia non esse ea, quæ profert, ut evincant eam metus qualitatem, quam probare oportet, ut a continentiæ Voto dispensetur ex rigore *justitiæ*, supplex exorat, ut Sanctissimo consulatur pro concessione dispensationis *ex gratia*.

Plura congerit, ut æquitatem suadeat subalternæ hujus petitionis. Inquit, ab omni saltem metu vacuum non fuisse ejus assensum in Ordinem, qui omnino liberam, atque spontaneam exigit voluntatem: Ipsum ex prænobili ortum Familia Catholica, & benemerita de Religione Catholica: Eam in Oppido Melle morari Acatholicis redundante: Alteram nec ibi, nec in proximo Comitatu Ravensbergensi Orthodoxam extare familiam, a qua tutelam, subsidia sperare valeant pauperes Catholici. Suam solum eorum esse fautricem, auxiliatricem; Liberalem eam esse in Ecclesias, in fovendis ipsarum Ministris, in excipiendis exercentibus Sac. Missiones: Oratorem unicum esse filium grandævæ ætatis Parentum, & ejus Familiæ extinctione maximum adesse periculum, quod bona Orthodoxæ Familiæ in summum Ecclesiæ Catholicæ luctum, & damnum ad manus devolvantur hæreticas. Probari hæc omnia ex novis juribus, & signanter ex jurata attestatione Vicarii Generalis Missionis, qui insuper addit, se Virorum gravium Diœcesis precibus, & vero zelo conservandæ, & pro viribus adjuvandæ Religionis Catholicæ in illis partibus ad ita testificandum impulsum fuisse.

Contra Defensor ex Officio totus est, ut tam antiquas, quam no-

novas probationes quoad prætensam vim, & metum Michaeli Gaspari illatum repellat. Prostant hæc in designato folio *diei* 15. *Decembris* 1764. benigne reassumendo. Pluraque in jure addit ad constabiliendam jam captam resolutionem.

Quo vero ad concessionem dispensationis *ex gratia* profitetur sui officii non esse de congruentia Causarum, illarumque pondere quidquam differere.

Libratis omnibus circumstantiis sua singulari prudentia, & doctrina dignentur EE. VV. deliberare,

An sit standum, vel recedendum a decisis, in casu &c.

Die Sabbathi 14. Februarii 1767. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

DIscuti, ac definiri non potuerunt in Congregatione habita die 24. præteriti mensis octo Causæ, quæ mox describentur. Folium idcircò tunc distributum non gravabuntur EE.VV. resumere.

ROMANA, SEU SABINEN. SUBSIDIORUM DOTALIUM. *Sess. 22. cap. 6 de Reform.*

An, & in qua summa sint constituendæ Dotes in bonis hæreditariis quondam Cæsaris Valentini, in casu &c.

Negative in omnibus.

MACERATEN.

An sit standum, vel recedendum a decisis, in casu &c. *Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

In decisis, & amplius.

MACERATEN.

I. *An Præpositus Ecclesiæ Collegiatæ S. Blasii Terræ Montis Milonis sit punctandus, dum audit Confessiones in dicta Ecclesia, in casu &c.* *Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

II. *An sit servanda Taxa punctaturarum, seu potius reformanda, & quomodo, in casu &c.*

Ad I. Negative pro tempore, quo actu audit Confessiones. Ad II. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, & fiat Taxa approbanda ab Episcopo ad formam Concilii, & Bullæ Erectionis.

Sess. 22. decret. de observan., & evitan. in celebr. Miss.

NULLIUS SANCTI RUFFILLI PROVINCIÆ RAVENNATEN. MISSÆ CONVENTUALIS.

An sit standum, vel recedendum a decisis, itaut sit locus reductioni, & quomodo, in casu &c.

In decisis, & amplius.

Sess. 24. cap. 12. de Reform.

CALARITANA.

I. *An sit standum, vel recedendum a decisis quoad I., III., & IV.*

II. *An Canonici nuncupati* de Solio *semper, & quandocumque præcedere possint Canonicis, quorum Canonicatus fuerunt post erectionem Canonicatuum de stallo fundati, vel deinceps fundandi.*

V. *An prædicti Canonici gaudere possint annua vacatione trium mensium a Choro, & duas ex tribus partibus quotidianarum distributionum percipere.*

Ad I. In decisis, & amplius. Ad II. Affirmative, excepto tantum Canonicatu S. Barbaræ. Ad V. Dilata, & audiatur Ordinarius.

Sess. 21. cap. 4. de Reformat.

LUNEN. SARZANEN.

I. *An substineatur translatio Parochialis ad novam Ecclesiam* Villæ, *vel potius sit locus illius restitutioni ad antiquam Ecclesiam* Arcis, *in casu &c.*, & quatenus affirmative

II. *An sit decernenda illius divisio, seu dismembratio, & quomodo, in casu &c.*

Non proposita, cum sequentibus.

BRI-

BRICTINORIEN. TRANSLATIONIS, ET PERMUTATIONIS.

An, & quomodo sit locus permutationi, & respective translationi, in casu &c.

Sess. 21. cap. 4. de Reform.

OSNABRUGEN. DISPENSATIONIS.

An sit standum, vel recedendum a decisis, in casu &c.

Sess. 22. cap. 21. de Reformat.

COLONIEN. Dilationem in hac Causa petentibus *die 9. Augusti superioris anni* Promotoribus Fiscalibus Curiæ Archiepiscopalis Coloniæ, Sacra Congregatio eorum votis annuens tunc distulit suum proferre judicium. Quum modo reproponatur Causa deducentibus jura sua eisdem Promotoribus, Beneficia obtinentes in Parochiali Ecclesia Oppidi Kempensis *Vicarii* nuncupati, ac ejusdem loci Magistratus rogant, informationes jam porrectas resumi, quibus probare nituntur, indebitè in eos rejecta fuisse Decretis Vicarii Generalis Coloniæ onera quædam in erectione Beneficiorum non comprehensa, & æquè indebitè imminuta jura nonnulla Magistratus. Hæc summatim collecta habentur in Folio dictæ *diei 9. superioris Augusti* ex gratia resumendo.

Sess. 22. cap. 8. & 9. de Reformat.

Præstat igitur breviter hic innuere ea, quæ Promotorum nomine proferuntur. Hi plane in vestibulo eorum defensionis præmittunt, Decreta Curiæ Archiepiscopalis jam accepto habita fuisse, & illorum in omnibus punctis promissam exequutionem a Vicariis, & a Magistratu: Irrita proinde non amplius illa fieri posse, nisi de gravissima eorum injustitia constiterit: Id autem tantum abesse, ut Decreta cuncta potius conformia fuerint Sacris Ritibus, fundationum legibus, Archidiœcesis ordinationibus: Ita rem esse, patefacturum singularum quæstionum examen.

Ad I. inquiunt, dubitari vix posse, quin Vicarii Kempenses teneantur bini Superpelliceo induti alternis vicibus per horam orare ante SSmum Sacramentum, cum publicæ exponitur adorationi, quod onus eis injunxit alterum ex Decretis Vicarii Generalis. Obsequium Supremo Numini a quolibet Christifideli præstandum maximè incumbere Personis Ecclesiasticis, & quidem forma præscripta, iisque præsertim, qui Beneficia, vel alia munia obtinent in Ecclesia, ubi absolvitur debitus actus adorationis. Antiquissima Ecclesiæ consuetudine ritum hunc inductum fuisse; Pontificio jussu in Urbe præscriptum; Episcoporum insti-

tutionibus alibi commendatum; in Archidiœcesi quoque Coloniensi ab antiquo tempore servatum, & anno 1729. a prædefuncto Archiepiscopo Clemente Augusto strictius innovatum. Cæterum ad Decreti confirmationem exuberare mandatum Ordinarii, cui in iis, quæ ad Dei pertinent cultum, amplas tribuit facultates Tridentina Synodus *sess.21.cap.8. de Reformat.*

Quumque non deceat, ante Sacratissimam Eucharistiam publicæ venerationi expositam vel momento temporis solitudinem esse, ideoque sit expediens, ad eam avertendam, ut certæ sint Personæ, quæ singulis horis precationi intersint; Hinc ad II. Promotores tuentur, Parocho committendam esse confectionem Tabellæ designaturæ easdem Personas, & horas. Id eum curare debere, qui est Ecclesiæ Rector, veluti est Parochus. Munus hoc ei concredidisse antiquas Ordinationes editas sub Archiepiscopo Maximiliano Henrico, ac memoratum generale Edictum anni 1729. Conferre maxime exemplum, normamque traditam a san. mem. Benedicto XIV. pro Archidiœcesi Bononiensi, qua Parochis committitur exaratio notulæ Sacerdotum, qui forma commemorata sint precaturi ante Sanctissimum Sacramentum, cum in eorum Ecclesiis peragitur expositio, ut in *Institut.30. sub num.20.*

Nullamque in confectione Tabellæ partem esse debere Vicariorum, qui nullum jus habent in Ecclesia, & fundationis lege prohibentur, quo minus in illius regimine sese misceant, quinimo & jubentur obsequium, & obedientiam Parocho *in licitis, & honestis* præstare.

Ad III. Præmittunt, ex dispositione Concilii Tridentini *sess.23. cap.15. de Reformat.*, & Concilii Romani *tit.6.cap.2.* Clericos teneri singulis diebus festis præsertim solemnioribus præstare Ecclesiæ, cui sunt adscripti, servitium juxta gradum, quo sunt insigniti. Hinc sequi, ut Vicariis inesse dicamus onus interessendi Summo Sacro in Parochiali Ecclesia celebrando, quum eidem Ecclesiæ, quæ unica in Oppido est, eos dicere oporteat adscriptos.

Contendunt præterea, certam esse Vicariorum obligationem præstandi hoc servitium ex legibus adjectis in erectione Beneficiorum, quum mandent, ut eadem Beneficia obtenturi suppleant *defectum Pastoris &c. omnia faciendo, quæ ad officiationem Ecclesiæ requiruntur;* ut Parocho obediant; ut in Beneficii loco resideant. Ex his resultare legem Vicariis datam exhibendi Parocho, & Ecclesiæ congruum servitium pro tempore, quo summa Sacra, aliaque Divina Officia peraguntur.

Ad hæc addunt antiquam Visitationem anni 1678. renunciantem Vicarios ea obligatione detentos; ipsos insuper vi consuetudinis remansisse efficaciter obligatos, & rationi consonum esse, ut dum commodum sentiunt compendiorum,

rum, quæ in eos obveniunt *ex Vigiliis*, *Anniversariis*, *Funeribus*, aliisque, æquo animo incommodum ferant interessentiæ Summo Sacro, quando statis diebus in Parochiali Ecclesia celebratur.

Ad IV., & V. Ex obligatione Vicariis inhærente supplendi defectum Parochi promanare per consequens, illos rogatos ab eodem Parocho cum Sacellanis per Curam Animarum impedito, renuere non posse actum benedicendi Puerperas, cum hæ purificari desiderant; attenta præsertim adjudicatione decreta in utilitatem Benedicentis earum oblationum, quæ pro eodem actu solent a Puerperis exhiberi.

Eadem ratione teneri etiam ad distribuendum Populo Sacratissimum Panem Eucharisticum, dum Parochus, & Sacellani aliis detenti Curæ Animarum officiis, huic pietatis ministerio petentibus adesse non possunt. Ita cautum fuisse decretis editis anno 1678. cohærenter ad Visitationem peractam sub Archiepiscopo Maximiliano Henrico.

Ad VI. Advertunt Promotores, non festis tantùm, sed diebus quoque ferialibus ad Populi devotionem de more celebrari Summum Sacrum in Ecclesia Parochiali, & quandoque, etsi raro, evenire, ut hora consueta adesse nequeant nec Parochus, nec Sacellani aliis Curæ officiis impediti: Eorum vices supplevisse in præteritum Vicarios: post Visitationem vero anni 1757. eos cœpisse refugere officium. Ne propterea vel Sacrum cum Populi scandalo omittatur, vel extraneus ab Ecclesia Sacerdos sit accersendus, æquum esse, ut ad id obstricti renuncientur Vicarii, ut eos obnoxios edixit decretum *diei* VI. *Octobris* 1759. Juxta leges suorum Beneficiorum ipsos teneri *in licitis*, *& honestis* obedire Pastori. Teneri *Parochi defectum* supplere. Teneri omnia facere, *quæ ad officiationem Ecclesiæ requiruntur*. Conqueri nec posse de lege eodem decreto indicta, quum opportune caverit de condigna compensatione retribuenda.

Ad VII. Ne Cadavera defunctorum efferantur, & sepeliantur sine Sacerdotum comitatu, & cantu, decrevit Vicarius Generalis, *ut si propter Defuncti tenuitatem totus Clerus nequeat convocari*, *saltem D. Pastor cum Sacellanis*, *& duo ex Vicariis præeunte Crucifero erga salarium medii Imperialis &c. concitentur*. Mirantur idcircò Promotores, quod Vicarii doleant de hoc decreto; nam dum ipsis imperat pietatis actum, mandat simul congruam eis rependi mercedem. Petentes itaque ejusdem Decreti confirmationem, substinent, in eo præscripta conformia esse antiquissimo Ecclesiæ Ritui juxta ea, quæ post *Ritual. Roman: tit. de Exequ.* ponderat *san. mem. Benedictus XIV. in notificat. 36.* §.14. *volum. primo*; Et consona pariter esse vetustissimis Ordinationibus evulgatis anno 1608. ab Archiepiscopo Ferdinando,

do; Nec quidquam proponi posse, cur debeant debita paritione fraudari.

Inquiunt ad VIII., nihil sanctius, prudentiusque potuisse decerni, quam ut in Ecclesia Parochiali, ubi quamplures Missæ quotidie celebrantur, earum celebratio diebus Dominicis, festis, & publicarum precum fiat non uno tempore, sed divisis horis, ut ita consultum sit commoditati Fidelium, qui non omnes una, eademque hora accedere possunt ad Ecclesiam sacra audituri. Ita laudabiliter servari ubique in Ecclesiis, quæ numero Sacrorum abundant; ita etiam anno 1666. præscripsisse Archiepiscopum Maximilianum Henricum, & ante eum 1608. Archiepiscopum Ferdinandum, proindeque ab ordinatione adeo commendabili non esse discedendum.

Ad IX. monent, quod licet idem Archiepiscopus Ferdinandus post commendatum Sacrum summo mane celebrandum, Parocho injunxerit, ut, *Quoad cætera Sacra ordinem præscribat, qua quisque hora celebrare debeat, & in Sacristia ponat*; adeo ut consequens esse debuisset, ut Tabella non a Vicariis, sed a Parocho conficienda fuisset ex iis, quæ animadversa sunt ad II.; Frustraneam nihilominus modo esse hanc inspectionem, quum Tabella jam confecta fuerit, & plenissimam meruerit Eminentissimi Archiepiscopi approbationem, confirmationemque, atque ob id proficuum amplius non esse, ut quæratur, a quo sit conficienda; Illam jam factam, veluti exaratam habito respectu non ad personas, sed ad ipsa Beneficia, daturam normam tempore etiam futuro, & ordinem jam constitutum ratione Beneficiorum eumdem semper futurum esse inter Beneficiatos ea designata Beneficia obtenturos.

Ad X., & XI. Quum juxta sententiam Promotorum Vicariis inhæreat onus residendi, & coadjuvandi Parocho, exinde sequi, ut ipsi per octiduum abfuturi significare teneantur Parocho Personam eorum vices suppleturam, & in casu longioris absentiæ exhibere præterea cogantur assensum Ordinarii, juxta Ordinationes editas in Visitationibus annorum 1608., & 1678. quas Vicariis pro libito aspernari non licet.

Ad XII. Quædam esse in Kempensi Ecclesia emolumenta procedentia ex Anniversariis, aliisque, quorum participes fiunt Vicarii. Si quem propterea abesse contingat, jure prohiberi, ut lucretur stipendium, quod competit causa personalis servitii *Concil. Trident. sess. 22. cap. 3. de Reformat.*. Nec prodesse Vicariorum interessentium voluntatem, & assensum, ut ille pro præsenti haberetur: improbatum id esse ex dispositione Juris Canonici *Monacell. tom. primo tit. 2. adnot. ad formul. 4. num. primo*, & interdictum in Visitatione sub Archiepiscopo Maximiliano Henrico peracta anno 1666.

Ad

Ad XIII. Electionem Signatoris Fallentiarum postremo Decreto Vicarii Generalis commissam fuisse tam Pastori, quam Beneficiatis, ea lege, ut ille ex gremio censeretur electus, in quem pars major Sacerdotum Choralium convenisset. Non esse idcirco, de quo Vicarii super hoc puncto conquerantur. Suspicantes tamen Promotores, ne in odium præsentis litis quidquam fraudis Vicarii sint molituri, electionem Signatoris mandandam precantur arbitrio Ordinarii, quum præsertim Beneficiati nullum corpus, nullumque Collegium constituant.

Ad XIV. Efficacem, firmamque opinantes Promotores obligationem Vicariorum interessendi summo Sacro diebus Dominicis, Festis, & precationi adhibendæ secundum normam præscriptam ante Sanctissimum Sacramentum, substinent, jure in eos statutas punctaturas pro qualibet absentia. Frustraneam futuram fuisse legem sine indictione mulctæ; hanc excitare desidiosos, & negligentes; & mulctam indictam esse levem, mitemque.

Ad XV. Quum animadvertisset Visitator, ad electionem Ædilis, & expunctionem rationum Ecclesiæ Kempensis innumeros convocari consuevisse, videlicet: *Omnes Vicarios cum D. Pastore, qui numerum* 14. *Personarum conficiunt, item omnes de Magistratu, quorum numerus incertus, item Prætorem cum Actuario, & Decurionibus infra Parochiam habitantibus, quorum numerus etiam fixus non est, sed (sicut Magistratus) ad sex, aut septem, aut octo potest ascendere, item Vice Satrapam, & forsan Receptorem Electoralem* = Ut inquit in sua relatione Vicarius Generalis, cujus verba exscribere placuit, quia alias non haberentur sub oculis;

Animadvertisset ulterius, singulis ex prædictis interessentibus certum quid *honorarii* nomine præstari; hinc idem Visitator, (ut prosequitur dicta relatio), *ad Fabricæ commodum, & ut tranquillius conventiones peragerentur, præsertim quia ad eosdem pertinet electio novi Ædilis, & dispositio super redditibus, & reparationibus Templi* = prudens censuit temperamentum = *ut Classes parificarentur, & Pastor cum duobus Vicariis, Prætor cum duobus de judicio, tres de Magistratu, & D. Vice-Satrapas convenirent, & honorarium acciperent* =. Reliquis autem, non prohibita interessentia, solum votum, & honorarium ademit.

Addit vero eadem relatio, consilium Visitatoris ita cunctis placuisse, *ut per* 15. *dies Visitationis, omnia coram illis decem solis peracta fuerint sine querela*: Et postea tantum editas tum a Vicariis, tum a Magistratu fuisse protestationes, quibus ipsi jura sua declararunt velle salva manere.

Petunt igitur Promotores, ut hujus normæ a Visitatore statutæ, & decretis Curiæ Archiepiscopalis confirmatæ decernatur observantia, & exequutio. Per eam satis consuli redditioni rationis reddittuum Ecclesiæ; Occurri confusionibus,

quæ

quæ ex multitudine solent oriri; Parci immoderatis sumptibus tot honorariorum in utilitatem Ecclesiæ, cujus tenues sunt proventus; Nemini jus ademptum interessentiæ prædictis Actibus; Sublatum dumtaxat aliquibus jus suffragii ferendi, accipiendique honorarium, quod utrumque erat Ecclesiæ damnosum.

Ad XVI. Administrationem Sodalitatis Rosarii B. M. V. incumbere Parocho probatum esse ex antiquissima Visitatione anni 1608.. Rationes suæ administrationis a Parocho anno 1757. exhibitas fuisse Visitatori. Ab hoc fuisse dispunctas, & deinde decreto Ordinarii Coloniensis approbatas. Juri idcirco consonum esse, ut rata habeatur eadem redditio rationis, quia ea legitimè semel expleta, non probato ejus errore, firma esse debet, non iteranda. *Leg. Unic. Cod. de error. Calcul.*, *&* *leg.*8. *ff. de administr. Rer. ad Civitat. spectant.*

Ad XVII. Rationi, ac juri maxime decere, ut altera ex Clavibus tum Archivii rerum Ecclesiæ, tum Capsæ oblationum pro Pauperibus retineatur a Parocho. Hanc retentionem consonam esse Statutis Synodalibus. Clavis traditionem in actu Visitationis ab omnibus laudatam, & executioni mandatam non licere in controversiam amplius revocare. Et, quum aliarum Clavium custodia existat apud Ædiles, potiori jure convenire, ut concredatur etiam Parocho, ad quem Cura pertinet rerum Ecclesiæ, quique Caput est totius Cœtus Ecclesiastici. De Clave Archivii hanc fuisse Sententiam Sac. Congregationis in *Senogallien. Jurium Parochialium*, *&* *Præeminentiarum die* .... 1753.

Ad XVIII. Exinde sequi, Parochi quoque consilium esse exquirendum in distribuendis eisdem oblationibus in pias Causas, vel investiendis favore Ecclesiæ. Redire expensa ad præcedentem quæstionem. Conferre decreta Visitationis anni 1678.; Magisque urgere, quæ de eadem re tradita leguntur in *Actis Eccles. Mediolanen. sub S. Carolo Borromæo tom.*1. *fol.*168: *vers. Ut piis*.

Ad XIX. Advertunt Promotores Dubii formulam præseferentem, an eleemosyna hebdomadalis sit tantum distribuenda pauperibus habentibus testimonium Parochi, vel Sacellanorum, discordem aliqualiter esse a Decretis Vicarii Generalis, quibus ad avertendum, ne eleemosynæ tradantur improbis, & indignis in damnum timentium Deum, jubetur, ut *quotannis saltem D. Pastoris*, *aut Sacellanorum testimonium exigatur*.

Postulant idcirco, ut secundum hæc decreta præsens quæstio absolvatur, suggerentes, in eleemosynis distribuendis tutiorem non esse viam, quam exquirendi testimonium Parochi de vita, & moribus illorum, qui illas hebdomadatim accipiunt. Nemini melius, quam Parochis ex administratione Sacramentorum compertas esse necessitates, & qualitates

tes morum pauperum Familiarum ; Alia addere relationem Vicarii, sed aptissima esse, quæ habentur ex *Actis Eccles. Mediolanen. loc. cit.*

Ad XX. Hic pariter inquiunt Promotores, formulam hujus Dubii non convenire in omnibus cum Decreto Curiæ Archiepiscopalis. Nam hoc non subrogat Concionibus Catechesim pro erudiendis tantum Pueris ad Sacramenta Paschalia. Præcipit Catechesim feria quarta, & sexta Quadragesimæ, quia Conciones *minorem utilitatem spiritualem conferunt, quam Catechesis, qua & Juventus, & Adulti ad digne suscipiendum S.Sma præparantur.* In hunc ergo finem petunt responderi, ut serventur Decreta Ordinarii. Consultissime, ajunt, decretam fuisse subrogationem Catechesis ; paucissimos ad Conciones accedere ; utiliorem esse Catechesim ; esse & ipsam prædicationis speciem, ac Parochis stricté inculcandam ; ita docere Acta Mediolanensia Divi Caroli *tom.2. fol.699.*

Ad XXI. Plura congessit Promotorum libellus ad eliminandum attentatorum vitium ab Actis Curiæ Archiepiscopalis, quæ suspensionem a divinis, & apprehensionem, ac reconductionem Vicarii Tenhoff ad Seminarium Coloniæ demandarunt, Vicarium verò Senderland cum aliis quinque Vicariis damnarunt ad spiritualem recollectionem apud Franciscanos Kempenses, addita reddituum ad illos pertinentium sequestratione.

Præmittunt enim, ea acta, utcumque ad materias, de quibus in causa agitur, pertinerent, inuri tamen attentatorum nota non posse, quum desit præcedens efficax inhibitio, sine qua non datur actio attentatorum.

Inhibendi vi caruisse Citationem specialem Signaturæ Justitiæ, ac Decreta ejus R. P. D. Auditoris, & Eminentissimi Præfecti; illam veluti expeditam; hæc tamquam lata adversus ordinationes editas in sequelam Sac. Visitationis, cujus exequutio non retardatur, vel suspenditur inhibitione cujusvis Judicis, aut Tribunalis, illo Signaturæ nominatim comprehenso juxta notissimam Constitutionem S. M. Benedicti XIV. incipien. = *Ad militantis Ecclesiæ = De appellationibus, & inhibitionibus concedendis, vel denegan.*, in qua re consentit quoque Concil. Tridentin. *Jess.* 21. *cap.*8. *de Reform.*

Immo easdem inhibitiones potuisse impune sperni, tametsi Decreta, adversus quæ datæ sunt, edita fuissent ab Ordinario extra pastoralem Visitationem. In his enim agi de materiis vel ad Dei cultum pertinentibus, vel ad dispunctionem rationum reddituum Ecclesiæ, vel ad distributionem præsentiarum, vel ad Beneficiatorum residentiam, & ad hujus generis alias species respicientes Curam Animarum. Hæc omnia respuere indistincte appellationem, per se reijcere inhibitiones ex dispositione tum Juris Canonici in

Cap. Relatum, & *Cap. Conquerente de Cleric. non resident.*, tum etiam Sac. Concil. Tridentin. *sess.*21. *cap.*3. *de Reform.*, tum denique, & latius ex citata *Constitutione Benedictina*.

Inhibitionem desiderari Decreto Eminentissimi D. Pro-Auditoris Sanctissimi; Erui nec posse ex pendentia litis coram Sac. Congregatione, quia hæc versatur super quæstionibus omnino diversis ab ordinationibus, quibus appingitur vitium attentatorum. Ex una autem lite nullam prodire inhibitionem, ne Judex a quo de altera lite prorsus diversa ex jure decernat.

De rerum diversitate non posse dubitari. Quæstiones coram Sac. Congregatione pendentes supra jam relatæ sunt. Adversus autem Senderland, aliosque Vicarios indicta fuit recollectio Spiritualis ob denegatam traditionem Calicum, eorumque redditus sequestro submissi sunt ad parandam solutionem mulctæ ab ipsis pendendæ ob non paritionem mandato de restituendis Calicibus.

Quod autem pertinet ad acta gesta contra Vicarium Tenhoff, prænotant Promotores, illa originem habuisse a subreptione libri, quem vocant Præsentiariæ, & a deserta proprio arbitratu recollectione spirituali, ad quam fuerat ablegatus; huic facto accessisse scandalosam frustrationem Canonicarum Monitionum sub comminatione pœnæ suspensionis eidem factarum de se restituendo in Seminarium. Hæc autem nihil habere commune cum Capitibus quæstionum, quæ in Sac. Congregatione exagitantur.

Cœterum quoad Vicarium Tenhoff illud insuper addi, quod ipse in judicio non sistit, quum non subscripserit una cum aliis mandato Procuræ, quod in exequutionem judicialis Decreti jamdudum lati debuit a consortibus litis exhiberi.

Ad XXII. Propter absentiam idcirco ipsius Vicarii Tenhoff a judicio, consequens esse, ut rite latæ renuncientur Censuræ in ipsum decretæ, quum non liceat aliis Vicariis, aut Magistratui Kempensi in eisdem Censuris partem nullam habentibus adversus eas insurgere, & alterius defensionem ultro suscipere.

At nihil etiam esse, cur Censuræ non sint substinendæ. Tot admisisse Vicarium Tenhoff contra auctoritatem, & mandata proprii Ordinarii, ut jure coërceri debuerit comminatione, & fulminatione Censurarum, quæ sunt remedia, quibus Judices Ecclesiastici utuntur ad compellendos inobedientes Subditos ad debitam exhibendam paritionem, *Rot. cor. Molin. decis.*673. *tom.*1. *par.*1. *num.*14.

Ad XXIII. De litis expensis nihil sollicitos sese exhibent Promotores, inficiantes, quicquam fuisse illarum nomine exactum, ac inaniter propterea quæri de restitutione. De mulctis vero repetunt, eas fuisse comminatas, & exactas ob denegatam extraditionem Calicum, & inobedientiam

tiam in hoc adhibitam. Indubii autem juris esse, pollere Judices Ecclesiasticos facultate indicendi non solum Censuras, sed etiam mulctas ad compescendam inobedientium contumaciam, atque licentiam. *Rot. cor. Caprara decis. 213. num. 4., & seq.*

In commemorato folio diei 9. Augusti proxime præteriti habentur, quæ conferre possint ad explanandas controversias hac in Causa occurrentes. De iis latissime in eorum allegationibus disseruerunt Partes collitigantes. Reliquum igitur nunc est, ut EE.VV eximia ipsarum doctrina, præstantique, qua abunde pollent, jurisprudentia sententiam proferant de his, quæ decidendæ hic subjiciuntur, quæstionibus.

I. *An Beneficiati Kempenses, nuncupati Vicarii, cogendi sint bini orare per horam, dum Sanctissimum Sacramentum exponitur in summis Ecclesiæ solemnitatibus, & diebus Precum publicarum, & quatenus affirmative,*

II. *An, & a quo sit conficienda Tabella designationis, & distribubutionis horarum, in casu &c.*

III. *An iidem Beneficiati cogendi sint choraliter interesse summo Sacro in diebus solemnioribus, Dominicis, & publicarum Precum.*

IV. *An dicti Beneficiati teneantur Puerperas benedicere rogati a Parocho, vel Sacellanis, dum Curæ Animarum inserviunt.*

V. *An dd. Beneficiati teneantur Parocho coadjuvare in distributione Sanctissimi Sacramenti Eucharistici.*

VI. *An dicti Beneficiati cogi possint assistere Parocho in celebratione summi Sacri diebus ferialibus.*

VII. *An, & quomodo Beneficiati cogi possint associare cadavera pauperum defunctorum.*

VIII. *An dicti Beneficiati, quibus ex fundatione non est statutum certum tempus celebrationis, cogi possint diebus Dominicis, Festis, publicarum Precum Missam celebrare certis horis Tabella præfiniendis, & quatenus affirmative,*

IX. *An, & a quo sit conficienda Tabella, in casu &c.*

X. *An Beneficiati absfuturi ab Ecclesia per octiduum, & ultra, teneantur indicare Parocho, qui suppleat vices suas.*

XI. *An iidem Beneficiati ad longum tempus absfuturi teneantur exhibere consensum obtentum ab Ordinario.*

XII. *An de consensu intercessentium absentes haberi possint pro præsentibus ad effectum consequendi distributiones, sive, ut ajunt, præsentia.*

XIII. *An, & ad quem spectet electio Signatoris, seu Punctatoris Fallentiarum, in casu &c.*

XIV. *An substineantur punctaturæ pro qualibet absentia, etiam in summo Sacro diebus Dominicis, Festis, & quoties Sanctissimum Sacramentum exponitur.*

XV. *An, & qui interesse possint, & debeant redditionibus ratio-*

num Ecclesiæ Kempensis, & electioni Ædilis, & qui ordo sit servandus.

XVI. *An substineatur approbatio administrationis Sodalitatis Rosarii B.M.V. in casu &c.*

XVII. *An præter tres Claves, tum Archivii, tum Capsæ Oblationum, retinendas ab Ædilibus, sit etiam altera retinenda per Parochum.*

XVIII. *An Parochi consilium exquiri debeat in dd. Oblationibus erogandis, vel investiendis favore Ecclesiæ.*

XIX. *An eleemosyna hebdomadalis ex redditibus mensæ Pauperum præstari solita, tantum sit distribuenda Pauperibus habentibus testimonium Parochi, vel Sacellanorum.*

XX. *An substineatur ordinatio Catechesis facienda a Parocho, vel Sacellanis pro erudiendis Pueris ad Sacramenta Parochialia loco Concionis Quadragesimalis Feriis quarta, & sexta.*

XXI. *An constet de attentatis, & quomodo sint purganda, in casu &c.*

XXII. *An Censuræ latæ contra Vicarium Tenhoff substineatur, in casu &c.*

XXIII. *An mulctæ, assertæque litis expensæ exactæ sint restituendæ in casu &c.*

Die

Die Sabbathi 14. Martii 1767. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

QUatuor causæ, quæ in ultima Congregatione diei 14. Februarii proxime præteriti diffiniri non potuerunt, sapientissimum nunc Eminentissimorum Patrum judicium expectant.

LUNEN. SARZANEN.

I. *An sustineatur translatio Parochialis ad novam Ecclesiam* Villæ, *vel potius sit locus illius restitutioni ad antiquam Ecclesiam* Arcis, *in casu &c.*, & quatenus affirmative — *Sess. 21. Cap. 4. de Reform.*

II. *An sit decernenda illius divisio, seu dismembratio, & quomodo, in casu &c.*

Ad I. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam. Ad II. Provisum in primo.

B...RICTINORIEN. TRANSLATIONIS, ET PERMUTATIONIS. — *Sess. 21. cap. 4. de Reform.*

An, & quomodo sit locus permutationi, & respectivè translationi, in casu &c.

Negative.

OSNABRUGEN. DISPENSATIONIS. — *Sess. 22. cap. 11. de Reform.*

An sit standum, vel recedendum a decisis, in casu &c.

In decisis, & amplius.

Sess. 23. *cap.* 8. *de Reform.*

COLONIEN.

I. *An Beneficiati* Kempenses, *nuncupati Vicarii, cogendi sint bini orare per horam, dum Sanctissimum Sacramentum exponitur in summis Ecclesiæ solemnitatibus, & diebus Precum publicarum, & quatenus affirmativè.*

II. *An, & a quo sit conficienda Tabella designationis, & distributionis horarum, in casu &c.*

III. *An iidem Beneficiati cogendi sint choraliter interesse summo* Sacro *in diebus solemnioribus, Dominicis, & publicarum Precum.*

IV. *An dd. Beneficiati teneantur Puerperas benedicere rogati a Parocho, vel Sacellanis, dum curæ Animarum inserviunt.*

V. *An dd. Beneficiati teneantur Parocho coadjuvare in distributione Sanctissimi Sacramenti Eucharistici.*

VI. *An dd. Beneficiati cogi possint assistere Parocho in celebratione summi sacri diebus ferialibus.*

VII. *An, & quomodo Beneficiati cogi possint associare cadavera pauperum Defunctorum.*

VIII. *An dd. Beneficiati, quibus ex fundatione non est statutum certum tempus celebrationis, cogi possint diebus Dominicis, Festis, & publicarum Precum Missam celebrare certis horis Tabella præfiniendis, & quatenus affirmative.*

IX. *An, & a quo sit conficienda Tabella in casu &c.*

X. *An Beneficiati absuturi ab Ecclesia per octiduum, & ultra, teneantur indicare Parocho, qui suppleat vices suas.*

XI. *An iidem Beneficiati ad longum tempus absuturi teneantur exhibere Parocho consensum obtentum ab Ordinario.*

XII. *An de causa su interessentium absentes haberi possint pro præsentibus ad effectum consequendi distributiones, sive, ut ajunt, præsentia.*

XIII. *An, & ad quem spectet electio Signatoris, seu Punctatoris fallentiarum in casu &c.*

XIV. *An sustineantur punctaturæ pro qualibet absentia, etiam in summo sacro Diebus Dominicis, Festis, & quoties Sanctissimum Sacramentum exponitur.*

XV. *An, & qui interesse possint, & debeant redditionibus rationum Ecclesiæ* Kempensis, *& electioni Ædilis, & qui ordo sit servandus.*

XVI. *An sustineatur approbatio administrationis Sodalitatis Rosarii B.M.V. in casu &c.*

XVII. *An præter tres Claves, tum Archivii, tum Capsæ oblationum, retinendas ab Ædilibus, sit etiam altera retinenda per Parochum.*

XVIII. *An Parochi consilium exquiri debeat in dd. oblationibus erogandis, vel investiendis favore Ecclesiæ.*

XIX. *An Eleemosyna hebdomadalis ex redditibus mensæ Pauperum præstari solita, tantum sit distribuenda Pauperibus [illegible] entibus*

te-

testimonium Parochi, vel Sacellanorum.

XX. *An substineatur ordinatio Catechesis facienda a Parocho, vel Sacellanis pro erudiendis Pueris ad Sacramenta Parochialia loco Concionis Quadragesimalis Feriis quarta, & sexta.*

XXI. *An constet de attentatis, & quomodo sint purganda in casu &c.*

XXII. *An Censuræ latæ contra Vicarium Tenhoff substineantur in casu &c.*

XXIII. *An multæ, assertaeque litis expensæ exactæ sint restituendæ in casu &c.*

Ad I. Affirmative, comprehenso Parocho, & Sacellanis, & amplius. Ad II. Conficiendam esse a Parocho, & amplius. Ad III. Affirmative. Ad IV. Affirmative quoad eos, qui ex fundatione habent onus assistendi Parocho. Ad V. Ut ad proximum. Ad VI. Negative, & amplius. Ad VII. Affirmative ad formam Decretorum Ordinarii, & amplius. Ad VIII. Affirmative, & amplius. Ad IX. Tabellam esse conficiendam a Parocho, cum approbatione Ordinarii, & amplius. Ad X. Affirmative quoad eos, qui ex fundatione habent onus assistendi Parocho, vel residendi, & amplius. Ad XI. Ut ad proximum, & amplius. Ad XII. Negative, & amplius. Ad XIII. Servetur Decretum Ordinarii, & amplius. Ad XIV. Affirmative. Ad XV. Servetur solitum. Ad XVI. Approbationem redditionis rationis jam factam substineri. Ad XVII. Affirmative. Ad XVIII. Affirmative. Ad XIX. Affirmative ad formam Decreti Ordinarii, & amplius. Ad XX. Affirmative, Ad XXI. XXII. & XXIII. Dilata, & ad mentem.

CAPUTAQUEN. Acriter contendentibus Episcopo Caputaquensi, & Baiulivo S. Euphemiæ Ordinis Hierosolymitani de Ordinaria jurisdictione, quam unusquisque sibi competere authumabat quoad loca *Rhodii*, *& S. Mauri* sita in Dioecesi Caputaquensi, quinque in Congregatione *diei* 12. *Martii* 1757. proposita fuerunt dubia: I. *An Episcopus Caputaquensis exercere valeat omnimodam jurisdictionem in locis Rhodii, & S. Mauri, seu potius talis jurisdictio competat Bajulivo S. Euphemiæ.* II. *An Vicarii Curati pro Ecclesiis Parochialibus Rhodii, & S. Mauri a Bajulivo præsentati examinari, & approbari debeant ab Episcopo.* III. *An deputatio Oeconomi provisionalis ad dictas Parochiales spectet ad Ordinarium.* IV. *An assertus Vicarius Bajulivatus dare possit licentias Confessiones audiendi in dictis Ecclesiis quibuscumque Sacerdotibus etiam non approbatis ab Ordinario.* V. *An administratio Sacramenti* *Sess.25. cap.1. de Reform.*

menti

menti Confirmationis in locis Rhodii, *& S. Mauri privative spectet ad Episcopum Caputaquensem*: Ac tandem post plures dilationes concessas, & post juridicam documentorum extractionem, rescriptum fuit in Congregatione *diei 2. Augusti* 1760. Ad *I. Specta e ad Episcopum jurisdictionem Ordinariam in Clerum*, *& Populum*, *quo vero ad Ecclesias subjective unitas delegatam*. *Ad II. Affirmative*. *Ad III. Affirmative*. *Ad IV. Negative*. *Ad V. Affirmative*: Et in hac eadem sententia EE. PP. manere placuit in altera de iis disceptatione habita die 17. Januarii 1761. edito quoad omnia rescripto= *In decisis*, *& amplius*.

His definitis, petit deinde Bajulivus S. Euphemiæ, ut ii omnes sibi competere renuncientur speciales jurisdictionis actus, qui in adjunctis dubiis continentur, & quamvis horum dubiorum disputationi in Congregatione *diei 19. superioris Julii* viriliter se opposuerit Episcopus, ne Ordinaria jurisdictio sibi jam adjudicata iterum in controversiam adduci videretur, de singulis tamen ex mente Sac. Congregationis modo est agendum.

Præmittit Bajulivus, incompatibile non esse, Ordinariam jurisdictionem Episcopo competere, & a Prælato inferiori particulares jurisdictionis actus simul exerceri *Card. de Luca de jurisdict. disc.* 1. *num.*8., *Pignatell. consult. canon. tom.*7. *consult.*8. *num.*89.: probari autem ex testibus, antiquissimis instrumentis, publicis monumentis, sacris Episcoporum Visitationibus, ac solemnibus eorumdem confessionibus, omnimodam jurisdictionem tum temporalem, tum spiritualem in Clerum, & Populum dictorum locorum *Rhodii*, *& S. Mauri* ab immemorabili tempore exercitam perpetuo fuisse a Bajulivis pro tempore: eam proinde modo illis auferendam non esse *Card. Petr. ad Constit. Apost. constit.*6. *Alex. III. sect.*1. *num.*59.

Infert hinc, sibi Ordinariam jurisdictionem in Clerum, & Populum dictorum locorum exercenti jus esse retinendi Vicarium, & Tribunal cum familia armata, & carcere *Gonzalez. in lib.*1. *Decret. tit.* 29. *num.* 11., *Rot. coram Dunozett. jun decis.*652. *num.*7., *& coram Molines decis.*103. *num.*6.; erigendi in quibuslibet Ecclesiis beneficia Ecclesiastica, Jurapatronatus reservandi, ac transferendi *Rot. coram Falconer. de Territor. separ. decis.*20. *num.*3.; dandi facultatem concionandi, & benedictionem Concionatoribus impartiendi *Barbos. de potest. Episcop. allegat.*76. *num.*19., *Pignatell. consult. canon. tom.*4. *consultat.*202. *num.* 45.; concedendi licentiam exponendi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum *Fagnan. in cap.* 19. *num.*77. *de offic. Ordinar.*, *Passerin. de Stat. homin. quæst.* 187. *art.*1. *num.*90.; & omnes Ecclesias visitandi *Rota cor. Crispo decis.*341. *num.*6., *& in Burgen. juris visitandi* 27. *Januarii* 1716. §. *Cum cor. Cerro*.

Ex eodem pariter principio deducit, jus sibi esse exequendi omnes

omnes Apostolicas literas alteri, quam Episcopo Caputaquensi directas *cap.20. de concess. Præbend.*, *Corrad. in Prax. matrimonial. lib.7. cap.4. num.25.*, *Amayden. de styl. Datariæ lib.1. cap.19. in princip.*; licentiam Clericis a dictis locis discedentibus dandi *Barbos. de offic. Paroc. part.1. cap.8. num.63.*, *Tamburin. de jure Abbatiss. part.1. disputat.14. quæst. 1. & 3.*; concedendi licentiam celebrandi matrimonia *Piton. discept. Eccles.20. num.10.*, *Rota post Tambur. de jure Abbatiss. dec.43. num.11.*; examinandi Ordinandorum requisita; faciendi publicationes; relaxandi Edicta; ac recipiendi probationes, & testes super verificatione tituli, vel Patrimonii *Gratian. discept.430. num. primo*, *Pignatell. consultat.13. num.13. tom.3.*; quascumque personas absolvendi a juramento ad effectum agendi, seu excipiendi in judicio *Guttierez de Juram. part.1. cap.66. num.5.*, *Leuren. lib.2. tit.24. quæst.298. num.3.*; & demum ab omnibus Administratoribus, & Procuratoribus locorum piorum exigendi rationes, *Pax Jordan. tom.2. lucubrat. lib.7. tit. 9. num.25.*, *& Piton. de controvers. Patronor. allegat. 23. num. 10.*

Ita adamussim immemorabili consuetudine servatum fuisse. Bajulivos enim pro tempore semper Vicarium, & Tribunal cum familia armata, & carcere retinuisse: beneficia in quibuslibet Ecclesiis dictorum locorum erexisse, Juspatronatus reservasse: indulgentias promulgasse: facultatem concionandi dedisse: benedictionem Concionatoribus impertitos fuisse: licentiam exponendi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum concessisse: omnes Ecclesias visitasse: litteras Apostolicas alteri, quam Episcopo Caputaquensi directas exequutos fuisse: Clericis discedentibus, vel Personis matrimonio jungendis licentias dedisse: requisita Ordinandorum examinasse: recepisse probationes, & testes: publicationes fecisse: Edicta relaxasse, atque redditionem rationum ab Administratoribus, & Procuratoribus locorum piorum exegisse.

Contra Episcopus inquit, jam per rem judicatam Sacræ hujus Congregationis firmatum esse, sibi competere Ordinariam jurisdictionem in dictis locis *Rhodii*, *& S. Mauri*: Bajulivum proinde nec territorium separatum, nec jurisdictionem quasi Episcopalem in dictis locis habere: eidem idcirco jus non esse retinendi Vicarium, & Tribunal cum familia armata, & carcere *Card. Petra ad Constitut. Apostol. Alexand. III. sect.1. num.72.*, *Rot. coram Falcon. de off. Ordinandor. decis.2. num.11.*; nec beneficia erigendi, nec jurapatronatus reservandi, vel transferendi *Pignat. consult. canon.85. num.15. tom.5.*, *Rot. in Nuperrimis dec.278. num.1. tom. primo*; nec Indulgentias promulgandi *Card. Petra ad Constit. IV. Callisti III. sect.2. num.96.*, *Rot. in Brictinorien.*, *seu Nullius Fori Pompilii Jurisdictionis 28. Aprilis 1725. §. final. coram Cerro*; nec concedendi licentiam Concionatoribus, iisdemque be-

nedictionem impertiendi *Lotter.de re beneficiar. lib.2.qu.24. num.113.*, *Ventr.de jurisdict. Archiepisc. cap.96. num.4.*; nec licentiam exponendi Sanctissimum Sacramentum *Clericat. discord. forens. disc.31. num.7. tom.3.*, *Monacell. in formul. legal. lib.1. tit.6. formul. 20. num.2.*; nec Ecclesias non subjectivè unitas visitandi *Rot.decis.333. per totum par.13.Recent.*, *& in Tuden. Jurisdictionis 16. Februarii 1739. §. 2. coram Millino*.

Insuper ex eodem Territorii separati, vel Jurisdictionis quasi Episcopalis defectu concludit Episcopus, Bajulivum non posse litteras Apostolicas executioni demandare *Card.Petra ad dictam Constitut. Callisti III. sect.2. num.38.*; nec licentiam Clericis a dictis locis discedentibus dare *Argir.disceptat.Eccles.lib.4. disceptat.2. num.16. & seqq.*; nec concedere licentiam celebrandi matrimonia *Pont.de Matrimon. lib.5. cap. 11. num.13.*: Nec examinare Ordinandorum requisita, recipere probationes, ac testes super verificatione tituli, ac patrimonii: Nec relaxare Edicta *Fagnan. in cap. significasti n.12. & seqq. de officio Archidiaconi*, *Rot. coram Falconer. de officio Ordinarii dec.12.num.10.*: Nec a juramento absolvere *Azor. Instit. moral. lib.4. cap.9. quæst.6. in fin.*, *Suarez de Religione tom.2. tract.4. lib.2. de juram. cap.41. num. 12.*, *Sanchez in Præcept.Decalogi tom.1.lib.3.cap.31.num.39.*: Nec redditiones rationum ab Administratoribus, & Procuratoribus locorum piorum exigere *Rot. in Recent. decis. 70. num. 53. part. 13.*, *& coram Molines decis. 103. num. primo*, *& in Ratisbonen. Jurisdictionis 21.Febr.1760.§.5. coram Azpuru.*

Spernendos vero esse actus a Bajulivo adducendos: hos tantum probari ex informibus testibus, & illegalibus monumentis: nulla immemorabili consuetudine, vel saltem quadragenaria cum titulo munitos esse: nullibi insuper probari Episcopo sciente, & consentiente exercitos fuisse: ineptos proinde esse ad legitimam præscriptionem inducendam *Fagnan. in cap. Cum ad Ecclesiarum num.32. de offic. Ordinar.*, *& plenè Clement. in Concord. Pastoral. part.1. cap.7. num. 57.*

Advertit demum Episcopus, suos Antecessores in dictis locis *Rhodii*, & *S. Mauri* sacras Visitationes semper explevisse: licentiam Sacerdotibus administrandi Sacramenta dedisse: Ordines Sacros absque ulla Vicarii Bajulivi admixtione contulisse; litteras Apostolicas semper exequutos fuisse: testimoniales de statu libero concessisse, & omnimodam jurisdictionem ab immemorabili semper exercuisse: Ex his autem actibus ab Episcopis exercitis depulsam fuisse quamcumque præscriptionem *Clement. loco citato num. 59.*, *& Argir. discept. Eccles. lib. 4. disceptat. 3. num.3. & seqq.*

Prælatorum Episcopo inferiorum triplex est species: prima, & infima Regularibus etiam communis eorum est, qui una cum

cum Ecclesia, ejusque Ecclesiæ Clericis, & Administris, quibus præficiuntur, immediatè subsunt Romano Pontifici: secunda eorum, qui habent quidem jurisdictionem activam in Clerum unius, vel plurium locorum cum exemptione passiva ab Episcopi jurisdictione, unicè exceptis, quæ ad Ordinem, vel legem Diœcesanam spectant: Tertia eorum, qui plenius obtinent, quæ ad Episcopos lege jurisdictionis spectant, & Ordinariam, & quasi Episcopalem jurisdictionem in Clerum, & Populum unius, aut plurium locorum habent, qui a suorum Episcoporum Diœcesi penitus separati, & avulsi sunt, propriumque territorium constituunt. *Petr.ad Constit.Apost.6.Alex.III.sect.1.n.5.Clement.in sua Conc.Pastor.par.1.cap.4.n.64.& seqq.*

Quum Sacra Congregatio jam definiverit *spectare ad Episcopum jurisdictionem Ordinariam in Clerum, & Populum, quo vero ad Ecclesias subjectivè unitas delegatam*, extranea prorsus est quæstio vel de territorio separato, vel de Ordinaria Bajulivi jurisdictione in dictis locis *Rhodii, & S.Mauri*: Unica hinc superest inspectio, an saltem Bajulivus quoad controversos actus Ordinariam, & quasi Episcopalem jurisdictionem acquisiverit. Acquiritur autem quasi Episcopalis jurisdictio privilegio, vel expresso, vel præsumpto ex immemorabili consuetudine, aut quadragenaria cum titulo *Cap.Personæ de privil.in 6., Ros.de resid.Episc.cap.4.sect.6. n.446., Rot.cor.Merlin.dec.8.num.6., & latè in dec.819.num.26. coram Molines.*

De privilegio expresso Bajulivus non docet, præsumptum adducit ex consuetudine eam jurisdictionem exercendi, Perpendendum hinc, an allegata consuetudo probata sit; an sit immemorabilis, vel quadragenaria cum titulo; an ejusmodi sit, quæ præscribere potuerit omnes controversos actus, illosque etiam, qui vel ad Ordinem Episcopalem referuntur, vel expresse vetiti sunt Prælatis inferioribus, ut præsertim de Prælatis Episcopo inferioribus declaravit Sacra Congregatio Rituum *die 27.Septemb.1659.* approbante san mem. Alexandro VII.§.12. *Indulgentias impartiri, vel publicare non audeant absque expresso Sedis Apostolicæ Indulto*; & §.20. *Concionatoribus, qui eorum Subditis Verbum Dei prædicandi onus acceperint, benedictionem elargiri non præsumant, sed Episcopis, quibus hujusmodi jus privative competit, omnino dimittant.*

Sacra Congregatio in una *Guardien.* inter Episcopum, & Commendatarium Sancti Primiani Religionis Hierosolymitanæ propositis inter cætera *VII. An ad Episcopum spectet destinare Concionatorem in Oppido Aquaviva, & cogere Communitatem ad solvendam mercedem juxta solitum Diœcesis. VIII. An præstare licentiam concionandi in eodem Oppido. IX. An dare licentiam Parocho abessendi.* Die 15. Januarii 1695. respondit in omnibus *Affirmative.* Viden.folium *diei 24.Maii 1732.*

Advertendum tamen, diversimode acquiri posse Ordinariam, & quasi Episcopalem jurisdictionem, scilicet vel cumulative cum Episcopo, itaut Prælatus inferior æque, ac Episcopus eamdem exerceat; vel privative ad Episcopum, itaut solus Prælatus inferior illam exercere possit, & nonnisi habitu jurisdictio penes Episcopum resideat. Ad hanc privativam jurisdictionem acquirendam non tantum requiritur, ut Episcopus eamdem nunquam exercuerit, sed etiam ut Prælatus inferior contradixerit, & Episcopus acquieverit *Imol. in cap. Dilectus num.3.de off. Ordin., Prosper. de territ. separ. quæst.3. num.32., & Rot. in Recent. decis.* 491. *num.*8. *part.*1.

Spectat ad Sapientissimos Patres singulis, qua solent maturitate, perpensis, diffinire:

I. *An, & ad quos effectus, & pro quibus causis, & personis Bajulivus Sanctæ Euphemiæ in locis* Rhodii, & Sancti Mauri *possit habere Vicarium, & Tribunal cum Familia armata, & Carcere?*

II. *An, & in quibus Ecclesiis possit erigere Beneficia Ecclesiastica, jurapatronatus reservare, vel eorumdem translationem approbare, & Indulgentias publicare?*

III. *An, & pro quibus Ecclesiis possit concedere facultatem concionandi, & Benedictionem impartiri Prædicatoribus?*

IV. *An, & in quibus Ecclesiis possit concedere licentiam exponendi Sanctissimum Sacramentum?*

V. *An, & quas Ecclesias visitare possit?*

VI. *An, & quas Litteras Apostolicas exequutioni demandare possit?*

VII. *An, & pro quibus personis licentiam pro discessu concedere valeat?*

VIII. *An, & pro quibus personis Vicarius licentiam celebrandi matrimonia impartiri possit?*

IX. *An, & pro quibus personis possit examinare requisita Ordinandorum, recipere probationes, relaxare Edicta, ac etiam Testes verificare super verificatione Tituli, vel Patrimonii?*

X. *An, & quas personas absolvere possit a juramento ad effectum sive agendi, sive excipiendi in judicio?*

XI. *An, & a quibus Administratoribus, & Procuratoribus locorum piorum possit exigere rationes?*

Non proposita, cum sequentibus.

EYSTETTEN., SEU BAMBERGEN. Joannes Pancratius Veeber oriundus a Civitate Schesliz Diœcesis Bambergensis, & Canonicus Collegiatæ Ecclesiæ SS. Nicolai, & Emerani Spaltæ Diœcesis Eystetten. in suo extremo elogio diei 10. Decembris 1736. hæredem in suis bonis quasi Castrensibus instituit dictam Ecclesiam Collegiatam Spaltæ *cum intentione, & conditione, sine qua non, ut ex illis assumpta notabili summa ex Fabricæ ratiociniis, quæ ex principali clementia Suæ Celsitudinis Francisci Ludovici piissimæ memoriæ notabiliter, Deo adjuvante, augebitur, hæc, ab origine, interventa morte Serenissimorum Fundatorum nondum penitus extructa Ecclesia Collegiata, tandem in statu completo una cum lapideo, non ligneo, & gypso tectorio inducto fornice (qui ejusmodi fornix impossibiliter, uti lapideus, durare potest) ponatur.* *Sess. 22. cap. 6. de Reformat.*

Certam inde dedit formam implendo operi his verbis: *Intentio mea (si mihi Deus gratiam conferre dignaretur) est hæc, ut anterius in Choro fiat Corana cum Lucerna utraque ex thoplis, vel de paleis coctis lateribus, uti & tota Ecclesia ex ejusmodi lapidibus, utpote qui non adeo graves sunt concamerata fiat. Ut autem structura hæc duratura sperari possit, duodecim, vel quatuordecim pilæ per totam Ecclesiam apponi deberent ad ejusmodi lapideum fornicem, ne muros extrudet, obfirmandum. Item utraque turris in eadem, & simili altitudine impositis coronis ædificetur: Ipsa autem Ecclesia ab infra ita expleatur in eam altitudinem, ut non amplius descendere, sed in quovis Ecclesiæ ingressu unum saltem gradum ascendere necesse sit. E contrario muri duobus, aut pluribus saxis quadratis adhuc elevantur, & id per totum ambitum ad ambas usque Turres.*

Ac demum voluit; *sin autem ad ejusmodi structuram, ut Ecclesia tali methodo honorifico, & duraturo in statu ponatur, præprimis ad fornicem lapideum formandum, animus non adjiciatur, aut intractabilis hæc structura agnoscatur, quod tamen sperare nolo, tunc meus hæres universalis supramemoratorum bonorum quasi Castrensium est paupercula Ecclesia Parochialis Civitatis Schesliz Diœcesis Bambergensis, in qua baptizatus fui.*

Vita functo Canonico Veeber anno 1748. valor ejus hæreditatis repertus fuit in florenis 6301., qui ope multiplici pervenerant anno 1764. ad florenos 10840. Verum licet anno 1763. ex pia dispositione Urbani Lehembaur Canonici ejusdem Collegiatæ, qui eamdem Collegiatam hæredem instituit, accesserit summa florenorum 12171., cum tamen ex peritorum judicio necessaria habita fuerit summa florenorum 30000. ad complendum opus juxta formam a Canonico Veeber præscriptam, ad illud adhuc impares sunt tum hæreditates Canonici Veeber, & Canonici Lehembaur, tum reditus fabricæ Ecclesiæ, qui ad florenos 1349. vix ascendunt.

Hinc cum ædificii Ecclesiæ vetustas, ac pessima conditio celerrimam exposcat instaurationem, ad hanc autem implendam

dam secundum formam a Canonico Veeber datam, sufficiens desit pecunia, supplicat proindè Capitulum, ut ope commutationis voluntatis Canonici Veeber *structura novi ædificii fiat cum fornice ligneo ex gypso, omissis [quæ juxta formam Testamenti Veeberiani requirebantur] in Choro Cuppula, fornice lapideo per totam Ecclesiam, atque requisitis ad hanc firmandam duodecim, vel quatuordecim firmis pilis, nec non altera Turri ad unius altitudinem evehenda, cæteris verò juxta prædictam voluntatem Decani Veeber servatis.*

Ait Capitulum, volitam a Canonico Veeber fuisse fornicis constructionem: Substantiam voluntatis impleri sive lapideus, sive ligneus fornix construatur: Petitam proinde commutationem mera accidentia, non substantiam voluntatis respicere, ac urgente levi causa facillimè esse concedendam *Monet. de commut.ult.volunt.cap.5.num.391., Piton. discept.Eccles. tom.3.disceptat.69.num.3., & Rot. coram Molines decis.381. num.5.*

Justam autem commutationis causam abundè concurrere: Ecclesiam valdè oblongam esse: Fornicem lapideum ad onus substinendum quatuordecim exposcere columnas. Dispendii illum esse saltem florenorum 30000: Capitalia hæreditatis Veeber, & Lehembaur, atque reditus Fabricæ ad tale onus inepta prorsus esse: Nonnisi proindè ad longævum tempus protrahi opus necesse esse: Hinc non occurri urgenti Ecclesiæ necessitati dilationem non patienti. Insuper advertit, fornicem lapideum in illis regionibus obsoletum esse: Ecclesiam obscuriorem, ac voces Chori obtusas reddere: & ob grave ejusdem pondus periculum pervetustis muris imminere, ne nimio onere pressi ruant, ac discindantur.

Contra verò fornicem ligneum perfici posse sola summa florenorum 23000. hos rectè haberi ex hæreditatibus Veeber, & Lehembaur, & reditibus Fabricæ: statim hoc modo opus compleri posse, & urgenti Ecclesiæ necessitati occurri: minoris etiam esse ponderis, proculque abesse ruinæ periculum: in usu esse penes omnes Ecclesias: vocibus Chori magis convenire: ornamenta splendidiora, & elegantiora reddere: ac demum ejusdem esse durationis: certissima ejus rei argumenta esse antiquissimos ligneos fornices Ecclesiarum PP. Ordinis Prædicatorum, Augustinianorum, S.Francisci, aliorumque, qui a longissimo tempore integri manent, & illæsi.

Non tam proindè evidentem Ecclesiæ utilitatem, quam præcisam necessitatem suadere, ut ope lignei fornicis statim Ecclesiæ necessitati occurratur: Hinc attendendam non esse contrariam Canonici Veeber voluntatem, cum de hac commutationis gratia precisè petatur: Fortius, quia ipse sperabat aliquid suæ hæreditati accessurum ad opus complendum ab hæredibus bon.mem. Episcopi Francisci Ludovici, & ni-

& nihil additum esse; sperabat maximum habendum auxilium ex reditibusFabricæ,eos tamen in alias urgentiores necessitates absumptos vix in summa flor.1349. extare: Delusa idcirco tam multiplici concepta spe Testatoris, ab ejusdem voluntate alienum non esse, ut saltem meliori, & utiliori modo consulatur necessitati suæ Ecclesiæ,ex cujus reditibus peculium hæreditatis profectum est.

Injustè verò contradicere Ecclesiam Parochialem in Schesliz substitutam: nullum certum jus eidem quæsitum esse: posse Capitulum diuturniori multiplico omnem ejusdem spem fallere: posse opus incipere, & nonnisi post diuturnum tempus idem complere: nullum ideo damnum ei ex commutatione afferri: Cæterum in gratiis concedendis quodcumque præjudicium spernendum esse, quando, prout in casu, maxima obvenit Collegiatæ utilitas, quæ interim non cogitur inanes aggredi restaurationes, vel ad longum tempus easdem differre, sed statim potest elegantiori forma urgenti Ecclesiæ necessitati consulere, eamque firmiter reficere, ac ornare.

Contra vero Ecclesia Parochialis in Schesliz inquit, Canonicum Veeber expresè fornicem ligneum, & ex gypso prohibuisse, ac lapideum præscripsisse: sub hac expressa conditione Collegiatam hæredem instituisse: eadem conditione quomodocumque sive casu, sive impotentia non impleta, substituisse Parochialem Ecclesiam in Schesliz: secundum preces proindè Capituli non tantum evertendam esse enixam Testatoris voluntatem, sed substitutionem quoque Ecclesiæ Parochialis esse æquè abolendam: Porrò Testatorum voluntates religiosissimè esse servandas *Piton. de controv. Patron. alleg.*50. *per tot.*, *Pignatell. consf.* 148.*num.*11.*to.*4. Et jus tertio quæsitum nullo jure abrogandum *Fagnan. in cap. nos quidem num.*34. *de testam.*, *& Rot. Recent. decis.* 54. *num.*41. *part.*13.

Spernendam hinc esse elegantiorem, aptioremque Templi ex ligneo fornice structuram, semel ac Testator stabilitati unicè intentus ex lapidibus confici jussit, ex lignis expressè vetuit: Spernendam item asertam impotentiam, semel ac Testator etiam in casu impotentiæ Parochialem in Schesliz substituit: maxime quia fornix lapideus commodè fieri potest ex hæreditatibus Veeber, Lehembaur, ex reditibus Fabricæ, & ex contributione a singulis Canonicis de jure facienda.

Adjicit demum, claram esse suam substitutionem: jus non eventuale, sed certum ex eadem habere: immò sibi jus jam quæsitum esse, & institutionem Collegiatæ evanuisse, quia per duo de viginti annos Testatoris voluntas, & injuncta conditio impleta non fuerit *Rot. Rec. decis.* 54. *num.* 6. *part.*13., *coram Falconer. de Fideicom. decis.*58.*num.*4.,etiamsi omnis culpa, vel dolus abfuerit *Gobb. consul.* 16. *num.*32.,
The-

Thesaur. decis. 170. *num.* 25., *& Rot. coram Molines decis.* 1081. *num.* 404., & nulla monitio, ac interpellatio præcesserit *Bonden. collect. leg.* 22. *num.* 27., *& Rot. coram Bich. decis.* 132. *num.* 31.

Canonicus Veeber Testator non solum de Ædificio Ecclesiæ Collegiatæ instaurando cogitavit, sed certam formam, ac modum ejusdem instaurationis præscripsit: dum verò quæritur, an descriptus modus, vel forma per æquipollens impleri possit, communis distinctio est inter formam *substantialem, & effectualem. Si substantialis est*, nequit aliter quam scriptum est impleri *Altogr. cons.* 46. *num.* 21., *de Comit. de fideicomm. decis.* 38. *num.* 9., *Rot. in Romana Immissionis* 20. *Februarii* 1736. §. *Itaque coram cl. mem. Card. Calcagnino*. Si verò *effectualis*, potest alio modo impleri, dummodo idem sequatur effectus *Palma Nep. alleg.* 342. *num.* 12., *alleg.* 343. *num.* 14., *Card. de Luc. de fideicom. disc.* 45. *num* 4., *Rota in Romana, seu Forolivien. fideicommissi* 20. *Maji* 1720. §. *Cum coram Foscaro*.

Substantialis dicitur, cum Testator speciali ex causa illam elegit, *Balduc. ad Ramen. cons.* 28. *n.* 9., *de Comit. decis.* 16. *n.* 31. vel præcisè, & circumscriptis verbis illam servari jussit, *Altograd. cons.* 46. *num.* 29., *Rot. decis.* 36. *par.* 16. *num.* 6., *& in Verulana Successionis* 12. *Februarii* 1748. §. 5. *coram cl. mem. Card. Caprara*: maxime si clausulis usus est *non alias, aliter, nec alio modo*, *Fusar. de substit. quæst.* 460. *num.* 14., *Rot. cor. Molines decis.* 1007. *num.* 2., *& in Romana Immissionis* 7. *Maji* 1737. §. *Hic coram de Vais*: *Effectualis* verò, quæ ideo a Testatore apposita est, ut sequatur effectus, quem voluit *leg. Mulier* 22. *ff. ad Senat. Trebell.*

Ambigi ideo nequit formam a Canonico Veeber præscriptam vere substantialem esse, & nonnisi ope commutationis ejusdem voluntatis alteri diversæ formæ locum esse posse. Perpendendum hinc, an justa, & necessaria commutationis causa concurrat. Viden. folium *in Feretrana* 29. *Novembris proxime elapsi*. Placeat igitur EE. VV. sua prudentia, & doctrina decernere.

An sit consulendum SSmo pro gratia commutationis voluntatis Pancratii Veeber in casu &c.

Sess. 22. *cap.* 6. *de Reformat.*

VASIONEN., SEU VERULANA COMMUTATIONIS VOLUNTATIS. Francisca Roche municeps Oppidi S. Cæciliæ Vasionen. Diœcesis in suo Testamento anni 1730. pluribus in beneficium incolarum, & pauperum ejusdem Oppidi præscriptis, & præsertim celebratione binarum annuarum Missarum solemnium in Parochiali Ecclesia diebus Sanctæ Franciscæ, & B. Mariæ Virgini Angelorum dicatis, quibus fieri quoque mandavit expositionem San-

Sanctissimi Sacramenti, hæredem ex asse instituit Joannam Mariam Sororem, & post hujus obitum voluit, ut ex fructibus suæ hæreditatis multiplico collocarentur scuta Rom. 480., donec cumulata esset summa scutor. Rom. 1200., cujus reditus erogarentur *per il mantenimento di un terzo Prete, il quale sarà tenuto di servire la Parrocchia del detto luogo di S. Cecilia col Signor Vicario, e col secondo Prete, ed amministrare gli Sagramenti, ed altre funzioni Corali, quando ne sarà richiesto per parte degli abitanti di S. Cecilia, e suo territorio, o per parte del detto Signor Vicario.*

Jus eligendi tertium hunc Sacerdotem dedit Vicariis pro tempore ejusdem Oppidi; eum voluit esse perpetuum, non amovibilem; suos Consanguineos semper præferri; & si unquam ex alterius pietate statueretur alius tertius Sacerdos vivente Maria hærede, substituit Xenodochium ejusdem Oppidi cum onere tum dictas Missas celebrandi, tum expositionem Sanctissimi Sacramenti Statutis diebus habendi; & demum in Executores pro perpetuo pecuniæ investimento elegit Vicarios, & Consules pro tempore ejusdem Oppidi, nec non tertium Sacerdotem eligendum, si veteribus Capitalibus extinctis nova essent comparanda.

Vivente adhuc Joanna Maria hærede, Sacerdos Hyacinthus Imperj ejusdem oppidi anno 1751. instituto Josepho Nepote hærede, post hujus obitum constituendum jussit *un quarto Prete per servire la detta Parrocchia di S. Cecilia, ed accudire al bisogno spirituale di quella*, & jus nominandi dedit primo Consuli pro tempore dicti loci. Post hæc licet Joanna Maria e vivis excesserit ab anno 1759. relicto hærede Sacerdote Aloysio Arnaud, otiosa tamen remanet adhuc quantitas scutorum 480. multiplico destinata ob varias, quæ exarserunt inter Executores dissensiones circa ejusdem investimenti qualitatem.

Hinc dictus Sacerdos Aloysius hæres, qui a tanto tempore eam pecuniam retinet otiosam, quum, patriis laribus derelictis, se receperit in Ruralia loca nuncupat. *Scifellis* Verulanæ Diæcesis, ibique pro commodo pauperum incolarum Ecclesiam funditus extruxerit, supplicat, ut onera a testatrice injuncta in Ecclesia Oppidi S. Cæciliæ ope commutationis voluntatis impleantur in nova Ecclesia loci *Scifellis* per Sacerdotem aut a se, aut ab Episcopo eligendum, qui contentus esse debeat annuo reditu dicti Capitalis scutor. 480.

Advertit enim loca *de Scifellis* campestria, ac montuosa esse, tribus milliaribus a Civitate Verulana dissita: incolas rudes, ac pauperrimos esse: ob Cappellani deficientiam sæpe Sacra diebus festis non audire: Spiritualia munera non obire: raro Sacramenta percipere: pueros rudimentis fidei non edoceri; hinc Spiritualis salutis damnum, ac perniciem obvenire.

Oppidum vero S. Cæciliæ ne vix 2000. animas numerare: duos habere Sacerdotes, Vicarium nempe, & secundarium: post obitum brevi secuturum septuagenarii Josephi Imperj alterum ex pia dispositione Hyacinthi Imperj Sacerdotem esse accessurum: abunde proinde per tres Sacerdotes ejusdem Oppidi necessitati consultum fore.

Non tam igitur deesse quodlibet damnum Oppidi S. Cæciliæ, sed undique justam, necessariamque commutationis Causam concurrere, qua non substantia dispositionis pervertitur, sed tantum in diverso loco eadem voluntas pinguius, & uberius impletur: immo Testatoris voluntati maxime consonum esse, ut ibi impleatur, ubi uberiores, & pinguiores sunt fructus.

Nec jure conqueri Parochum, & Consules de auferenda sibi tertii Sacerdotis electione, quum hujus institutio defecerit ob impletam conditionem alterius Sacerdotis instituti ab Hyacintho Imperj: Injuria item contradicere Xenodochium, quum inciderit in privationis pœnam ob retentam ab anno 1759. pecuniam otiosam, ob neglectum investimentum, & non impletam Testatricis voluntatem.

Contra Communitas, ac Xenodochium Oppidi S. Cæciliæ inquiunt, defunctorum ultimas voluntates religiose servandas esse *Cap. ultim.* 13. *quæst.*2. *Rot. coram Caval. decis.*374. *num.*2., *& in Romana Fundationis* 4. *Julii* 1755. *§.* 4. *coram Elephantutio*, præsertim si clara sit, & enixa, *Rot. penes Ceccop. to.* 3. *decis.*22. *num.*5.; hinc nonnisi probata justa, & necessaria Causa locum esse commutationi *Sac. Congreg. in Romana Commutationis Voluntatis* 1. *Julii* 1741. *in Messanen. Commutationis Voluntatis* 18. *Novembris ejusdem anni*, *& in Cingulana Commutationis voluntatis* 9. *Septembris* 1752.

Nullam autem concipi posse justam, ac necessariam causam, cur institutio Sacerdotis volita a Testatrice originaria S. Cæciliæ pro commodo, & utilitate suæ patriæ, ad dissita, & longinqua loca *Scifellis* omnino Testatrici incognita transferatur: Cur eadem Sacerdotis institutio auferatur ab Oppido S. Cæciliæ, cui necessaria est, ut alterius loci necessitatibus consulatur: Demum cur pauperes Xenodochii S. Cæciliæ suo jure quæsito priventur, ut solamen habeant, ac commodum sentiant Villici, ac rustici loci de *Scifellis*.

Falso autem opponi, hujus tertii Sacerdotis institutionem caducatam remansisse ob quarti Sacerdotis erectionem volitam ab Hyacintho Imperj: non purificato enim præciso, expressoque casu erectionis tertii Sacerdotis, caducitatem non incurri per institutum quartum Sacerdotem. Amplius vero quum in casu prætermittendæ institutionis tertii Sacerdotis ex dispositione Franciscæ substitutum ab ipsa fuerit Xenodochium; in quovis proinde eventu omne hæredis arbitrium penitus conticescere debere.

Mon-

Monstuosam hinc esse petitam commutationem: maxime propter jus jam quæsitum Parochiali Ecclesiæ S. Cæciliæ, ubi hactenus functiones, & Sacra ab Testatrice præscripta religiose impleta fuerunt, & ob præjudicium insuper, quod obveniret Consanguineis Testatricis passiva electione donatis.

Episcopus Verulanus vota Oratoris adjuvat; Episcopus vero Vasionen. late commutationem impugnat: Viden. utriusque relationes, quæ apud monumenta Causæ habentur.

Inutile est, ea hic repetere, quæ de hoc supremarum voluntatum commutationum argumento sæpius dicta sunt. Quare EE. PP. respondere dignabuntur.

An sit consulendum SSmo pro commutatione Voluntatis in casu &c.

BAREN. Capitulum Collegiatæ Ecclesiæ TerræMolæ conqueritur tum de excessiva quantitate Cathedratici in annua summa Ducatorum 22. 60., tum de subsidio Charitativo Ducat. 80. ab Archiepiscopo Baren exigi solito; simulque conqueritur de Strenis in annua pariter summa Ducat. 22. 60. Archiepiscopo, illiusque Familiæ, & in annua summa Carolenorum decem ArchidiaconoCathedralis præstitis, petitque Cathedraticum minui, reliqua deleri, omniaque injustè exacta restitui. De singulis particulare Dubium proponitur. *Sess. 23. cap. 3. de Reform.*

De Cathedratico inquit, statutam esse quantitatem duorum solidorum tum *in Can. Placuit X. quæst. 3.*, *tum in Concilio Romano Tit. 8. de Cathedr.*: Valorem duorum solidorum respondere duobus Ducatis Regni Neapolitani juxta declarationem Benedicti XIII. *in Synodo Beneventana anni* 1687. *cap.* 15.: Duo tantum proinde Ducata Cathedratici titulo persolvenda esse Sac. Congr. *in Maceraten. Cathedratici* 8. *Maji* 1734., *& in Cassanen. Cathedratici* 21. *Maji* 1735.

Frustra recurri ad consuetudinem solvendi Ducata 22. 60.: Hanc enim nec in facto subsistere, cum pluries in longè minori summa solutum fuerit: Ineptam insuper in Jure esse, cum nullibi probetur legitimè fuisse inductam, in contradictorio Judicio probatam, & justo titulo præscriptam *Fagnan. in Cap. Consuetudines num. 3., & seq. de Consuetud.*, *& Piton. de Controv. Patron. alleg. 57. num. 81.*

Hinc Archiepiscopo non prodesse consuetudinis præservationem factam in Concilio Romano, cum ea tantum præservata intelligenda sit, quæ in Judicio probata, & legitimè præscripta sit. Putat insuper, eas ibi præservari consuetudines in eo, quod pertinet ad varium solidorum valorem pro more regionum: Ac demum dictum Concilium Romanum mere Provinciale fuisse, nec ad Barensem Diæcesim ullo jure extendi posse; *Bened. XIV. de Synodo Diæces. lib. 2. cap. 2. num. 6.*

De Strenis asserit, earumdem coactivam exactionem vetitam esse tum Episcopis *in d. Can. Placuit Caus.* 10. *quæst.*3., tum Archidiaconis *in Cap. Cum Apostolus §. Probibemus de Cens.*. Ita de anno 1681. ab A. C. Caprara favore Capituli Cassani contra Archiepiscopum Baren. judicatum fuisse. Nullo ideo jure fieri posse coactivam earum exactionem; maximè quia, cum a principio merè voluntario dependeant, numquam obligationem inducunt, nisi probetur contradictio, & adquiescentia. *De Marin. variar. resol. lib.* 1. *resol.* 78. *num.*8., *Zaul. ad Statut. Faven. rubr.* 14. *lib.*5. *num.*31.

De subsidio Charitativo ait, hoc esse merum Charitatis auxilium, & nonnisi in subsidium redituum Archiepiscopalium præstandum: Reditus verò Archiepiscopatus, computatis incertis, ad annua Ducata 4500. ascendere: Abundè ideo provisum esse Archiepiscopum, nec ulteriori subsidio egere: Contra vero Collegiatæ reditus, detractis oneribus, tenues esse: Iniquum autem videri quid vel minimum Capitulo egenti tollere, ut Mensæ Archiepiscopali ditissimæ addatur.

Hinc concludit, restituendam esse excessivam Cathedratici quantitatem, ac subsidium Charitativum, strenasque ab Archiepiscopo, ejusque Familia, & Archidiacono Cathedralis injustè exactas; spreta penitus præterita universali Diæcesis consuetudine, tum, quia tantum informibus, & suspectis testibus adstruitur, tum, quia uniformis non est, cum aliqua Capitula tantum Cathedraticum præstent; alia Cathedraticum, & strenas, non subsidium Caritativum; alia solum subsidium cum Cathedratico, non strenam.

Contra vero Archiepiscopus inquit, Cathedraticum descendere ex obligatione injuncta *in Can. Placuit* 10. *quæst.*3.: Valorem duorum solidorum ibi statutorum juxta Diæcesis, & locorum consuetudinem dimetiri: Ex immemorabili autem consuetudine semper in summa scut.22. 60. a Collegiata Terræ Molæ solutum fuisse: In eadem proinde quantitate etiam in posterum præstandum esse, non attentis Synodis *Romana*, vel *Beneventana*, ad Barensem Diæcesim se nullo modo extendentibus.

Ad II. ait, semper ab immemorabili tum suæ Mensæ, tum Familiæ Strenam in Ducat. 22. 60. datam fuisse: Probari id etiam ex libris Nunciaturæ Apostolicæ: Præsumi ideo quemque coactivum titulum. *Petra ad Constit. Anast. V. sect.*3. *num.*13., *& ad Constit. Pauli II. num.*35. *Vers. Verum*: Accedente præsertim universali Diæcesis consuetudine eamdem præstandi, *Bened. XIV. de Synod. lib.*3. *cap.*2., *&* 7. *per tot.*

Hinc ad III. concludit, immeritò peti restitutionem Cathedratici, & Strenarum justè datarum: Hæc omnia justè soluta, & exacta fuisse: Ideo nulli restitutioni obnoxia esse, §. *Is quoque Instit. quib. mod. re contr. oblig.*, *Rot. coram Lancetta decis.*1182. *num.*1.

Ad

Ad IV., ab immemorabili semper subsidium Charitativum in quantitate Duc. 80. præstitum fuisse: Illud sibi possessionem Ecclesiæ capienti libenter, & non coactivè Capitulum Terræ Molæ dedisse: Injuria hinc conqueri, ac reclamare. Advertit insuper suæ Mensæ reditus valdè tenues esse, ac conspicuo ære alieno Duc.11080. gravatam esse: Archiepiscopos tempore possessionis plures graves expensas ferre debuisse, ac multo ære alieno se esse gravatum: jure proinde Charitativum subsidium sibi præstandum esse.

Ab Archidiacono Cathedralis Ecclesiæ, cujus interest de V., & VI. Dubio disserere, nondum Libellum habuimus.

De Cathedratici origine, & natura viden. Folium *in Aquipendien. Cathedratici 20. Decembris proximè elapsi*. De ejus vero quantitate apertus est *Can. Placuit X. quæst.3.*: *Placuit, ut nullus Episcoporum per suas Diœceses ambulans, præter honorem Cathedræ suæ, idest duos Solidos, aliud aliquid pre-Ecclesias tollat*; cui consonat Honorius III. *in Cap. Conquerente de Off. Ordin*, & Bened. XIII. *in Concilio Romano tit.8.*

Valor autem duorum solidorum in statu Ecclesiæ respondet duobus scutis Romanis, ut declaravit Bened.XIII. *in d.Concilio Rom. tit. 8.*: *Ipso Jure Communi cautum est, ut Episcopis Cathedraticum a Clericis debeatur, quod est duorum Solidorum, viginti scilicet Juliorum, Census Cathedrali Ecclesiæ solvendus in signum honoris, & subjectionis Cathedræ Pontificali*; Et in Regno Neapolitano respondet duobus Ducatis illius Monetæ, ut declaravit idem Bened. XIII. *in sua Synodo Beneventana anni 1687. Cap.5. de Cathedr.*: *Quantitas verò usualis duorum Solidorum pro Cathedratico solvendorum juxtà Cap.Conquerente reducitur ad æstimationem duorum Ducatorum in Regno Neapolitano.*

Et licet in Concilio Romano præservatæ fuerint consuetudines Ecclesiis, & Episcopis magis favorabiles, Sacra tamen Congregatio approbavit quidem consuetudines solvendi minorem taxam Cathedratici, *ut in Ferentina Cathedratici 19. Aprilis 1760.*; abolevit verò majorem, spreta quavis consuetudine, illamque ad Concilii Romani formam reduxit, *ut in Auximana, seù Cingulana Cathedratici 31. Martii 1759., & 21. Julii ejusdem Anni.*

Strenas verò, seù Xenia pluriès Sacri Canones Episcopis, ejusque Familiaribus vetarunt exigere, multoque magis adhibita coactione; *Cap. 1. de Consuet, Cap. 1. §. Procurationes de Cens. in 6., & Conc. Trid. Cap. 2. Sess. 24. de Ref.*; Unde D. Gregorius scribens ad Felicem Episcopum Messanen., ut exemplum daret Ecclesiæ Pastoribus ait: *Nobis autem de cætero, ne quid transmittere debeat, inhibemus; & quoniam non delectamur Xeniis, Palmerianas, quas tua direxit Fraternitas, cum gratiarum actione suscepimus, sed eas,*

ne

ne quid inde potuisses sentire dispendium, digno fecimus pretio venumdari, & id Fraternitati tuæ transmisimus singillatim

Sæpius hinc Sac. Congr. Episc., & Regul. vetuit coactivam Strenarum solutionem, *ut in Reatina 6. Martii 1569.*, *in Hydruntina 25. Junii 1613.*, *in Ruben. 6. Junii 1614.*, *in Lavellen. 11. Junii 1640.*, *in Montis Pelusii 11. Decembris 1654.*, *in Hydruntina 5. Decembris 1681.*, *& in Bituntina 9. Januarii 1688.*, qua, cum Episcopus Bituntinus contenderet, sibi solvi strenam ex Massa Capitulari juxta solitum, rescripsit: *Strenam non posse præstari, nisi de eorum Præbenda, vel rata Distributionum.*

Verum, si agatur de annuis præstationibus antiquis, de quarum initio non constat, an ex liberalitate processerint, titulumque saltem præsumptum obligationis habeant, qui elicitur ex uniformi semper continuata annua præstatione, ex descriptione antiqua inter reditus Episcopales, ex coactione sequuta in casu omissæ præstationis, ex solutione facta a Communitatibus, in quibus liberalitas non præsumitur, aliisque similibus conjecturis, coactiva earumdem exactio permittenda est, & Episcopus in sua possessione est custodiendus, etsi semper sub nomine Strenarum datæ fuerint; *Rot. decis. 1069. cor. Emer. Jun.*

Hinc Sacra Congregatio *in una Ostunen. Strenæ 16. Januarii 1702.*, proposito; *An præstanda sit in futurum per Capitulum Ostunen. Rmo Episcopo dictæ Civitatis summa Duc. 100. in die Circumcisionis Domini*, censuit, *probationes esse coadjuvandas, non retardata interim solutione juxtà solitum*; injunctumque fuit Vicario Tarentino, ut citatis Partibus doceret de uniformi solutione Duc. 100. per diuturnum tempus, cumque ex Processu constitisset per centum, & ultrà annos de dicta uniformi solutione, rescripsit *die 28. Aprilis 1714. Affirmativè.*

In una *Baren. Strenæ, & Cathedratici*, qua Archiepiscopus, se esse in possessione exigendi a Capitulo Ecclesiæ Medunei Duc. 23. 90. titulo Cathedratici, & totidem nummos Kalendis Januarii nomine Strenæ, probabat ex Libris Mensæ anni 1552., ex Testimonio 43. Presbyterorum ejusdem Ecclesiæ, ex Libris Nunciaturæ Neapolitanæ, & ex Testimonio aliorum Capitulorum ejusdem Diœcesis, propositis: *I. An præstanda sit in futurum per Capitulum Majoris Ecclesiæ Medunei Rmo Archiepiscopo Baren. Strena Duc. 23. 90. die Circumcisionis Domini; II. An summa Duc. 23, & gran. 91. titulo Cathedratici præstanda sit in futurum per dictum Capitulum Rmo Archiepiscopo, seu potius sit moderanda, & in qua summa*; rescriptum fuit *die 20. Decembris 1732.*: *Dilata ad utrumque Dubium, & coadjuventur probationes juxta Instructionem, non retardata interim solutione consueti Cathedratici tantum.*

Instructio autem hæc fuit: *Cupit enim Sac. Congreg., quod extra-*

trahantur formiter partitæ ex libris Capitularibus , quodque etiam Ampl. Tua transmittat Documenta descriptionis tam Strenæ , quam Cathedratici , quatenus existat in Inventariis , vel libris Mensæ Archiepiscopalis cum distinctione Temporis , & summæ ; Prætereà , quod doceatur cum eadem distinctione de consuetudine aliorum Capitulorum tam circà Strenam , quam circà Cathedraticum ; & denique explicetur , an in Visitatione Modunei solvat Capitulum Procurationem , ultrà Strenam , & Cathedraticum ; ut ex libro 28. Litterarum .

Demum subsidium Charitativum sic appellatum , quià a principio ex Charitate peti debet , & non violenter extorqueri ; *Cap. Conquerente 16. de Off. Ordin.* , *Cap. Cum Apostolus 6. de Cens.* , est exactio , seù pensio ordinaria , quam Prælati Ecclesiastici , & præsertim Episcopi ex manifesta , & rationabili causa a suis subditis in subsidium exigunt , ut *ex Cap. Cum Apostolus 6. §. Prohibemus de Cens.* : *Sustinemus autem pro multis necessitatibus , quæ aliquoties superveniunt , ut, si manifesta , & rationabilis causa extiterit , cum charitate moderatum ab eis valeant auxilium postulare .*

In specie autem sufficienter rationabiles , & justæ ad exactionem Subsidii Charitativi censentur a DD. hæ Causæ : Nempè expensæ pro promotione , confirmatione , & consecratione ipsius Episcopi ; pro solvendis debitis ab ipso , vel suo Antecessore contractis in bonum commune , & necessitatem Ecclesiæ ; pro visitatione Liminum SS. Apostolorum ; pro adventù Imperatoris , Regis , aut Magni Principis , præsertim , si Episcopus ab eo habeat Regalia ; pro tuendis , seù recuperandis juribus , actionibus , ac bonis Ecclesiæ Cathedralis , seù pro bono totius Diœcesis ; *Ventrigl. prax. rer. notabil. part.* 2. *adnot.* 25. §. 1. *num.* 2. , *Barbos. de Offic.* , *& Potest. Episc. part.* 3. *alleg.* 87. *num.* 2.

Verum tunc demum Causæ hæ momenti sunt, quando Mensæ Episcopalis reditus impares sunt ad ea onera ferenda ; *cit. Cap. Cum Apostolus 6.* §. *Prohibemus de Cens.* . Hinc si Episcopus reditus habeat , qui taxam Conciliarem excedant , illud nullo modo exigere potest , Sac. Congreg. *in Gerunden. Subsidii Charitativi* 17. *Februarii* 1663. , proposito . *An Episcopi pingues reditus habentes , quià videlicet nedum congruam ipsis juxtà formam Sac. Concilii Tridentini assignatam , verum etiam duplicatam , ac longè majorem habent , possint exigere Charitativum Subsidium a suis Diœcesanis ;* respondit : *Negativè* .

Quantitas verò Subsidii Charitativi olim discreto Episcoporum arbitrio relinquebatur , dummodo taxa mediocris , & non valdè onerosa fuisset , *Monacel. in Formul. part.* 1. *Tit.* 1. *form.* 1. *num.* 41. , *Petra ad Constit.* 2. *Urbani VI. num.* 21. , & ità censuit *Sac. Congreg. in dicta Gerunden. Subsidii Charitativi*

tivi ad V. Dub. : *Esse arbitrariam pro qualitate indigentiæ, dummodo moderatam*, *& non onerosam*. Verum edita anno 1678. jussù Innocentii XI. ab hac. Sac. Congregatione Taxa nuncupata Innocentiana, in eadem de Subsidio Charitativo cautum est: *Il Sussidio Caritativo in quelle Diocesi, nelle quali sia solito di esigersi, e non altrimenti, si esiga solamente una sol volta nel primo ingresso del Vescovo secondo la Tassa solita antica di 40. anni indietro.*

Hisce præ oculis habitis dijudicent Emi Patres.

I. *An, & in qua summa Rmus Archiepiscopus Baren. possit exigere Cathedraticum a Capitulo Collegiatæ Ecclesiæ Terræ Molæ, in casu &c.*

II. *An dictus Archiepiscopus possit quolibet anno pro se, suaque Familia exigere a dicto Capitulo Strenam Ducatorum vigintiduorum, & assium sexaginta, in casu &c.*

III. *An idem Archiepiscopus tàm pro Cathedratico, quàm pro Strena sibi, ejusque Familiæ soluta teneatur restituere ipsi Capitulo exactum, in casu &c.*

IV. *An dictum* Capitulum *teneatur solvere Subsidium Charitativum in quantitate Ducatorum octoginta in ingressù novi Archiepiscopi, itaut sit locus restitutioni exacti, in casu &c.*

V. *An per dictum Capitulum sit præstanda quolibet anno Archidiacono Cathedralis Strena in Carolenis decem*, & quatenus negativè.

VI. *An dictus Archidiaconus teneatur restituere Capitulo exactum, in casu &c.*

Seff. 25. cap. 4. de Reform.

VICEN. Ecclesia Parochialis Beatæ Mariæ Villæ Pratorum Regis Vicen. Diœcesis Communitatem habet viginti trium Præsbyterorum, quorum alter Rector, alter Vicarius, & reliqui Beneficiati nuncupantur. Hi omnes, duobus tantum Beneficiatis exceptis, absque ulla distributione Choro diebus festis assistunt, Missam Conventualem canunt, & horas Canonicas, nempe tertiam, sextam, nonam, Vesperas, & Completorium recitant, pluribus Processionibus interveniunt, ac conspicuo numero Missarum, & Anniversariorum gravantur. Fructus autem, & reditus certi eorumdem Beneficiatorum vix ad annua scuta quatuor monetæ Romanæ ascendunt: incerti verò ex residentia, celebrationibus Missarum, & Anniversariorum, non detracto Procuratoris salario, constituunt in totum annua scuta 1121. 50.

Cum verò Capitalia pro dictis Missis, Anniversariis, & supplicationibus maximè consistant in censibus, fructus inexacti ob debitorum inopiam anno 1762. pervenerant ad scuta 6857.: hinc Communitas Beneficiatorum ad occurrendum suorum beneficiorum tenuitati, ac propriæ indigentiæ

tiæ supplicat, ut ex dictis fructibus, & reditibus inexactis augeantur respectiva Capitalia pro inde habendis majoribus distributionibus: Utque etiam ex proportionata singulorum Capitalium contributione certum statuatur Capitale lib. 1500. annui reditus lib. 45. deponendi in Archivio Ecclesiæ pro necessariis expensis litium, & indigentiis pro conservatione capitalium, & redituum cujusque fundationis, hac tamen lege, quod pervento deposito ad lib. 100., omne id quod superest erogetur singulis annis pro dimidia parte in celebrationem tot Missarum, & pro alia dimidia in tot Anniversaria pro animabus Fundatorum cum consueta Ecclesiæ eleemosina.

Inquit Communitas, Beneficiatos Ecclesiæ inservientes congruam ex ejusdem reditibus mercedem consequi debere, ac iniquum esse, ut assiduo, & personali servitio adstringantur, insufficiens verò subsidium habeant *Cap. Secundum* 16. & *Cap. Extirpandæ* 25. *de Præb.*, & *dign.*; Æquitati proindè, ac justitiæ consonum esse, ut sibi distributiones augeantur, ne alias a servitio Ecclesiæ recedere, vel victum emendicare, aut vilia exercere cogantur.

Nec obesse, quod dicti reditus, & fructus inexacti destinati sint pro tot Missis, Anniversariis, & Officiis: Advertit enim, olim fructus census ad septem, vel octo pro quolibet centeno fuisse: nunc ex Regia Pragmatica vix ad tria pro quolibet centenario redactos fuisse: plura insuper Capitalia periisse: & ob debitorum inopiam difficilem esse exactionem: mutatum ideo esse Ecclesiæ statum, & valdè decrevisse Presbyterorum distributiones: justam hinc adesse causam, ut pro Ecclesiæ servitio tuendo Missæ, ac Anniversaria reducantur, immò esse etiam necessariam, ne Sacerdotes congruo Subsidio privati ab Ecclesiæ servitio recedant.

Providam item contendit esse contributionem a singulis fundationibus præstandam pro constituendo Capitali librarum 1500. Assiduas, ait, esse lites contra debitores censuum, vel de validitate impositionis, vel de crediti potioritate, vel de bonorum libertate, vel de fructibus exigendis: non levem autem esse confusionem, ac laborem in detrahendis ex reditibus fundationum expensis litium, & aliis, quæ fiunt in utilitatem, & conservationem earumdem fundationum; expedire idcircò summopere, ut certus fundus pro dictis litibus ferendis constituatur ad Capitalium conservationem, & fructuum exactionem.

Maximè quia ope petitæ contributionis omnia indistinctè Capitalia, & reditus fundationum conservantur, eorumque implementum nullo unquam tempore retardari poterit, vel causa expensarum litium, vel reparationis, vel aliarum indigentiarum. Manifestam ideo esse Ecclesiæ utilitatem, ac uberiorem fundationum exequutionem.

 Epi-

Episcopus retulit = *mihi videtur petitioni præfatæ Communitatis Oratricis annui posse; hoc enim modo individui ejusdem Communitatis cum residentia, celebrationibus Missarum, & Anniversariorum in futurum majora perciperent stipendia, cessaret saltem in parte necessitas, & insufficientia pro illorum necessario, ac decenti victu, & vestitu, melius adimplerentur voluntates fundatorum, augeretur cultus divinus, ac commoditati Fidelium consuleretur, evitareturque labor, & confusio, quæ experitur in detrahendis ex reditibus fundationum expensis litium, & aliis, quæ fiunt pro utilitate, & conservatione redituum eisdem fundationibus spectantium.*

Quæritur itaque.

An, & quomodo sit annuendum in casu &c.

Die Sabbathi 4. Aprilis 1767. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

DIgnentur EE. PP. resumere Folium præteritæ Congregationis diei 14. superioris mensis, ac quinque Causas ibi descriptas mox indicandas definire.

CAPUTAQUEN. *Sess. 25. cap. 1. de Reform.*

I. *An, & ad quos effectus, & pro quibus causis, & personis Bajulivus Sanctæ Euphemiæ in locis* Rhodii, & Sancti Mauri *possit habere Vicarium, & Tribunal cum Familia armata, & Carcere?*

II. *An, & in quibus Ecclesiis possit erigere Beneficia Ecclesiastica, jurapatronatus reservare, vel eorumdem translationem approbare, & Indulgentias publicare?*

III. *An, & pro quibus Ecclesiis possit concedere facultatem concionandi, & Benedictionem impartiri Prædicatoribus?*

IV. *An, & in quibus Ecclesiis possit concedere licentiam exponendi Sanctissimum Sacramentum?*

V. *An, & quas Ecclesias visitare possit?*

VI. *An, & quas Litteras Apostolicas exequutioni demandare possit?*

VII. *An, & pro quibus personis licentiam pro discessu concedere valeat?*

VIII. *An, & pro quibus personis Vicarius licentiam celebrandi matrimonia impartiri possit?*

IX. *An, & pro quibus personis possit examinare requisita Ordinandorum, recipere probationes, relaxare Edicta, ac etiam Testes verificare super verificatione Tituli, vel Patrimonii?*

X. *An, & quas personas absolvere possit a juramento ad effectum sive agendi, sive excipiendi in judicio?*

XI. *An, & a quibus Administratoribus, & Procuratoribus Locorum Piorum possit exigere rationes?*

Ad I. Affirmative ad formam tamen Constitutionum Apostolicarum, & signanter Gregorii XIII., & Benedicti XIV. . Ad II. Negative, & quoad erectionem Beneficiorum in Ecclesiis subjective unitis videatur par-

particulariter, & amplius. Ad III. Negative, & amplius. Ad IV. Negative. Ad V. Affirmative quoad Ecclesias subjective unitas. Ad VI. Negative, & amplius. Ad VII. Affirmative quoad personas tamen addictas servitio Ecclesiarum subjective unitarum, dummodo Curam Animarum non habeant. Ad VIII. Negative. Ad IX. Negative, & amplius. Ad X. Negative. Ad XI. Affirmative quoad Loca Pia Ecclesiarum subjective unitarum tantum.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

EYSTETTEN., SEU BAMBERGEN.

An sit consulendum Sanctissimo pro gratia commutationis voluntatis Pancratii Vecber, in casu &c.

Negative, & amplius.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

VASIONEN, SEU VERULANA COMMUTATIONIS VOLUNTATIS.

An sit consulendum Sanctissimo pro commutatione voluntatis, in casu &c.

Negative, & amplius.

Sess. 23. cap. 3. de Reform.

BAREN.

I. *An, & in qua summa Rmus Archiepiscopus Baren. possit exigere Cathedraticum a Capitulo Collegiatæ Ecclesiæ Terræ Molæ, in casu &c.*

II. *An dictus Archiepiscopus possit quolibet anno pro se, suaque Familia exigere a dicto Capitulo strenam ducatorum vigintiduorum, & assium sexaginta, in casu &c.*

III. *An idem Archiepiscopus tam pro Cathedratico, quàm pro strena sibi, ejusque Familiæ soluta teneatur restituere ipsi Capitulo exactum, in casu &c.*

IV. *An dictum Capitulum teneatur solvere Subsidium Charitativum in quantitate ducatorum octoginta in ingressu novi Archiepiscopi, itaut sit locus restitutioni exacti, in casu &c.*

V. *An per dictum Capitulum sit præstanda quolibet anno Archidiacono Cathedralis strena in carolenis decem*, & quatenus negative

VI. *An dictus Archidiaconus teneatur restituere Capitulo exactum, in casu &c.*

Dilata ad primam post Agnos.

VICEN.
An, & quomodo sit annuendum, in casu &c.

Sess.25. cap. 4. de Reformat.

Non proposita, cum sequentibus,

COLONIEN. DISPENSATIONIS. Ex prænobili Viro Arnoldo Christophoro Barone de Bilandt tres orti sunt filii masculi, fœminæ duæ. His matrimonio junctis, proleque donatis, ex masculis Joannes Franciscus primogenitus anno 1752. obiit improlis. Quum reliqui duo Fratres natu minores in Sacro Subdiaconatus Ordine ambo essent constituti, quorum obitu paterna linea masculina erat defectura, hinc Arnoldus secundogenitus preces Summo Pontifici Benedicto XIV. submisit, exorans dispensationem super impedimento Sac. Ordinis, ut illo non obstante Matrimonium contrahere valeret.

Sess.22. cap.6. de Reform.

Ut gratiam assequeretur, post narratam impendentem extinctionem Catholicæ lineæ ex antiquissima Familia Baronum de Bilandt, dixit, Familiam ipsius Oratoris actu possidere Castrum, & Dynastiam Rheidanam in Ducatu Juliæ sitam, per ejus Patrem è manibus alterius lineæ Comitum de Bilandt heterodoxæ fidei via quidem juris, sed ingenti sumptu vindicatam. In ea hæreticis Incolis redundante ipsius Oratoris Patrem novam, & elegantem Ecclesiam pro Catholicis ære proprio construxisse, congruis reditibus donatam exornasse, in Parochiam erigi curasse, Catholicæ Religionis exercitium ibi suppressum nedum restituisse, verum etiam Incolas, & Subditos Catholicos adeo multiplicasse, ut hæreticorum numero sensim diminuto, Catholicorum Parochia sexcentos, & ultra jam numeraret communicantes temporis progressu indubiè augendos, quatenus Rheidanum Dominium sub jurisdictione Familiæ Catholicæ perseverasset.

Subdebat autem, quod sicuti memorata altera heterodoxa linea Comitum de Bilandt diu substinere conata fuit, sibi jus ad eamdem Dynastiam quæsitum esse ex investitura, quam a Serenissimo Comite Palatino, qua Duce Juliæ, illius Domino directo obreptitiè obtinuerat, & cujus vigore possessionem interceperat, ita periculum esse, ut extincta linea masculina Catholica, ad easdem prætensiones reditura sit linea Acatholica, & si res huic prosperè cesserit, eventurum, ut non solum ea labantur, quæ maximo Patris sumptu, ac labore pro fide, & religione Catholica gesta sunt, sed etiam, ut nulla deinceps emergendi spes Catholicis supersit.

Gra-

Gravissimæ hujus rei notionem commisit Summus Pontifex Sacræ Congregationi. At datis ab ipsa litteris Officiali Colonienu pro informatione, & voto, tametsi post biennium pervenerit anno 1754. ejusdem Officialis relatio narrata confirmans, votisque annuens Oratoris, is adhuc petitionem deferens, anno 1759. vita decessit.

Sex aliis deinde revolutis annis, pro eadem dispensatione Sanctissimo supplicavit Carolus Gaspar tertiogenitus unicus masculus suæ Familiæ modo superstes, & annum agens quinquagesimum quartum. Ejus autem precibus Sac. Congregationi pariter ablegatis, consultoque de more super ipsis Officiali Coloniensi, cujus relatio inter monumenta Causæ conscripta est, Contradictores sese præbent tum Oratoris Sorores, tum etiam Hadrianus Joseph de Bilandt ex Comitibus Catholicis in Melden, quorum libellus contextualiter circumfertur.

Latius repetit hodiernus Orator, quæ ad implorandam dispensationis gratiam exposuerat defunctus Frater. Ait enim, urgere primum privatas rationes, ut dispensationis ope propagetur Catholica linea nobilissimæ illius Familiæ, cujus altera linea ab Orthodoxa Religione descivit: concurrere merita, quæ eidem lineæ accesserunt ex vindicatione Dynastiæ Rheidanæ e manibus alterius lineæ heterodoxæ obtenta immensis sumptibus, & laboribus, & ex facta ibidem redintegratione exercitii Religionis Catholicæ.

Urgentius deinde eam efflagitare publicam causam Religionis. Contendit enim Orator, Dynastiam Rheidanam Feudum esse masculinum, timetque, ne defectione lineæ masculinæ Catholicæ, illa ad masculos ejusdem Familiæ Calvinianos sit reditura. Ex hac Dominii conversione, ait, evidens esse detrimentum, quod perpessura erit Catholica Religio. Exemplo esse, quod contigerat, quum illam detinuerunt heterodoxi. Catholicam Religionem eousque tunc pessumdatam fuisse, ut ipsa Ecclesia Parochialis cum suis proventibus in perpetuum heterodoxis accreverit, publici juris evaserit cultus acatholicus, & vix paucissimæ superfuerint Catholicorum Familiæ.

Quumque contra per reversionem Castri in Dominium Feudatarii Catholici maxima accesserint Religioni incrementa latè enarrata in Relatione Vicarii Generalis Colonien., maxime propterea interesse, ut quavis humana ope caveatur, ne illi desit regimen Catholicum, quo cessante verus Dei cultus in ultimum discrimen erit perventurus.

Contra objiciunt Oratoris Sorores, & cum ipsis objicit Hadrianus Joseph de Bilandt in Melden, frustra hìc obtrudi Religionis intuitum, & rationem. Non aliter dispensationi indulgere Sanctam Sedem, quam si per eam vel certo occurratur publicis calamitatibus, vel utilitas publica indubiè sit eventura. Inane dumtaxat hic prætexi periculum, quod

quod Dynaſtia Rheidana ad heterodoxos revertatur per obitum Oratoris ſine filiis, propterea quod eadem Dynaſtia ſit Feudum maſculinum. Ex hoc autem unico fundamento ſcatere potius rationem rejiciendi gratiam. Nam quatenus ea ex iſto capite concederetur, perniciosiſſimæ derivaturæ eſſent exinde conſequentiæ, ut per indirectum quodammodo definiretur, tum qualitas maſculini Feudi, quod eſt in controverſia, tum jus Acatholicis ad Dynaſtiam quæſitum, quod plane nullum eſt, ac prorſus inane.

Præterea, ut continentiæ obligatio diſſolvatur, ex ſententia *D. Thom. in 3. diſtinct. 38. quæſt. prima art. 4. num. 3.* requiri communem utilitatem totius Eccleſiæ, aut unius Regni, vel Provinciæ; hic agi de unico Caſtro, adeo ut nec diſpenſationi locus eſſe poſſet, tametſi certa foret illius futura translatio in Dominium Dynaſtæ Acatholici, juxta recentem definitionem *Sac. Congregationis S. Officii in Treviren. Diſpenſationis 7. Auguſti* 1718.

Vanum cæteroquin eſſe aſſertum timorem reditus Dynaſtiæ Rheidanæ in Familiam heterodoxam, quatenus ſine filiis decedat Orator. Soſpites adhuc eſſe ejus Sorores, complures extare illarum liberos Barones de Hompeſch, & de Frens; in hos, illo eveniente caſu, Dynaſtiam eſſe devolvendam. Commentum ſapere, quod illa ſit Feudum maſculinum. Ex hiſtoria Rheidana typis edita anno 1709. haberi, Caſtrum in Rheid a remotiſſimis temporibus conceſſum fuiſſe in Feudum promiſcuum maſculis, fœminiſque commune, in plures fœminas utiliter perveniſſe, per fœminam fuiſſe delatum anno 1500. in Familiam Oratoris, in Henricum nempe de Bilandt illius Virum, & communem ſtipitem Collitigantium.

Nec Feudi naturam fuiſſe mutatam, vel per inveſtituram anni *1636.*, quam a Duce Juliacenſi Domino directo extorsit Rolmannus de Bilandt heterodoxus, vel alteram, quam anno 1701. obtinuit Parens Oratoris, in quarum utraque Dynaſtia data fuit in Feudum maſculinum. Prima namque deleta, abrogataque fuit ſolemni re judicata Dicaſterii Juliacenſis, & Supremi Imperialis Tribunalis Vvetzlarienſis cum condemnatione Familiæ Acatholicæ ad reſtitutionem fructuum perceptorum pro tempore, quo Caſtrum occupavit. Alteram correxit anno 1711. Sereniſſimus tunc temporis Elector declarans, Feudum eſſe promiſcuum; & qua promiſcuum deinde conceſſum fuit anno 1742. & 1753., ac cum eadem qualitate Dynaſtiam retinet Orator ex Inveſtitura ſui favore renovata anno 1761.

Procul igitur abeſſe periculum, ne Dynaſtia in Familiam revertatur heterodoxam propter ejus inveſtituræ qualitatem maſculinam, quam de cætero nec ipſamet Acatholica Familia acceptam habuit. Hæc enim, quum jus ſuum repeteret a teſtamento Annæ de Bilandt memorati Henrici

rici pronepte; quæ falsam Religionem amplexa scripsit sibi hæredem Rolmannum de Bilandt heterodoxum, & extraneum a descendentia ipsius Henrici, non aliter se confovere tentavit in possessione Dynastiæ occupatæ vigore dicti testamenti, quam prætexens, quod illa esset *Bonum allodiale*, ac propterea Annam potuisse de illo pro suæ voluntatis libito disponere.

In figuratione insuper, quod Dynastia Feudum esset masculinum, nullum pariter impendere periculum, ne in Dominium Acatholicum revertatur; quum in ea hypothesi illa transferenda foret non in Familiam de Bilandt heterodoxam, veluti ab Henrico primo acquirente non descendentem, sed in Catholicum Virum Hadrianum Josephum ex Baronibus de Bilandt in Melden, qui originem suam ab eodem Henrico derivat. Frustraque in controversiam adduci ejus descendentiam; cum eam agnoverit, compertamque habuerit tum Pater Oratoris, tum Familia Acatholica in transactione conjunctim inita anno 1705., qua ad evitandam divisionem Dynastiæ, hæc cessa integra fuit Patri Oratoris, ejusque descendentibus masculis, & fœminis, contra autem adscripta medietate fructuum a Familia Acatholica restituendorum in beneficium Avi Hadriani Josephi, aliæ initæ sunt pactiones indubium secumferentes jus ipsius Hadriani Josephi ad eamdem Dynastiam.

De dispensatione ab obligatione continentiæ Sacro Ordini adnexæ pluries actum est in Sacra Congregatione. Pro rerum circumstantiis ea vel concessa est, vel denegata. Resolutiones in hac materia editas collegit, innuitque Folium *diei 15. Decembris 1764. in Osnabrugen. Dispensationis*.

Cunctis itaque consueta sedulitate perpensis Emmentissimi PP. dijudicabunt

An sit consulendum SANCTISSIMO pro Dispensatione, in casu &c.

Sess.22. cap.8. & 9. de Reformat.

VITERBIEN. CAPPELLANIÆ. Pius Vir Sernutius Ciccolini Civis Viterbiensis Cappellam, quam Conceptioni Beatæ Mariæ Virgini dicatam extruxerat in Collegiata Ecclesia Sanctorum Faustini, & Jovitæ ejusdem Civitatis, in suo Testamento *diei 22. Januarii 1426.* hæredem universalem instituit, expressa lege, *quod dicta Cappella non possit adjungi, communicari, vel incorporari cum aliqua alia Cappella, Canonicatu, vel Beneficio per Priorem, & Capitulum dictæ Ecclesiæ S. Faustini, seu quamvis aliam Perso-*

sonam aliqua ratione: cui Cappellæ reliquit Patronos, & bonorum Administratores Antepositos dictæ Contradæ S. Faustini, qui tunc, & pro tempore erunt: qui Patroni cum consensu Capituli dictæ Ecclesiæ S. Faustini habeant, & debeant eligere unum bonum, & honestum Sacerdotem in Cappellanum dictæ Cappellæ, qui de die, & nocte faciat residentiam in dicta Ecclesia, & dicat Missas, & alia Divina Officia pro anima ipsius Testatoris, & suorum defunctorum: & dicto Cappellano provideant, & satisfaciant de mercede sua, & salario competenti, taliter quod dictus vivere possit de fructibus bonorum hæreditatis ipsius Testatoris, & si quid ex dictis fructibus supererit, ponant, & mittant in hæreditatem dictæ Cappellæ.

Non omni tempore idem fuit, vel Sacrorum numerus Cappellano injunctus, vel salarium eidem solutum. Ad annum usque 1622. quatuor tantum singulis hebdomadis celebratæ sunt Missæ. Salarii nomine annua scuta 30. data sunt. Eo autem anno clar.mem.Cardinalis Episcopus Muti Sacrum quotidianum imperavit, auxitque salarium ad annua scuta 50.. At in Sacra Visitatione clar. mem. Card. Episcopi Sanctæcrucis habita anno 1702. ita legitur: *Ob redituum diminutionem onus Sacrorum ad quatuor in qualibet hebdomada reductum fuisse*. Et licet Episcopus Sermattei anno 1722. tradenda jussisset Cappellano annua scuta 36. cum onere annuorum Sacrorum 250., ac solvendi Sacrario Ecclesiæ nomine utensilium annua scuta 2. 50., in Sacris tamen successivis Visitationibus annorum 173., & 1765. quatuor tantum hebdomadalium Sacrorum celebratio constituta fuit.

Suas quoque vicissitudines perpessa est administratio bonorum Cappellæ. Licet enim Testator illam commiserit Antepositis, sive Sanctesibus Parochiæ, ad petitionem nihilominus Cappellani Vicarius Generalis anno 1712., auditis iisdem Sanctesibus, & Defensore Capituli, plurima ex illis liberè assignavit Cappellano in sui stipendium annuorum scut. 36., reliqua Sanctesibus administranda reliquit. Verum decennio post Episcopus Sermattei in Sacra Visitatione anni 1722., præter cætera jam superius enarrata, illud etiam ad componendas lites inter Capitulum, & Cappellanum mandavit, ut administratio bonorum omnium Cappellæ concederetur Cappellano, cui potestatem quoque fecit habendi inter Beneficiatos ultimum locum in Supplicationibus, aliisque publicis functionibus, in quibus omnes Clerici conveniunt.

Ad hanc Cappellaniam anno 1709. a Sanctesibus, sive Antepositis nominatus fuit Clericus Franciscus Fajanì, Efflagitante autem ipso apud Eminentissimum Episcopum tunc Cardinalem Sanctæcrucis, ut in illa institueretur, & contra opponente Promotore Fiscali, Cappellaniam nunquam fuisse erectam, Eminentissimus Episcopus decrevit;

quatenus erectio prædicta Capp llæ u que dum secuta non sit, prout non constat, mandamus primo erigi eamdem Cappellaniam sub titulo Beatæ Mariæ Conceptionis in præfata Ecclesia Sanctorum Faustini, & Jovitæ cum assignatione omnium, & singulorum bonorum hæreditariorum dicti Sernutii, prout erigimus, ac fundamus, & cum plenitudine Juris Canonici dotamus, cum reservatione Jurispatronatus, & præsentandi favore Sanctesium cum consensu Capituli perpetuis futuris temporibus: confirmavitque summam in præcedentibus Decretis statutam pro sacrorum utensilium usu, ac Clericum Franciscum Fajani instituit, *cum oneribus juxta laudabilem consuetudinem huc usque in prædicta Ecclesia servatam, & præcipue cum onere celebrandi, seu celebrare faciendi Missas quatuor in hebdomada, præcipue in diebus festis, nec non Choro, aliisque dictæ Ecclesiæ functionibus assistendi, perpetuaque habitatione, & residentia in Ædibus dictæ Ecclesiæ, juxta tenorem enunciati Testamenti.*

De hac Cappellania anno 1732. a Sancta Sede, tanquam reservata, provisus fuit Clericus Floridus Mancini. Pluribus autem ipsum inter, & Capitulum exortis in Curia Episcopali controversiis, Vicarius Generalis die 17. Junii 1747. sententiam tulit decernentem, Cappellanum ad tramites erectionis teneri ad celebrationem annuorum Sacrorum 208.; admittendum esse ad participationem omnium, & singulorum emolumentorum Capitulo, & Canonicis obvenien. ob associationem Cadaverum, & funerum in dicta Ecclesia, retenta tamen per Canonicos medietate eorumdem emolumentorum pro Sacrario Ecclesiæ; ac per caput separatum Cappellanum absolvit a petita solutione scutorum 2. 50. favore Sacrarii pro Sacris Suppellectilibus. A qua sententia Causa conscensa appellationis ad A.C., is judicatum Vicarii Generalis revocavit, concessa Capitulo manutentione in possessione exigendi annua scuta 2.50. pro sacris utensilibus, libertatis etiam non admittendi Cappellanum ad associationem Cadaverum, & non solvendi eidem associationem, quando ab hæredibus defuncti non invitatur una cum Capitulo.

Pendente hujus Decreti revisione, quum Eminentissimus hodiernus Episcopus in Sacra Visitatione anni 1765. decreverit, attendendam non esse, nec Missarum reductionem, nec quamlibet aliam invectam hujusCappellaniæ immutationem, nisi Sedis Apostolicæ auctoritate menti Testatoris derogatum sit: ac proinde Cappellaniam fuisse, & esse manualem: reditus administrandos esse per Sancteses: Cappellano pro tempore annua scuta 50. solvenda esse: teneri ad celebrationem Missæ quotidianæ, & ad Divina Officia in Choro persolvenda juxta Ecclesiæ morem: punctandum esse pro qualibet absentia: distributiones statuendas esse in eo, quod superest, detracta manuali Sacrorum eleemosyna; liberum ta-

tamen esse eidem Cappellano in Ædibus sibi benevisis moram trahere: nec teneri ad coadjuvandum Parochum: judiciali definitioni reservata quæstione super contributione pro Sacris Utensilibus; Vi idcirco hujus Decreti antiquæ renovatæ sunt controversiæ, quæ omnes quum ab Eminentissimo Pro-Auditore Sanctissimi fuerint Sacræ Congregationi remissæ, prævia renunciatione per Cappellanum judicio possessorio; quæritur hinc de natura, & indole hujus Cappellaniæ, de ejusdem juribus, ac oneribus, ac de bonorum Cappellæ administratione. De singulis distinctum proponitur dubium.

Ad I. inquit Cappellanus, de hac Cappellania, tum suum Antecessorem, tum se tanquam perpetua, a Sancta Sede provisum fuisse: illam auctoritate Ordinarii anno 1709. legitimè in perpetuam erectam extitisse: nullum in fundatione de amovibilitate verbum haberi: non proinde manualem, sed perpetuam esse *Garzias de Benef.par.*1.*cap.*7.§.1. *num.*313., *Rot.cor.Lancetta dec.*75.*num.*10.

Ad II. ait, Testatorem numerum Missarum non præfiniisse: ejusdem idcirco quantitatem ab Ordinario determinandam esse *Pasqual. de Sacrific. nov.Leg. tom.*2. *quæst.*995.*n.*15., *De Leon. de offic. Cappellan. quæst. select.*2. *num.* 26.; juxta proinde erectionis litteram ad annua Sacra 208. dumtaxat teneri. Spernendum hinc esse Decretum latum anno 1722. ab Episcopo Sermattei, onus 250. Missarum injungens, tum quia non potuit erectionis legem mutare, tum quia nunquam servatum fuit, ut ex Visitationibus annor. 1731., & 1765.

Ad III. ultro admittit, se teneri ad servitium, & assistentiam Chori in Divinis Officiis. Ad IV. asserit, administrationem Sanctesium usque ad annum 1722. improvidam fuisse: ex superextantibus reditibus Cappellæ annuorum scutorum 90. ne obulum unquam juxta fundationis legem ipsos erogasse: nunquam decretis Visitationum paruisse: plura ejus bona ob eorum negligentiam fuisse deperdita: ac semper male cum Cappellanis egisse. Ære etiam alieno Cappellaniam gravasse: debuisse proinde Episcopum Sermattei anno 1722. ad lites sedandas administrationem Cappellano committere: hanc ab isto per 40. & ultra annos pacificè, & rectè exercitam: nefas hinc esse post quadragenariæ lapsum, veluti injustam, traducere privationem Sanctesium, vel tam longævam administrationem Cappellanis auferre.

Ad V. ait, Testatorem omnia sua bona pro dote Cappellaniæ reliquisse: voluisse Cappellanum de competenti mercede provideri: reditus nunc valde imminutos vix esse pares ad onera ferenda, & ad decentem Cappellani congruam: omnes proinde Cappellano assignandos esse.

Ad VI. advertit, Beneficiatos residentes in aliis Ecclesiis Collegiatis S. Sisti, & S. Angeli de Spata ejusdem Civitatis nihil Sacrario solvere pro sacris Utensilibus: Suos Antecessores nihil unquam præstitisse: Spretis proinde Episcoporum Decretis nunquam executis, nec servatis, nihil a se, suisque Successoribus pro Sacris Supellectilibus præstandum esse. Fortius, quia Sacrarium Ecclesiæ S. Faustini dives est, nec subsidio eget, pluraque insuper beneficia ex Sernutii hæreditate obtinuit. Demum advertit, Cappellanum ope concordiæ, cum solutione scutorum triginta pro una vice ab hoc onere se liberasse: nefas hinc esse, ut iterum ad Utensilium solutionem contra concordiæ leges urgeatur.

Ad VII. ait, Beneficiatos onus residentiæ habentes unum, idemque Corpus cum Canonicis constituere, in processionibus sub eadem Cruce incedere, ac eorumdem emolumentorum esse participes: ita servari in aliis Ecclesiis Collegiatis ejusdem Civitatis: ita quoque suos Antecessores emolumentorum associationis Cadaverum semper participes fuisse: injuste proinde eadem sibi denegari. Hinc ad VIII. concludit, restituenda sibi esse emolumenta associationum usque nunc injuste denegata.

Demum ad IX. inquit, litem hanc partim a Capitulo, partim a Sanctesibus injuste sibi motam fuisse: Æquum proinde esse, ut cedant in ipsorum damnum litis expensæ.

Contra vero Capitulum, ac Sancteses ajunt, Testatorem merum legatum pium instituisse; nullibi Beneficium appellasse: nunquam Ordinarii Auctoritatem implorasse: immo expresse vetuisse, ne commutetur, vel incorporetur cuicunque Beneficio: ac Bona non Cappellanis, sed Cappelliæ reliquisse: in administratores hæreditatis Sanctefes laicos elegisse: clarum ideo reddi, esse merum legatum pium, & Cappellaniam laicalem de sui natura amovibilem, *Rot. in Tarraconen. Cappellaniæ* 11. *Martii* 1748. *§.6. coram Cortada, in Prænestina Legati pii* 21. *Aprilis* 1749. §. 8. *coram Lana*.

Spernendam hinc esse erectionem anno 1709. factam non auditis, nec instantibus Sanctesibus Patronis: nequivisse Episcopum horum juribus derogare, observantiam trium Sæculorum pervertere, ac apertam Testatoris voluntatem commutare. Attendendas item non esse Apostolicas provisiones, quum per easdem nunquam alteretur Cappellaniæ natura, & ex causa resignationis Possessorum processerint *Rot. in Nullius Provinciæ Ravennaten. Vicariæ* 11. *Februarii* 1737. §. *Consito coram Calcag.*, *& in Placentina Canonicatus* 16. *Februarii* 1748. *§.*16. *coram Vicecom.*

Ad II. Advertunt, Testatorem voluisse quotidianum Ecclesiæ Servitium pro suæ Animæ suffragio; hinc eo magis censeri, voluisse quotidianum Sacrum in sui expiationem; & revera competentem Cappellano assignasse mercedem: quo-

quotidianum Sacrum usque ad annum 1709. impletum fuisse: hinc nequivisse Card. Episcopum Sanctæcrucis propria auctoritate Sacra reducere, ac antiquissimam observantiam pervertere *Ansald. in Annot. ad decis.66. num.36.*, *& Rot. in Romana celebrationis Missarum* 13. *Junii* 1732.*§. Ex quibus coram Calcagnino*.

Ad III. asserunt, onus inserviendi Ecclesiæ, & assistendi Choro descendere ex clara fundationis littera. Ad IV. Repetunt, apertam esse fundationis litteram, Testatorem expresse administrationem Sanctesibus dedisse, & merum Salarium a Sanctesibus præstandum Cappellano assignasse. Amplius, eorumdem Sanctesium administrationem pluribus Episcoporum decretis confirmatam fuisse: immo in ipsis Apostolicis litteris hodierni Cappellani ratificatam, ac proinde non Cappellano, sed Sanctesibus debitam esse, quibus tum expressa Testatoris voluntas, tum observantia favet. Attendendum idcirco non esse decretum anni 1722. Episcopi Sermattei, cui nulla potestas erat Testatoris voluntatem commutandi, & juribus Sanctesium derogandi.

Hinc ad V. concludunt, non omnes fructus ex clara fundationis lege dandos, sed tantum de competenti mercede scutorum 50. Cappellanum providendum esse, juxta decretum hodierni Eminentissimi Episcopi. Advertunt enim, quantitatem hanc consonam esse antiquis Episcoporum decretis, longe parem ad congruam Cappellanorum substentationem: immo, & longe majorem esse, quam sit quantitas pro patrimonio Sacro in Synodo Viterbien. præfinita.

Ad VI. asserunt, certam esse juris dispositionem, qua omnes Cappellani adiguntur ad utensilium solutionem *Amostaz. de Caus. piis lib.2. cap.4.*, *Rot. coram Ansald. decis.*487. *n.*10., etiamsi Sacrarium dives sit *Sac.Congreg. in Camerinen. Utensilium 9. Septembris* 1741.: eamdem solutionem, quoad Cappellanum a Sernutio institutum, pluribus Episcoporum Visitationibus decretam fuisse: tum antecessores, tum hodiernum Cappellanum semper præstitisse: in discrimen proinde revocari non posse. Quantitatem vero pro Sacris Utensilibus statutam esse in *Synodo Viterbien. tit.3. cap.3. §.6.* ad ratam unius obuli pro quolibet Sacro.

Ad VII. ajunt, Cappellanum Sernutium mere mercenarium esse, non vero de gremio Capituli, nec unum, idemque Corpus cum Capitulo constituere: invitato proinde tantum Capitulo ad Cadaverum associationem, accedere non posse dictum Cappellanum, qui nec membrum, nec de Corpore Capituli est: ita amplius servatum semper fuisse. Hinc ad VIII. concludunt, injuste peti reintegrationem emolumentorum, quæ juste denegata fuerunt.

Ad IX. inquiunt, litem hanc agi, ut exequutioni mandetur Te-

Testatoris voluntas, quæ vel temporum injuria, vel Cappellanorum studio, vel Sanctesium negligentia despecta fuit: jure idcirco fuisse institutam: nec Capitulum, vel Sancteses mulctari posse, quod executionem voluntatis Testatoris urgeant: expensas proinde ex reditibus Cappellaniæ faciendas esse, de cujus interesse præcipue agitur *Rot. in Calaguritana Cappellaniæ super Sumptibus litis* 4. *Julii* 1732. *§. Certum coram Millino*.

De erigendis Cappellaniis Ecclesiasticis non est dubium, posse Ordinarii auctoritate legatum pium converti in Cappellaniam Ecclesiasticam, si ex ultima voluntate constitutum sit, petente hærede, vel Patrono, dummodo Testator a Cappellaniæ Ecclesiasticæ erectione alienus non fuerit *Piton. de controv. Patron. alleg.* 34. *num.* 20. *Rot. coram Pamphil. decis.* 87. *num.* 5.

Testator tunc dicitur alienus, quum Ordinarium ab institutione Cappellanorum exclusit *Amostaz. de Caus. piis lib.* 3. *cap.* 13. *numer.* 4. *Rot. in Tarraconen. Cappellaniæ* 11. *Martii* 1748. §. 9. *coram Cortada*; Quum bona non Cappellaniæ, sed Cappellanis reliquit *Piton. loc. cit. alleg.* 49. *num.* 9., *alleg.* 87. *num.* 3., *Rot. coram Coccin. decis.* 2244. *num.* 4.; Quum ea reliquit Cappellaniæ, sed expresso titulo stipendii, & Salarii Cappellani *Rot. in Civitatis Castelli Cappellaniæ* 29. *Aprilis* 1744. *§.* 10. *coram Vicecomite*, *&* *in Anagnina Cappellaniæ* 30. *Junii* 1750. *§.* 4. *coram Matthejo*. Non alienus vero, si fuerit Ecclesiasticus; si erectionem Cappellaniæ demandaverit in certo Altari, vel Ecclesia; dotem constituerit; ipsam Cappellaniam appellaverit Beneficium *Rot. in Anconitana Beneficii* 21. *Martii* 1746. §. *Verum coram de Vais*.

Prima hinc inspectio est, an Sernutius Testator alienus fuerit ab erectione dictæ Cappellaniæ in Ecclesiasticam, ita ut Ordinario jus non esset eamdem erigendi: II. An eadem erectio recte fieri potuerit instante solum Cappellano, ac Promotore Fiscali, non auditis Sanctesibus Cappellaniæ Patronis, vel potius eorumdem Sanctesium consensus suppletus fuerit per fere quinquagenariam eorumdem acquiescentiam, & erectionis exequutionem,

De oneribus, ac Legatis reducendis, vel commutandis Urbanus VIII. ad tollendas ambiguitates edixit die 22. Septembris 1625. = *districte prohibet, atque interdicit, ne Episcopi in Diœcesana Synodo, aut Generales in Capitulis generalibus, vel alias quoquo modo reducant onera ulla Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis; sed pro his omnibus reducendis, ac moderandis, vel commutandis ad Apostolicam Sedem recurratur, quæ, re diligenter perspecta, id statuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur; alioquin reductiones, moderationes, & commutationes hujusmodi, si quas contra hujus probibitionis formam fieri*

con-

contigerit, *omnino nullas*, *& inanes decernit* = *in Bullar. nov. to.5. par.5. pag.335.*, omniaque postmodum approbavit, confirmavitque *die 22. Decemb. 1697. Constitutio nuper. Innocentii XII. in Bullar. to.9. pag.467.*

De Utensilibus Sacrario Ecclesiæ persolvendis communis est sententia, quod omnes, & singuli Beneficiati, aliique Cappellanias sub perpetuo Missarum onere obtinentes, ac ipsi quoque Canonici teneantur, pro utensilibus Sacrario Ecclesiæ, qua Sacra implent, contribuere juxta cujusque Ecclesiæ praxim *Monacel. in formul. for. Eccles. par.4. num.181. pag.107.*, *& Ursaja to.4. par.2. discept.22. num.67. to.5. par.2. Piton. de controv. patron. alleg. 14. num.46.*, *& Sac. Congreg. in Dertonen. 6. Julii 1526.*, *in Romana 26. Maji 1679.*, *& in Auximana*, qua, licet ageretur de Ecclesia Cingulana peculiares habente reditus supellectilibus instruendis addictos, proposito = *An Rectores Beneficiorum*, *Cappellani*, *aliique celebrantes in Ecclesia Collegiata Cinguli teneantur solvere utensilia Capitulo dictæ Ecclesiæ*, *& pro qua summa in casu &c.* = rescripsit die 23. Februarii 1726. = *Rectores Beneficiorum*, *Cappellanos perpetuos*, *Canonicos obtinentes ultra Canonicatum Cappellanias perpetuas*, *& ipsum Capitulum pro rata onerum se* [illegible] *teneri ad solutionem Utensilium Sacristiæ ad rationem unius* [illegible] *pro qualibet Missa*, *exceptis tantum a solutione utensilium Missis adventitiis* = *& in Romana* 10. *Maji* 1727.

Et quamvis in decretis, quæ tempore Urbani VIII. fuerunt ab hac Sac. Congregatione super Missarum celebratione edita, statutum habeatur = *permittendum non esse*, *ut Ecclesiæ*, *& Loca pia*, *seu illorum Administratores ex eleemosynis Missarum celebrandarum ullam utcunque minimam portionem retineant ratione expensarum*, *quas subeunt in Missarum celebratione*, *nisi quum Ecclesiæ*, *& Loca pia alios non habent reditus*, *quos in usus earumdem expensarum erogare licite possint*, *& tunc*, *quam portionem retinebunt*, *nullatenus debere excedere valorem expensarum*, *quæ pro ipsomet tantum Missæ Sacrificio necessario sunt subeundæ*, *& nihilominus eo etiam casu curandum esse*, *ut ex pecuniis*, *quæ supersunt*, *expensis*, *ut supra*, *deductis*, *absolute tot Missæ celebrentur*, *quot præscriptæ fuerint ab offerentibus eleemosynam* = hujusmodi tamen decreta loqui dumtaxat de Missis manualibus, & adventitiis, non autem de quotidianis, & perpetuis notavit Rot. *decis.463. num.5. coram Molines*, & colligitur ex rescripto edito in citata *Auximana 23. Februarii* 1726.

De summa vero, & quantitate, qua utensilia solvi debeant, recepta sententia est, juxta *Communem* cujusque loci, & Ecclesiæ usum præfiniendam esse *Pasqualig. de Sacrif. nov. leg. to.2. quæst.968. num.4.*, *Monacel. formul. leg. par.4. num.181. pag.107.*, *Ursaja to.4. par.2. discept.22. num.67.*, *Piton. de controv. patron. alleg.54. num.56.* In Urbe mos viget solvendi annua scuta quatuor pro qualibet Missa quotidiana, ut

in

in *Romana* 26. *Martii* 1679., *in Romana* 10. *Maji* 1727. *in Romana Utensilium* 24. *Martii* 1736., *& in Romana Utensilium* 13. *Septembris* 1738. In Synodo vero Viterbien. *tit.* 3. *cap.* 3. *§.* 6. *in fine* cautum habetur = *Pro oneribus Missarum fixis, & perpetuis persolvendum a Cappellanis, vel Beneficiatis obulum unum pro qualibet Missa, in compensationem expensarum pro manutentione paramentorum, luminum, vini, hostiæ, atque inservientium*.

EE. PP. definire dignentur.

I. *An Cappellania fundata in Ecclesia Collegiata SS. Faustini, & Jovitæ Viterbien. a quondam Sernutio Ciccolini sit manualis, & ad nutum Sanctesium Patronorum amovibilis, vel potius perpetua in casu &c.*

II. *An, & quot Missas debeat annuatim celebrare Cappellanus dictæ Cappellaniæ, in casu &c.*

III. *An Cappellanus pro tempore dictæ Cappellaniæ teneatur ad servitium, & assistentiam Chori in Divinis Officiis, in casu &c.*

IV. *An administratio Bonorum dictæ Cappellaniæ spectet privative ad Sancteses, vel potius ad Cappellanum pro tempore ejusdem Cappellaniæ, in casu &c.*

V. *An ad Cappellanum spectent omnes reditus pro dote dictæ Cappellaniæ a Testatore relicti, seu potius in qua summa sit taxanda annua congrua Cappellani, in casu &c.*

VI. *An, & quis teneatur annuatim solvere Capitulo SS. Faustini, & Jovitæ Utensilia Missarum, & in qua summa in casu &c.*

VII. *An eidem Cappellano, quamvis non invitato, competat jus interessendi una cum Capitulo dictæ Ecclesiæ Collegiatæ associationi Cadaverum, & funeribus, & respective participandi de eorum emolumentis, & quomodo, & in qua parte, & quatenus affirmative.*

VIII. *An Capitulum teneatur reintegrare hodiernum Cappellanum de præteritis emolumentis, in casu &c.*

IX. *An ad expensas præsentis litis, quoad Cappellanum, & Cappellaniam, teneatur Capitulum, sive Sancteses, vel potius sint faciendæ ex reditibus Cappellaniæ in casu.*

Sess. 21. *cap.* 7. *de Reformat.*

VITERBIEN. CENSUS. Ad perficiendam Fabricam Ecclesiæ Collegiatæ, & Parochialis SS. Faustini, & Jovitæ Civitatis Viterbien., quæ de consensu Emi Episcopi funditus reedificari debuit, Capitulum ejusdem Ecclesiæ, post grave æs alienum super Ecclesiæ, & propriis bonis contractum, preces dedit pro impositione Census sortis sc. 1700. super decem Cappellaniis, quæ in eadem Ecclesia, partim de jurepatronatus, partim de libera Episcopi collatione erectæ sunt, hac tamen lege, ut, suspensis respectivis earum-

rumdem oneribus, ex harum manuali elemosyna fructus census solverentur, ac residuum pro ejusdem Census reintegratione deponeretur. Sed Sacra Congregatio *die* 15. *Martii* 1760. *rescripsit*: *Lectum quoad instantiam, & Emus Episcopus procedat prout de jure, tam contra Beneficiatos, & Cappellanos, quam contra Parochianos, aliosque, quos de jure, ad contribuendum pro perfectione fabricæ Ecclesiæ.*

Re mature a Capitulo perpensa preces iterum renovavit, ut saltem pro scutis 1000. cum dicta lege suspensionis Missarum super dictis Capellaniis census imponeretur. Auditus Emus Episcopus, retulit *die* 25. *Februarii* 1761.: *ultra expressam imponendi Census necessitatem super dictis Cappellaniis, in præsenti suppetere non valet modus, quo antedictæ Ecclesiæ fabricæ in Divini cultus honorificentiam, & in Parochiani populi necessitatem succuratur: iste vero, extremis pressus indigentiis universam S. Faustini Paræciam concomitantibus, impar prorsus est ad subeundam quam minimam pro fabrica Ecclesiæ contributionem; quo vero ad Beneficiatos ejusdem Ecclesiæ, qui a Priore, & Canonicis repræsentantur, alia jam, & quidem inde gravia, cum licentia Sacræ Congregationis, pro dicta Ecclesiæ Fabrica debita, etiam super propriis singulorum Præbendis contraxerunt, ac solis, qui supersunt, Capellaniarum possessoribus in eadem Ecclesia fundatarum, nullum aliud onus in Fabricæ levamen huc usque subire contigit, proindeque minus ipsis gravans recenseri debet, neque aliud in præsenti prælo est temperamentum, propter Fabricæ necessitatem, quam propositum suspensionis remedium; quibus omnibus Cappellanis aliunde in Civitate Viterbien., pro eo Missarum numero, quæ a Sacra Congregatione, respectu ad possessas Capellanias, suspensæ decerni possunt, alias Missarum eleemosynas prompte datum erit invenire.*

Hisce novis precibus annuit Sac. Congregatio, ac *die* 21. *Novembris* 1761. *commisit Eminentissimo Episcopo, ut, veris existentibus narratis, & accedente consensu omnium Rectorum, & Patronorum Capellaniarum, de quibus agitur, petitam facultatem accipiendi ad Censum in una, seu pluribus vicibus, seu partitis in totum summam scut.* 1000. *tantum super fructibus earumdem Capellaniarum, pro rata tamen, per contributum cuilibet Capellaniæ assignandum ad rationem minoris, quo poterit, interusurii, pro suo arbitrio, & prudentia oratoribus gratis impartiatur, qui injuncta singulis Capellanis obligatione celebrandi aliquem Missarum numerum, proportionaliter ad uniuscujusque Cappellaniæ reditus, & onera, ab eodem Eminentissimo Episcopo præfiniendum, aliarum Missarum celebrationem, & adimplementum usque ad integram census extinctionem, infra terminum ab eodem Episcopo statuendum, omnino faciendam pro suo itidem arbitrio, & prudentia gratis suspendat: ita tamen, ut eadem summa ad Censum sumenda penes ædem Sacram deponatur, exindeque non amoveatur, nisi ad effectum illam in superius Ecclesiæ Fabricæ expositam causam erogandi, & fructus Capella-*

 nia-

niarum, post deductas expensas administrationis bonorum, superextantes, præstita cuilibet Cappellano eleemosyna pro Missis interim, ut supra, celebrandis ad rationem eleemosynæ manualis, nec non solutis fructibus Census pro rata unicuiqueCappellaniæ contingente, in summa residuali in Æde Sacra deponatur pro ejusdem census extinctione, qua secuta Cappellani prædicti dictarum Missarum onus reassumere, & Missas in fundatione cujuslibet Cappellaniæ præscriptas integre celebrare teneantur.

Huic rescripto, licet major Patronorum, & Cappellanorum pars libenter consenserit, sex tamen ex Patronis, & Cappellanis consensum denegarunt: his proinde termino præfixo, postulat nunc Capitulum, ut dictum rescriptum diei 21. Novembris 1761., spreto horum dissensu, executioni demandetur: Ait, nihil reticitum, aut falso expositum esse, quod obreptionis, vel subreptionis vitio dictum rescriptum afficiat: abunde probari jam grave æs alienum super bonis Ecclesiæ, & Canonicorum reditibus impositum fuisse: deesse peculiarem Fabricæ Ecclesiæ reditum: aliumque deesse modum, quo opus perfici queat. Advertit insuper dictum decretum maxime consonum esse juris dispositioni, quæ eos præcipue cogit ad contributionem pro Fabrica Ecclesiæ, qui ex reditibus, & proventibus ejusdem quomodocumque participant *Conc. Trid. Sess.21. Cap. 7. de Ref.*, *Barbos. de jur.Eccles. lib.2. cap.4.num.1.*: amplius, majorem Patronorum, ac Cappellanorum partem libenter assentiri; perperam ideo cœteros contradicere, & eorumdem consensum Judicis auctoritate supplendum esse *Cap. Nullus 8. de Jurepatr.*, *Pignattel. consult. Can. 119. num. 2.*, *& Rota in Bononien. Laudi 2. Junii 1755. §. fin. coram Amadeo.*

Frustra vero opponi tenuitatem redituum Cappellaniarum. Ait enim, nullos Cappellanos earundem titulo ad Sacros Ordines promotos fuisse, nullos curam animarum, nec onus residentiæ habere: nullo ideo jure cautum esse, ut congrua alimentaria eisdem servetur, quæ tantum beneficiatis curam animarum habentibus reservanda est, *Amostaz de caus. Piis tit. de Eccles. ædific. lib. 5. cap.6. num.31.*. Ac demum advertit, nihil inde damni Cappellanis obvenire, qui abunde in aliis Civitatis Ecclesiis possunt Sacrorum eleemosynas consequi.

A Cappellanis, & Patronis dissentientibus nondum libellum habuimus.

Synodus Tridentina de Ecclesiis Parochialibus hæc habet. *Parochiales vero Ecclesias, etiam si jurispatronatus sint, ita collapsas refici, & instaurari procurent ex fructibus, & proventibus quibuscumque ad easdem Ecclesias quomodolibet pertinentibus, qui si non fuerint sufficientes, omnes Patronos, & alios, qui fructus aliquos ex dictis Ecclesiis provenientes percipiunt, aut, in illorum defectum, Parochianos omnibus remediis opportunis ad præ-*

prædicta cogunt, qualibet appellatione, & contradictione remota. Quod si nimia egestate omnes laborant, ad Matrices, seu viciniores Ecclesias transferantur, cum facultate, tam dictas Parochiales, quam alias Ecclesias dirutas in profanos usus non sordidos, erecta tamen ibi Cruce, convertendi Sess. 21. cap. 7. de Ref.

De necessitate perficiendi Ædificii non dubitatur. Prima hinc inspectio est, an ordinario modo, quem credidit Concilium Tridentinum, necessitati Ecclesiæ occurri possit. Hoc enim tantum deficiente, locus extraordinario remedio esse potest. Ubi vero defuit ordinarius modus, aliquando Sac. Congregatio subsidia dotalia applicavit, *ut in Hispalen. 7. Septembris 1680., Syracusana 8. Februarii 1713., Magdalunen. 22. Aprilis 1719., Romana Subsidiorum Dotalium 9. Julii 1746., & in Amerina 15. Decembris 1764.*; aliquando fructus duorum annorum cujuslibet Canonicatus, & præbendæ, quæ per obitum vacaret, *ut in Leodien. Prorogationis Indulti 9. Februarii 1765.*

De intermittendis vero Sacris in expiationem defunctorum destinatis, quod postremum malis remedium est, aliquando, urgente gravi necessitate, concessit, *ut in Auximana 11. Januarii 1766.*, aliquando denegavit, *ut in Lisbonen. 23. Augusti 1760.* Viden. *Amostaz. de Causis piis lib. 1. cap. 14. n. 36., & l. 2. cap. 12. num. 35., Brasch. de potest. Eccles. tom. 3. cap. 24.*

Petitur.

An Cappellani dissentientes juris remediis obstringendi sint ad impositionem census pro Fabrica Ecclesiæ super fundis Cappellaniarum, ita ut rescriptum Sac. Congregationis diei 21. Novembris 1761. sit exequendum in casu &c.

VITERBIEN. JURIS ELIGENDI. Ad servandos Fontes aquarum Civitatis Viterbien. pro Civium commodo expresse cautum est in ejusdem Statutis = *Fons Sipalis, Fons Plateæ Flajanæ, & Fons Castri S. Petri intra Civitatem Viterbii, eorumque Aquæductus sumptibus Communitatis reaptententur, & conserventur; alii vero Fontes Civitatis, & Aquæductus earum sumptibus Contradarum, in quibus positi sunt, & quibus inserviunt reaptentur, spurgentur, & conserventur.* Itemque in posteriori additione ad Statutum habetur: *Acciochè le Acque delle Fonti non corrino per le Strade si ordina, e comanda a tutti i Parrocchiani, e Santesi di ciascheduna Parrocchia, e Fonte, che in detto termine debbino aver inchiavicate dette Acque, talmente, che non vadino per le Strade sotto la detta pena, oltre che si faranno inchiavicare dal Mastro di Strade a spese loro senz'altra intimazione, facendo ogni Sabbato nettar le dette Fonti sotto la detta pena.* *Sess. 24. Cap. 3. de Reform.*

Extat intra limites Ecclesiæ Collegiatæ, & Parochialis SS Faustini, & Jovitæ publicus Fons, qui per duos *Sancteses*, seu *Antepositos* e Parochia eligendos regitur, ac servatur. Quum vero his Sanctesibus jus sit nominandi Rectorem Cappellaniæ ex dispositione Sernutii Ciccolini institutæ in Altari Conceptionis B. M. V. ejusdem Ecclesiæ Collegiatæ, non levis quæstio orta est inter Capitulum, Priorem ejusdem Collegiatæ Ecclesiæ, ac Parochianos coram A. C. Simone super eorumdem Sanctesium electione. Sed Prior, & Capitulum succubuerunt, ac R. P. D. Simone die 22. Aprilis anni elapsi diffinitiva Sententia declaravit: *Jus eligendi, & publicandi novos Sanctefes a præcedentibus diversos in die SS. Innocentium juxta antiquissimam consuetudinem Viterbii privative quoad omnes spectare ad Parochianos de contrada Parochialis Ecclesiæ SS. Faustini, & Jovitæ.*

Sententiam hanc, ob non interpositam appellationem, in rem judicatam transiisse dicitur, ac Parochiani, prævia Edictorum affixione sub die 4. Maii ejusdem anni, devenerunt ad Sanctesium electionem in Conventu PP. Augustinianorum intra Parochialem ambitum existente. Quum autem, instante Eminentissimo Episcopo, ac Capitulo dictæ Ecclesiæ Collegiatæ, quæstiones super electione Sanctesium commissæ fuerint ab Eminentissimo Pro-Auditore Sanctissimi judicio Sac. Congregationis, quæritur nunc, ad quem electio Sanctesium spectet, quomodo, qua die facienda sit, qui eligi possint, & an electio facta anno elapso in Conventu PP. Augustinianorum substineatur.

Ad I. Eminentissimus Episcopus, ac Capitulum inquiunt, nulla hominis dispositione, nec juris præscripto electionem Sanctesium Parochianis debitam esse: Hos nullum Collegium, vel legitimam Universitatem constituere: Jus proinde eisdem non esse eligendi Syndacos, Procuratores, aliosque Officiales *L.* 1. *§. Quibus ff. quod cujusque univ. nom.*, *Card. Petra ad Constit. 6. Martini V. tom.*4. *num.*4., & *Rot. rec. dec. f.* 169. *num.* 1. *par.* 2.; Ex consuetudine vero immemorabili innumeris Testibus firmata probari, Sanctefes semper fuisse a Parocho, & Capitulo S. Faustini electos: id etiam servari in aliis Parochiis Civitatis: id exposcere etiam publicam quietem, ne tumultuariis convocationibus locus fiat: Parocho proinde, & Capitulo, non Parochianis jus eligendi Sanctefes adjudicandum esse.

Hinc ad II. concludunt, vanum esse inquirere quot voces Parocho, quot Parochianis competant. Cæterum saltem postulant, ut dimidia vocum Parocho, altera detur Parochianis, utque in casu discordiæ res devolvatur ad Episcopum. Ajunt, ità juris dispositione cautum in quolibet jure relicto Parocho, & Parochianis. De distributione vocum in duas partes agit *Textus in Leg. Si quis Actio ff. de usufr. accresc.*, *Piton. de controv. Patron. alleg.* 100. *n.* 49., & *Rot.*

in

in Cremonen. Beneficii 4. *Febr.* 1715. *cor. Cerro*, & de devolutione ad Episcopum est *Textus in Cap. Cum in Cunctis §. final. de Elect.*, *Piton. de controv. Patron. alleg.* 70. *num.* 21., *& Rot. in Colonien. Canonicatus* 7. *Decembris* 1725. *cor. Nunez*.

Ad III. ajunt, ex antiquo usu semper electionem habitam fuisse in die Dominico intra Octavam Corporis Christi: eumdem idcirco morem in posterum esse servandum.

Ad IV. asserunt, ex juris censura Officiales ad annum tantum duraturos, ad alium annum recte confirmari in officio posse *Leg. Neminem Cod. lib.* 10. *de suscept. præpos.*, *Antonell. de temp. legal. lib.* 2. *cap.* 23. *num.* 1.: Idem proinde esse servandum etiam in officio Sanctesium, maxime, quia munus leve est, non utile, imo onerosum *Antonel. loco cit. num.* 4., *& Carol. Anton. de Luc. ad decis.* 264. *de Franch. num.* 3.

Ad V. inquiunt, Parochianis legitimum Collegium non constituentibus jus non fuisse Edicta promulgandi; sine auctoritate, & præsidentia Capitis, nempe Rectoris se convocandi; in loco insolito, & quidem exempto ab Episcopi jurisdictione conveniendi. Omnia proinde irritanda esse.

Contra vero Parochiani ad I. inquiunt, sibi onus ex Statuti littera esse manutenendi, ac conservandi Fontes; expensas in id de proprio contribuendi; ipsis impendere pœnam indictam in casum negligentiæ Sanctesium; eisdem proinde jus esse eligendi Sancteses gerentes vices Parochianorum: ac absurdum esse, ut Parochiani onus sentiant, electio vero ad alium pertineat: itemque, ut teneantur de dolo, vel culpa Sanctesium ab alio eligendorum *Rot. in Romana Pecuniaria* 27. *Novembris* 1724. *§. Nostra coram Calcagnino*.

Advertunt quoque, se plenum ejusdem Fontis dominium semper exercuisse: nonnisi de omnium Parochianorum consensu Aquarum concessiones factas fuisse; insuper ex antiquis Episcoporum Visitationibus probari, electionem perpetuo factam fuisse a Parochianis: idipsum confirmari pluribus Testibus, ac exemplis aliarum Parochiarum S. Andreæ, & S. Mariæ Podii. Demum taxant contrarios Testes, velut emendicatos, ac suspectos.

Ad II. ajunt, nunc agi de jure ad universos Parochianos spectante: Parochum nullo speciali titulo, sed tantum qua Parochianum electioni Sanctesium intervenire: æqualem idcirco vocem omnibus competere *Rot. in Tyrasonen. Primitiarum* 28. *Januar.* 1735. *§. Conniventia cor. Calcagnino*: ita insuper semper servatum fuisse: nec repugnare, ut Parochus, licet Caput sit Parochianorum, unicam tantum vocem ad instar aliorum habeat *Rot. cor. Crispo dec.* 376. *num.* 12.

In casu verò discordiæ, vel paritatis vocum inquiunt, novam electionem a jure decerni *Cap. cum terra de elect.*, *Rot. cor. Molines dec.* 677. *num.* 12., *& cor. Lancetta dec.* 586. *n.* 11. Absonum autem esse, ut electio devolvatur ad Episcopum, inspe-

specta qualitate, tum personarum Sanctesium mere laicalium, tum officii circa rem mere profanam versantis, & perpensa quoque observantia, juxta quam Episcopi ne minimam unquam jurisdictionem exercuerunt.

Ad III. ajunt, electionem semper factam fuisse in Festo SS. Innocentium, idque probant ex iteratis Episcoporum Visitationibus 1622., 1663., & 1720., novitatibus proinde indulgendum non esse. Eadem ad IV. repetunt, ac amplius advertunt, pessimi exempli fuisse antiquorum Sanctesium confirmationem: sæpius ob eorumdem negligentiam Aquarum copiam defecisse: expedire idcirco, ut singulis annis renonoventur, tum pro recta Fontis administratione, tum pro uniuscujusque Parochiani commodo.

Ad V. asserunt, Edictum diei 4. Maii 1766. affixum fuisse in vim rei judicatæ R.P.D. Simone adjudicantis jus eligendi Sancteses Parochianis: itemque in vim ejusdem rei judicatæ ipsos ad electionem inde devenisse: perperam proinde de nullitatis vitio hæc redargui. Nec obesse, quod electio in loco insolito facta fuerit, tum quia justa adfuit caussa ob Parochi contradictionem, tum quia locus non est de substantia electionis, & ejusdem variatio nullitatem inducere nequit *Barbos. de jur. Eccles. lib.* 1. *cap.* 19. *num.* 176., *Rot. rec. decis.* 36. *num.* 7. *part.* 6.

EE. PP. pro sua doctrina perpendent

I. *An, cui, & quomodo competat electio Officialium, vulgo Sanctesium in Parochia Ecclesiæ Cellegiatæ S. Faustini in casu*, & quatenus spectet ad Parochianos, & Parochum

II. *An, & quam vocum ratam habeant, sive Parochus, sive Parochiani, & in casu discordiæ votorum ad quem devolvatur electio.*

III. *An, & qua die electio ista facienda, & respective publicanda sit, in casu &c.*

IV. *An eadem electio possit ad libitum eligentium fieri anno sequenti sive unius, sive utriusque ex Sanctesibus, qui officium exercuerunt anno præcedenti, in casu &c.*

V. *An edicta, seu notificationes affixæ ad eligendum Sancteses, & Parochianorum coadunatio cum subsequuta electione facta in Conventu Regularium substineantur, in casu &c.*

Die

Die Sabbathi 16. Maji 1767. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

DE sequentibus sex Causis nulla capi potuit in præterita Congregatione resolutio. Quæ duæ primæ ex ordine subjiciuntur, relatæ sunt in Folio diei 14. Martii; reliquæ in Folio diei 4. superioris mensis. Dignentur igitur EE.PP. ea folia resumere, & sapientissimum de quæstionibus, quæ proponuntur, proferre de more judicium.

BAREN.

Sess.23. cap.3. de Reform.

I. *An, & in qua summa R̃mus Archiepiscopus Baren. possit exigere Cathedraticum a Capitulo Collegiatæ Ecclesiæ Terræ Molæ, in casu &c.*

II. *An dictus Archiepiscopus possit quolibet anno pro se, suaque Familia exigere a dicto Capitulo strenam ducatorum vigintiduorum, & assium sexaginta, in casu &c.*

III. *An idem Archiepiscopus tam pro Cathedratico, quàm pro strena sibi, ejusque Familia soluta teneatur restituere ipsi Capitulo exactum, in casu &c.*

IV. *An dictum Capitulum teneatur solvere Subsidium Charitativum in quantitate ducatorum octoginta in ingressu novi Archiepiscopi, itaut sit locus restitutioni exacti, in casu &c.*

V. *An per dictum Capitulum sit præstanda quolibet anno Archidiacono Cathedralis strena in carolenis decem*, & quatenus negative

VI. *An dictus Archidiaconus teneatur restituere Capitulo exactum, in casu &c.*

Ad I. Dilata, & coadjuventur probationes juxta instructionem. Ad II. Dilata, ut ad proximum, & ad mentem. Ad III. Dilata. Ad IV. Dilata, & coadjuventur probationes. Ad V., & VI. Negative.

VICEN.

Sess. 25. Cap. 4. de Reform.

An, & quomodo sit annuendum, in casu &c.

Negative.

CO-

Sess.22. cap.6. de Reform.

COLONIEN. DISPENSATIONIS.

An sit consulendum SANCTISSIMO pro dispensatione, in casu &c.

Negative.

Sess.22. cap. 8. & 9. de Reform.

VITERBIEN. CAPPELLANIÆ.

I. *An Cappellania fundata in Ecclesia Collegiata SS. Faustini, & Jovitæ Viterbien. a quondam Sernutio Cicc lini sit manualis, & ad nutum Sanctesium Patronorum amovibilis, vel potius perpetua, in casu &c.*

II. *An, & quot Missas debeat annuatim celebrare Cappellanus dictæ Cappellaniæ, in casu &c.*

III. *An Cappellanus pro tempore dictæ Cappellaniæ teneatur ad servitium, & assistentiam Chori in Divinis Officiis, in casu &c.*

IV. *An administratio Bonorum dictæ Cappellaniæ spectet privative ad Sancteses, vel potius ad Cappellanum pro tempore ejusdem Cappellaniæ, in casu &c.*

V. *An ad Cappellanum spectent omnes reditus pro dote dictæ Cappellaniæ a Testatore relicti, seu potius in qua summa sit taxanda annua congrua Cappellani, in casu &c.*

VI. *An, & quis teneatur annuatim solvere Capitulo SS. Faustini, & Jovitæ utensilia Missarum, & in qua summa, in casu &c.*

VII. *An eidem Cappellano, quamvis non invitato, competat jus interessendi una cum Capitulo dictæ Ecclesiæ Collegiatæ associationi Cadaverum, & Funeribus, & respective participandi de eorum emolumentis, & quomodo, & in qua parte;* & quatenus affirmative

VIII. *An Capitulum teneatur reintegrare hodiernum Cappellanum de præteritis emolumentis, in casu &c.*

IX. *An ad expensas præsentis litis, quoad Cappellanum, & Cappellaniam, teneatur Capitulum, sive Sancteses, vel potius sint faciendæ ex reditibus Cappellaniæ, in casu &c.*

Non proposita, cum sequentibus.

Sess.21. cap.7. de Reformat.

VITERBIEN. CENSUS.

An Cappellani dissentientes juris remediis obstringendi sint ad impositionem census pro Fabrica Ecclesiæ super fundis Cappellaniarum, itaut rescriptum Sac. Congregationis diei 21. Novembris 1761. sit exequendum, in casu &c.

VI-

VITERBIEN. JURIS ELIGENDI. *Sess.24.cap.3. de Reformat.*

I. *An, cui, & quomodo competat electio Officialium, vulgo Sanctesium in Parochia Ecclesiæ Collegiatæ S.Faustini in casu*, & quatenus spectet ad Parochianos, & Parochum

II. *An, & quam vocem ratam habeant, sive Parochus, sive Pachiani, & in casu discordiæ votorum ad quem devolvatur electio.*

III. *An, & qua die electio ista facienda, & respective publicanda sit, in casu &c.*

IV. *An eadem electio possit ad libitum Eligentium fieri anno sequenti sive unius, sive utriusque ex Sanctesibus, qui officium exercuerunt anno præcedenti, in casu &c.*

V. *An edicta, seu notificationes affixæ ad eligendum Sancteses, & Parochianorum coadunatio cum subsequuta electione facta in Conventu Regularium subsistineantur, in casu &c.*

TUSCULANA. Ad erudiendas, & excolendas in pietate, bonisque moribus Puellas Suburbicarii Oppidi Arcis Priorum jam ab anno 1747. loci Archipresbyter illuc accersiverat Cynthiam Marchetti, & Dominicam Asciutti ad exercendum ibi munus Scholarum Piarum, & san. mem. Benedictus XIV. in hanc rem solvi mandaverat annua scuta trigintasex ex pecuniis Rev. Cameræ; quum anno 1749. Margarita Balzani, & Maria Stainer sese Socias addere pio Operi cupientes, eidem Summo Pontifici supplicarunt, ut potestatem eis faceret exigendi dotalia subsidia a nonnullis Locis piis hujus Almæ Urbis in ipsas collata, eroganda tamen, & investienda in manutentionem, & dotem Conservatorii in eo loco erecti. *Sess.25. de Regularibus, & Monialibus cap.5.*

Annuit Summus Pontifex *pro gratia exigendi, & respective assignandi Subsidia dotalia, de quibus in precibus, ad effectum tamen investiendi tute, & secure favore Domus Piarum Magistrarum, cum hac tamen lege, quod in casu, quo eadem Domus amplius non subsistat, eadem Subsidia reverti debeant suis respective locis, & quod præservatum sit favore Puellarum Oratricum jus illa percipiendi, quatenus ipsis viventibus eadem Domus amplius non subsisteret*, prout revera ex iisdem Subsidiis dotalibus comparata fuerunt ll.4. & 50.centes. Mont. *ad favorem Conservatorii Domus, & Scholæ Magistrarum Piarum Terræ Arcis Priorum.*

Sicuti vero quæ primitus ad Scholæ Magisterium selectæ fuerant habitum antea susceperant Tertiariarum Carmelitarum, eodemque habitu uti perrexerunt, ita & memoratæ aliæ duæ mulieres, quæ illis sese postea adjunxerunt, eidem tertiæ Regulæ Ordinis Carmelitarum dederunt nomen, habitumque sumpserunt illi conformem. Inde caussam habuit id, quod significat R. Celsitudo Eminentissi-

mus Henricus Dux Eboracensis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vice-Cancellarius Episcopus Tusculanus, in cujus Diœcesi dictum Oppidum situm est, inquiens in sua Relatione; *Quia vero in prima Sac. Visitatione a me peracta de anno 1761. duas tantum in eadem Domo, & Schola inveni Magistras, non autem numero quatuor, quot esse debuissent, perscrutata causa, cognovi, quod ipsæ Tertiariæ Magistræ a quodam Fratre Isidoro Laico quæstuante Ordinis Carmelitarum Excalceatorum dirigebantur, ejusque regimini, nutibus, ac voluntati parebant; Religiosus iste Laicus quidem, sed simplex, probatæque conscientiæ, ac si esset in prædicta Domo, & Schola, atque in altera Montis Compatrum meæ Diœcesis Dominus, Superior, & Arbiter, sua potestate, suoque libitu, sine ulla Diœcesani Episcopi scientia, & facultate, Tertiarias Magistras ex una & altera Schola amovebat, alioque mittebat, novasque subrogabat, & inducebat incognitas, ita ut in utrisque Scholis Arcis Priorum, ac Montis Compatrum, quarum reditus vix satis erant ad substentandas duas Magistras, modo tres, modo quatuor, quandoque etiam sex miserrime viventes Laici Carmelitæ moderamine commorarentur.*

Hisce malis, quæ non sine Incolarum admiratione, & obtrectatione contingebant, occurrendum censui. Collatis itaque consiliis cum Parochis, & viris Ecclesiasticis probatissimis meæ Diœcesis, in Congregatione quadam a me præscripta, Tertiariæ ipsæ advocatæ fuerunt, illisque indictum, ut imposterum debuissent omnino sese submittere moderamini, & obedientiæ Episcopi, cujus jurisdictioni subjiciebantur, tam jure muneris Magistrarum Piarum, quàm conditione Tertiariarum, juxta plurimas Constitutionum Apostolicarum sanctiones.

Salubriora monita fuerunt frustranea, suasionesque omnes inutiles. Quum enim quæstuantis Fratris laici gubernio se maxime adhærere ostendissent, audaci quodam, & pervicacissimo animo se unice, ac directe Regularibus Superioribus Ordinis Carmelitarum Excalceatorum obtemperare, & obsequi velle, eorumque dicto audientes esse, & obnoxias, ita ut Domum, & Scholam Arcis Priorum deserere maluerint, quam regimen, atque obedientiam Episcopi subire, propter quam causam coactus fui ei Domui, ac Scholæ præficere alias Magistras Pias, quæ nunc ibi moram trahunt, officioque funguntur.

Hinc Urbem repetierunt Tertiariæ Carmelitæ, ibique novum Magistrarum Piarum Conservatorium habentes preces dederunt SANCTISSIMO pro translatione dictorum locorum Montium favore novi Conservatorii in Urbe obtenti. His vero precibus Sacræ Congregationi remissis Contradictorem se præbuit Promotor Fiscalis Curiæ Episcopalis Tusculanæ, ac ad omnes sedandas controversias plura nunc proponuntur dubia.

Ad I. advertit, Archipresbyterum Arcis Priorum SANCTISSIMO preces dedisse pro institutione Magistrarum Piarum

in

in eodem Oppido: pro harum institutione Bened. XIV. annua scuta 36. assignasse: Margaritam Balzani, & Mariam Stainer dotalium Subsidiorum exactionem, & eorumdem investimentum favore Conservatorii Magistrarum Piarum dicti Loci petiisse: nullibi verba haberi de Tertiariis Carmelitis: ac proinde nullam Tertiariis Carmelitis debitam esse reintegrationem.

Addit, Magistras Pias ex suo instituto sine ullo contractu ad munus exercendum admitti: Nullum titulum conductitium, nullamque promissionem perseverandi habere: Oratrices sponte, & non coacte discessisse: per triennium, & ultra siluisse: deesse proinde titulum, quo reintegrationem petere valeant: Abesseque insuper occasionem inquirendi de causa dimissionis. Cæterum advertit, eam abunde adfuisse, dum Tertiariæ renuerunt habitum assumere instituti Magistrarum Piarum, ac Episcopi jurisdictionem agnoscere, cui de jure subjectæ sunt *Pignat. cons. Can. tom. 2. consul. 65., & Petra in Comment. ad Constit. 15. Martini V. num. 19. tom. 4.*

Ad II. præmittit, se paratum ad omnia Oratricibus restituenda, quæ propriis pecuniis comparata probari poterunt: Nihil tamen ab Oratricibus evinci: immo Domum fuisse a Communitate donatam: ex benefactorum largitionibus ampliatam: bona stabilia acquisita fuisse favore Scholæ, & Conservatorii: mobilia vero fere nulla reperta, & quidem minimi valoris: nil esse proinde, quod Oratricibus sit restituendum, ad *Textum in L. Proponebatur 76. ff. de Judic.*

Ad III. repetit, Margaritam Balzani, & Mariam Stainer preces Summo Pontifici dedisse pro investimento Subsidiorum dotalium favore Conservatorii: Pontificem favore ejusdem Conservatorii exactionem, & erogationem indulsisse: litteris patentalibus insertum nomen, non Oratricum, sed Conservatorii, & Scholæ Magistrarum Piarum Terræ Arcis Priorum: inspecta idcirco, tum clara Pontificis mente, tum Locorum montium indole, non ad Oratrices, sed ad Conservatorium, & Scholam spectare, *Rot. in Romana relevationis damnorum 29. Martii 1762. §. 13. coram Ratta.*

Falso vero supponi, eadem Loca montium empta fuisse ex pecuniis dotalibus ad Oratrices spectantibus. Dotalia enim Subsidia eisdem debita non fuisse, nisi inito conjugio vel spirituali, vel temporali: alterutroque casu non purificato, nullum jus iisdem competiisse: Speciali hinc gratia Summi Pontificis fuisse exacta, & tantum legi in Rescripto adjectæ adhærendum esse. At vero Summum Pontificem investimentum, non favore Oratricum, sed Scholæ injunxisse: ad id motum fuisse ex causa instructionis Puellarum Arcis Priorum: Reversionem amplius ad Loca Pia

 injun-

injunxisse, quatenus Domus amplius non subsisteret. Magisterio ideo in dicto Oppido adhuc perseverante, nec reversionem ad Loca Pia, nec jus Oratricum percipiendi fructus purificatum fuisse. Cæterum se paratum pollicetur iterum Oratrices ad Scholas recipere, quatenus aliarum Magistrarum Piarum instituto ad formam Synodalis Decreti conformare se velint.

Ex parte Oratricum adhuc libellum non habuimus.

De Tertiariis edixit Leo X. *in Constitut. Dum initia* 29. *Decembris* 1516. §.20. *Collegialiter autem viventes, seu cum Claustralibus habitantes, ac mulieres virginalem, seu cælibem, aut castam vidualem expresso voto, & sub dicto habitu vitam ducentes, privilegiis, quibus Fratres Ordinis, cujus Tertiæ Regulæ habitum gestant, gaudere debeant*; ac postmodum declaravit anno 1518., *quod in præmissis de voto solemni Religionis minime intelligi debeat, ita ut mulieres virginalem, aut cælibem vitam simpliciter voventes, etiam in Consanguinearum, & Affinium suarum, aut propriis domibus, vel seorsim habitantes, privilegiis, & immunitatibus prædictis, in omnibus, & per omnia frui, & gaudere debeant.*

Verum S. Pius V. in sua Constitutione incipien. = *Cura pastoralis* = statuit = *Mulieres quoque, quæ Tertiariæ, seu de Pœnitentia dicuntur, cujuscumque fuerint Ordinis in Congregatione viventes, si & ipsæ professæ fuerint, ita ut solemne votum emiserint, ad Clausuram præcise, ut præmittitur, & ipsæ teneantur: quod si votum solemne non emiserint, Ordinarii una cum Superioribus earum hortentur, & persuadere studeant, ut illud emittant, & profiteantur, ac post emissionem, & professionem eidem clausuræ subjiciant; quod si recusaverint, & aliquæ ex eis inventæ fuerint scandalose vivere, severissime puniantur, cæteris autem omnibus sic absque emissione professionis, & clausura vivere omnino volentibus interdicimus, & perpetuo prohibemus, ne in futurum ullam amplius prorsus in suum Ordinem, Religionem, Congregationemve recipiant. Quod si contra hujusmodi hanc nostram prohibitionem, & decretum alias receperint, eas ad sic vivendum omnino inhabiles reddimus.*

Super hac Pii V. Constitutione nonnulla prodierunt Sac. hujus Congregationis decreta apud *Diana tom. 7. tract. 1. resolut.* 331., *Petra in Commentar. ad Constitut.* 15. *Martini V. num.* 5., iisdemque adhæsit die 20. Decembris 1616. Sac. Congregatio Episcop., & Regular. statuens, minime posse Sacerdotes Regulares mulierum tertii Ordinis Confessiones excipere, nisi fuerint ab Ordinario approbati pro excipiendis Confessionibus Sæcularium: A jurisdictione Ordinarii exemptas esse omnes Tertiarias vitam virginalem, vel cælibem simpliciter, expresseque voventes etiam in Consanguineorum, & Affinium suorum, aut propriis domibus, vel seorsim habitantes: ad Ordinarii judicium spectare, an hæ omnes qualitates in Tertiariis concurrant;

rant: Superioribus Regularibus ad id a Sede Apostolica subfultis licere mulieres ad hujusmodi habitum recipere, atque ad ipsos vestiendi eas officium pertinere: ad habitum admittendas non esse, nisi probatæ vitæ, & bonis moribus præditas, atque in ætate saltem 40. annorum constitutas, quæ de proprio habeant, ut sufficienter vivere possint, & ab Ordinario loci licentia prius impetrata, qui non aliter eam concedat, nisi de prædictis prævio examine diligenti sibi constiterit: *Supradictis vero decretis mulieres Tertii Ordinis, quæ collegialiter vivunt, non comprehendi, quin immo eas dispositioni Constitutionis Pii V. editæ anno 1566. penitus subjacere, expresse declarat, non obstantibus quibuscumque in contrarium facientibus.*

Sacra hinc Congregatio in una *Lunen. Sarzanen. Visitationis Sacrorum Liminum*, qua Tertiariæ Ordinis S. Francisci in Conservatorio degentes absque clausura, se exemptas ab Episcopi jurisdictione contendebant, petente Episcopo, quid sibi agendum foret, rescripsit *die 30. Januarii 1723. Conservatorium esse subjectum omnimodæ jurisdictioni Episcopi.* una *Januen.*, qua Tertiariæ Ordinis S. Dominici in communi absque clausura, & voto solemni viventes exemptionem à Parocho, & Episcopo contendebant, proposito = *An Puellæ Tertii Ordinis Sancti Dominici Civitatis Januæ nuncupatæ Tertiariæ subjectæ sint jurisdictioni Parochi* = rescripsit die 26. Aprilis 1749. = *Affirmative*.

De Subsidiis dotalibus pro matrimonio spirituali relictis, an etiam Tertiariis domi viventibus, vel in communi absque emissione votorum degentibus præstari debeant, affirmative tenent *Diana part.4.tract.1.resolut.31.in fine*, *Navar. de elect. fori sect.2. quæst.66.num.26. tit.16.*, *Donat. in prax.reg. tom.2. tract.17. tit.de Sororibus quæst.3. num.23.*, *Graff. de off. Cleric.in prælud.num.45.* Negative vero *Joan. Castil. controv. tom.5.cap.81.& 91. num.53.*, *Card.de Luc. de Dote disc.5.n.2.*, *& Franc.Castil. decis.88.num.5.*

Verum communis obtinet distinctio, aut agitur de legato dotis facto ab eo, qui alias dotare tenetur, & tunc Tertiarias esse admittendas, sive dos succedat loco legitimæ, sive loco alimentorum: aut de legato facto ab extraneo puellis incertis pro matrimonio spirituali, & tunc Tertiariæ non sunt admittendæ, quia, licet caste vivant, non tamen verificatur, quod matrimonium spirituale contrahant, dum professionem non emittunt: Nisi tamen Testator matrimonium spirituale tantum demonstrative expresserit, ea solum mente, ut Puellæ caste, & honeste vivant.

Hinc Sacra Congregatio in una *Senen. dotis*, qua Puellæ degentes in Monasterio sub Regula S. Augustini absque tribus votis solemnibus, & clausura, dotem pro monachandis relictam petebant, proposito = *An juxta prænarrati Testamenti*

ti formulam dotem consequi possent puellæ, quæ Senis Moniales fiunt in Monasterio, ut dicunt, di Maria Agnese, e del Rifugio = rescripsit *die 29. Maji 1663.* = *Non posse consequi* = *lib. 25. decret. pag. 599.*

In una *Spoletana Subsidiorum*, qua Congregatio Puellarum Convictricium Sanctissimi Pueri Jesu Civitatis Spoletanæ nullis substantialibus votis, nullaque clausuræ lege, sed tantum simplici perseverantiæ voto obstrictarum, petierat, ut Puellis in dicta Congregatione oblatis fieret potestas assequendi dotalia Subsidia Monialibus professis relicta, proposito = *An, & quomodo Oratricum precibus sit annuendum in casu &c.* = Rescriptum fuit die 20. Septemb. 1710. = *Negative, & recurrant in casibus particularibus.*

De Magistrarum Piarum origine, ac instituto differit Benedictus XIV., dum Anglicanarum Virginum institutum confirmavit in Constitut. incipien. *Quamvis 30. Aprilis 1749. cap. 7. §. 21. tom. 3.* = *Harum omnium institutum circa educationem, & disciplinam Puellarum occupatur, quod quum aliquibus retro annis in Diœcesi Montis Falisci, dum bon. mem. Marcus Antonius hujus S.R.E. Cardinalis Barbadicus nuncupatus illius regimen obtineret, initium habuisset, brevi tempore ad alia loca propagatum fuit, ita ut etiam nonnulla ipsius instituti Conservatoria in hac ipsa Urbe fuerint constituta; Sed exortis in illius regimine quibusdam controversiis in duas diversi nominis Societates, quæ tamen unum, idemque opus urgent, divisum fuit.*

Quilibet hujusmodi Mulierum cœtus proprium habet Directorem Spiritualem, qui de Animarum cultura tantummodo gerit; Utraque vero Societas singulis trienniis coram proprio Directore Spirituali congregata, suam sibi eligit Generalem Superiorissam, aliasque Officiales Consultrices nuncupatas, cui quidem Superiorissæ generali omnes ejusdem instituti Magistræ subjectæ sunt, & obediunt in iis omnibus, quæ ad Scholarum regimen, earumque progressus pertinent. Ipsa vero statis temporibus Scholas omnes instituti sibi subjecti visitando perlustrat, quamvis extra Urbem in diversis per Suburbicariam regionem Diœcesibus existant. Quæ quidem, quum ab hujusmodi generalibus Superiorissis, sine detrimento jurisdictionis Ordinariorum, quibus earum Societates immediate subjectæ sunt, & sine ipsorum querela, pacifice exerceantur; merito judicari visum est, Anglicanarum quoque Virginum institutum, firmo quamvis remanente, ut præfertur, officio earum Supremæ, seu Generalis Superiorissæ, & Christianæ Puellarum educationi valde proficuum, & etiam ipsis Episcopis in Diœcesium sibi commissarum regimine non modico adjumento esse posse.

EE. PP. decernant

I. *An Tertiariæ Carmelitæ reintegrandæ sint ad Scholam, & Conservatorium Arcis Priorum in casu &c.*, & quatenus negative

II. *An*

II. *An eisdem restituenda sint asserta bona stabilia, & mobilia, nec non assertæ expensæ factæ in Fabrica Conservatorii, in casu &c.*

III. *An fructus Locorum quatuor cum dimidio Montis S. Petri septimæ Erectionis transferri debeant in Oratrices, seu potius debiti fuerint, & debeantur Domui, seu Scholæ Magistrarum Piarum Oppidi Arcis Priorum Tusculanæ Diœcesis, in casu &c.*

SPOLETANA, SEU PERUSINA SUBSIDII DOTALIS. Testamentum scripserat die 6. Martii 1730. Sacerdos Christophorus Alberici Nucerinus, quo, Exequutoribus suæ voluntatis designatis Episcopo, ac Capitulo Civitatis Nuceriæ, ac Priore laico Hospitalis S. Mariæ Misericordiæ Civitatis Perusiæ, in quo Prioris Clerici munus obibat, jussit, ut ex fructibus totius suæ hæreditatis *Se ne dia una dote alle figlie de' figli, o delle figlie di Francesco Alberici di Nocera, e, quando di questo non vi fossero, alle figlie de' figli, o delle figlie di Anna Francesca Sorella di Simone Alberici ogni anno, finche vi saranno le figlie di dette linee, e dependenze, e caso mai mancasse la linea, e descendenza delle figlie de' sudetti nominati, voglio, ordino, e comando, che gli sudetti Signori Esecutori abbiano facoltà ogn'anno dispensare una dote di scudi 50. ad una Zitella povera di Nocera*; Si quid autem superesset ex fructibus suæ hæreditatis voluit, ut = *se ne facci un moltiplico per lo spatio di anni dieci, dopo li quali essendo il frutto capace, voglio si facci l'elezzione nella forma sudetta anche di due Zitelle perpetuamente, come si è detto, ogn'anno.* Sess. 25. cap. 4. de Reform.

Verum triduo post, nempe die 9. ejusdem mensis Executores Testamentarios constituit administratores dicti Hospitalis, cum eodem onere erogandi fructus suæ hæreditatis *in assegnar doti di scudi 50. l'una in primo luogo alle di lui parenti Zitelle sino al quinto grado, e quando non vi fosse veruna di simile attinenza, assegnare simili doti ad altre Zitelle della Città di Perugia nate di legittimo matrimonio colla disposizione in perpetuo, e nel modo, che si è stabilito in detto altro Testamento, e poterne dotare anche due l'anno.*

In Visitatione dicti Hospitalis, quam anno 1739. peregit bo. mem. Martinus Innicus Caraccioli Commissarius Apostolicus, inter cætera edixit: *Che de' frutti ereditarj del quondam Cristoforo Alberici, essendovi Zitelle sue parenti sino al quinto grado, debba assegnarsi la Dote di scudi 50. per ciascheduna secondo la sua disposizione testamentaria, e non essendovi parenti dentro il grado sudetto, non sia l'Ospedale obbligato dispensarne altre doti in beneficio di altre. Dichiarando in oltre, che il detto quinto grado si debba intendere secondo la disposizione, e modo di contare dal Jus Civile, al qual' effetto ordiniamo, che gli Signori Priori di detto Ospedale non possano, ne debbano pagare la sudetta*

ta Dote a chi si asserisce parente di detto Alberici, se non giustifica concludentemente la sua descendenza dentro il grado =

Ob ejusmodi idcirco decretum renuerunt Hospitalis Administratores dotem tradere Annæ Alberici Civitatis Spoletanæ, quæ juxta computationem quidem Canonicam Testatori Sanguine jungitur quinto gradu, sed sexto gradu ab eo distat secundum computationem Civilem. Quare eadem Anna preces dedit SSmo, ut Administratores ad dotem sibi præstandam cogerentur; illæque ad Sac. Congregationem remissæ fuerunt cum facultate etiam cognoscendi de justitia, vel injustitia memorati decreti anni 1739.

Inquit Anna Alberici, Testatorem vocasse omnes Consanguineas ad quintum usque gradum; gradus computandos secundum normam Juris Canonici, non Civilis; se quinto tantum gradu, Jure Canonico inspecto, a Testatore distare: dotale proinde subsidium ex clara Testatoris voluntate sibi debitum esse *Garzias de Benef. par. 3. cap. 15. nu. 6.*, *Rot. coram Molines decis. 343. num. 3.*

Manifesta idcirco injustitia, ac aperto errore notari decretum anni 1739., ad Visitatoris officium non spectasse juris quæstiones definire; male, & contra omnes juris regulas Testamenti verba interpretatum esse: jus Consanguineis quæsitum ipsis inauditis abrogare nequivisse: idem proinde decretum, velut omnino nullum, & injustum spernendum esse.

Contra negant primum Administratores, Oratricem Testatori sanguine junctam esse: deinde advertunt, Testatorem nonnisi Consanguineas usque ad quintum gradum vocasse: Oratricem proinde, quæ tantum sexto gradu secundum Jus Civile se conjunctam contendit, nonnisi injuste petere dotale subsidium contra claram Testatoris voluntatem. Nec ambigendum esse, quin in subjecta re sit servanda graduum computatio a Jure Civili præscripta, quum ita præscripserit anno 1739. Visitator Apostolicus, & ita etiam juris dispositione caveatur; Nam, nuptiis exceptis, in reliquis gradus semper ad nomam juris Civilis computantur. *Oinot. instit. Civ. lib. 1. de Nupt. tit. 10. de Arbor. Consanguin. num. 11.*, *Gratian. discept. forens. cap. 77. num. 1.*, *Rot. rec. decis. 436. num. 14. par. 5. tom. 2.*, *& decis. 157. num. 6. par. 14.*

Accedere quoque putant claram Testatoris voluntatem: Hanc eliciunt ex relatione per ipsum habita ad præcedens testamentum. Quum in hoc enim ad subsidium dotale vocaverit dumtaxat neptes Francisci, & Annæ Franciscæ quinto gradu secundum jus Civile sibi conjunctas, apertum hinc esse, Testatorem ad Juris Civilis, non vero Canonici computationem respexisse.

Advertunt demum, frustra recurri ad præsumptam Testatoris affectionem, quia hæc ultra quartum gradum jure Civi-

li

li computandum non extenditur *Rot. cor. Emerix decis.* 898. *num.* 3. itemque perperam supponi reditus hospitalis pingues, & exuberantes esse, quum revera longe impares sint ad onera ferenda, gravique ære alieno ob eorumdem tenuitatem prematur.

Episcopus Perusinus plura perpendit super Testamenti interpretatione, ac injustitia decreti anni 1739. ac concludit: *Crederem Oratricis precibus esse annuendum, demandando Prioribus Hospitalis solutionem Subsidii Dotalis Puellæ Annæ Alterici*. Episcopus vero Spoletanus, quum notam non habuerit Testatoris dispositionem se remittit judicio Episcopi Perusini, ac quoad Oratricis personam inquit: *Quod unum certo asseram est Oratricis honestas, & paupertas, non indignæ idcirco, ut a pietate Sac. istius Congregationis benigne eidem indulgeatur, quatenus pia voluntas in contrarium non obstet*.

Alexander II. *in Can. ad Sedem Apostolicam Caus.* 35. *quæst.* 5. hæc habet: = *Ad Sedem Apostolicam perlata est quæstio noviter exorta de gradibus consanguinitatis, quam quidam legum, & Canonum imperiti excitantes, eosdem propinquitatis gradus contra Sacros Canones, & Ecclesiasticum morem numerare nituntur, diuque ventilatis, & Sacris Canonibus distincte invenimus ob aliam, atque aliam Causam, alteram Canonum computationem. In legibus siquidem ob nihil aliud ipsorum graduum mentio facta est, nisi ut hæreditas, vel Successio ab una ad alteram personam inter consanguineos deferatur. In Canonibus vero ob hoc progenies computatur, ut aperte monstretur usque ad quartam generationem a consanguineorum nuptiis sit abstinendum. Ibi præscribitur, ut hæreditas propinquis modo legitimo conferatur, hic vero, ut rite, & Canonice inter fideles nuptiæ celebrentur. In legibus distincte non numerantur gradus, nisi usque ad sextum, in Canonibus vero usque ad septimam distinguuntur generationem. Hac igitur de Causa, quia hæreditates nequeunt deferri, nisi de una ad alteram personam, idcirco curavit Sæcularis Imperator in singulis personis singulos præfigere gradus. Quia vero nuptiæ sine duabus non valent fieri personis, ideo Sacri Canones duas in uno gradu constituere personas*.

Hinc communis est traditio, ut quoad Matrimonia tantum servetur computatio graduum juxta Jus Canonicum; in reliquis vero dispositionibus, & successionibus servetur altera tradita jure Civili *Bald. cons.* 469. *in fin. lib.* 1., *Bart. cons.* 224. *num.* 2. *lib.* 1., *Mieres de major. lib.* 2. *quæst.* 7. *num.* 1. ea potissimum ratione, quia computatio juris Civilis est propria, & naturalis, quum procedat per gradus, per quos non vadit jus Canonicum, sed per saltus, ut advertunt *Andreol. contr.* 168. *num.* 6., *Gratian. discept.* 77. *num.* 2., *& seq.*

Receditur tamen ab hisce regulis, quando Testatoris voluntati consentaneæ non sunt. Hinc *Rot. decis.* 291. *coram Caprara* censuit, in vocatione conjunctorum intra tertium gradum comprehendi fœminam, quæ licet secundum Ju-

Civile quarto gradu distaret, juxta computationem tamen Canonicam tertio gradu Testatori erat conjuncta; hac potissimum ratione = *Quoniam licet, inspecto jure Civili, quod regulariter servatur in computatione graduum in materia successionis, Cæcilia sit in quarto gradu, est tamen in tertio, inspecto jure Canonico, secundum cujus censuram visum est, regulandam esse in præsenti computationem graduum, tam quia agitur de testamento Viri vulgaris conditionis, & legum imperiti, quarum personarum usus est computare gradus, ut fit in matrimoniis, secundum Jus Canonicum, & pro computatione Juris Canonici stat vulgus totum, & communis usus, & vix populus cognoscit aliam: tum quia non agitur in concursu Consanguineorum contendentium de proximioritate, sed de unico proximiore.*

Sac. Congregatio in una *Eugubina*, qua Sacerdos Guidubaldus Rossettus dotem scutorum 50. reliquerat puellis secundo, & tertio gradu sibi conjunctis, proposito, an computatio graduum facienda esset juxta jus Civile, vel Canonicum, rescripsit die 18. Decembris 1723. *Computationem gradum esse faciendam juxta Jus Canonicum*.

Hisce præhabitis, dijudicent EE. VV.

An debeatur Subsidium Dotale in casu &c.

Sess. 22. cap. 11. de Reform.

CAMERINEN.: In Ecclesia Collegiata S. Mariæ Oppidi S. Genesii Camerinen. Diæcesis anno 1484. Ordinarii auctoritate, & Canonicorum consensu extructa fuit a Communitate ejusdem Oppidi Capella cum Altari B. M. V. Gratiarum dicato, & in ea erectum contemporaneè fuit sodalitium certis legibus, & conditionibus, & præsertim, quod Communitati, quæ sibi patronatum reservavit, jus esset eligendi quinque Conservatores ejusdem Altaris, quorum unus esset Parochus, itemque nominandi illius Cappellanum, & Rectorem ex Canonicis ejusdem Ecclesiæ; quod oblationes, & introitus a Conservatoribus distribuerentur in præscriptis operibus piis; fierentque insuper duo libri introitus, & exitus, quorum alter a Priore, alter asservaretur a Conservatoribus, qui tenerentur reddere rationem coram tribus, vel quatuor Civibus a prædicta Communitate eligendis; ac demum, ut excommunicationis sententiam ipso facto incurrerent quicumque ex bonis dictæ Fraternitatis aliquid abstulisset, celasset, & impedivisset.

Anno autem 1486. San. Mem. Innocentius VIII. literis Apostolicis, Capellæ, & in ea constructi Altaris patronatum erga Communitatem confirmavit, eique commisit illius *curam, regimen, & gubernationem, ita quod in Divinis juxta providam ordinationem vestram ibidem deserviatur per deputandos ad id idoneos Sacerdotes ab beneplacitum vestrum amo-*

vibi-

vibiles, nec non de oblationibus, & eleemosinis, & charitatis suffragiis ejusdem Capellæ in præmissas pias Causas dumtaxat perpetuis futuris temporibus disponere libere, & licite valeatis, præfati, & pro tempore existentis Episcopi Camerinen., & cujusvis alterius licentia super hæc minime requisita.

Dira peste inde Populum divexante solemnis fieri consuevit supplicatio in qualibet Dominica prima mensis Julii, cum interventu universi Cleri tam Sæcularis, quam Regularis, usufque invaluit præstandi ex reditibus dictæ Capellæ, seu Altaris certam eleemosinam Capitulo ad illam intervenienti. Verum, cum nulli extarent anno 1726. Capellæ reditus in eamdem eleemosinam erogandi, hinc Communitas publicis Comitiis constituit eam ex ipsius reditibus extraordinariis præstare, prout revera ad annum usq. 1762. semper præstitit in summa scut. 2. 95.

Hoc autem anno, auctis jam Capellæ reditibus, aliis publicis comitiis Statutum est, ut in posterum dicta eleemosina ex reditibus Capellæ traderetur: Cumque in ejusdem Capellæ creditum depositа extaret summa scut. 128. 80., in successivis comitiis *diei* 20. *Augusti* 1762. resolutum est, *che in quella somma, che proviene dal taglio de legnami, co' quali dovea farsi i bonificamenti, che non sonosi effettuati, che in poca parte, venisse erogato con maggiore, e più certezza, e sicurezza in capitale fruttifero per detto luogo Pio, e colla restante somma venisse rinfrancata la nostra Communità dello speso in elemosine delle Processioni della prima Domenica di Luglio dall'anno* 1724. *in quà, ò altro più vero tempo: e di tale rinfranco colla somma di scudi venti si creasse un censo attivo a favore della medesima Communità, e col resto si venisse alla provista di un Piviale, e Tonicelle di color rosso tanto necessarj nelle Feste del nostro publico, e per altri ornamenti necessarj nel quadro della stessa Cappella.* Et hæc resolutio mandata jam fuit exequutioni; nam investita fuerunt scuta 60. in censu favore Capellæ, reliqua vero scuta 68. 88. consignata die 6. Julii 1765. Camerario Communitatis, ut ratam scut. 15. circiter erogaret in Sacrarum suppellectilium emptionem, residuam verò credito Communitatis accenseret.

Ob hanc appropriationem rumor invaluit in toto Oppido, Judicem, qui Comitiis præfuit, Consiliarios, qui suffragiis in eam consenserunt, ac Secretarium, qui acta Concilii, & mandatum consignationis pecuniarum exaravit, censuras incurrisse. Preces hinc hi omnes dederunt pro absolutione, quæ cum usque nunc cum reincidentia concessa fuerit, quia interea nomine Capituli ejusdem Ecclesiæ Collegiatæ aliæ preces datæ fuerunt pro declaratione incursarum Censurarum, ac admissi jurispatronatus, ac administrationis, nec non pro coactione Communitatis ad Capellæ reintegrationem, de singulis proinde modo proponitur dubium.

Ad I. inquiunt Prætor, Consiliarii, & Secretarius, eleemosinam Capitulo supplicationi intervenienti semper ad annum usque 1726. ex reditibus Capellæ præstitam fuisse eo tantum ob horum redituum defectum Communitatem ære proprio eam præstare statuisse : præstationem hanc fuisse merè subsidiariam, ac per quamdam mutui speciem Communitatem administratricem Capellæ sua pecunia satisfecisse obligationi, quæ ipsi Capellæ insidebat; imò ob non obtentam a Sac. Congregatione Boni Regiminis approbationem, factum illud nec obligationem dictæ præstationis transtulisse in Communitatem, nec ab ea exemisse Capellam: jure proindè Communitatem ex istius reditibus reperiisse pecunias in ejus levamen, commodumque solutas *Rot. rec. decis.*405. *num.* 3. *par.* 19., *&* *cor. Falconer. de solut. decis.*25. *num.*10.

Perperam hinc de incursis censuris redargui : Communitatem id tantum recuperasse, quod erat jure sibi restituendum. Cœterum advertunt, omnem defuisse dolum, fraudem, & usurpationis animum, immo partem repetitæ pecuniæ versam esse in utilitatem Capellæ : nullas idcircò incursas fuisse censuras, ad quas eliminandas satis est abesse dolum, & fraudem, ac ab eis excusat quælibet causa licet tantum colorata, & verosimilis *Pignattel. consult.* 44. *num.*4. *tom.*7., *Rot. rec. decis.*167. *num.*2. *par.*19.

Extraneam hinc ad II. ajunt quæstionem de absolutione. Cœterum advertunt vix excitato Censurarum rumore statim integram summam pro reintegratione Capellæ, quatenus opus foret, depositam fuisse, & ita cujusvis doli, fraudis, & contumaciæ speciem depelli; absolutionem idcircò sibi esse indulgendam *Sperel. decis.* 39. *num.* 30., *&* *Rot. decis.*167. *num.*6. *par.*19. *Recen.*

Eadem quoque ad III. repetunt pro excludenda caducitate a jurepatronatus, & administratione : Addunt insuper, in ipsis Comitiis adjectam fuisse legem reportandi a Superioribus licentiam, quatenus opus foret : eamdem Capellam ex munificentia Communitatis innumera beneficia retulisse, deesse proindè omnem usurpationis suspicionem; ac demum inquiunt, quamcumque culpam Consiliariorum esse damno non posse Communitati, ad quam juspatronatus pertinet, & administratio *Monacell. formul. legal. tit.* 11. *num.*5. *tom.*1.

Ad IV. asserunt, onus agendæ publicæ supplicationis Communitati injunctum haud fuisse nec in erectione Capellæ, nec in literis Apostolicis : usque ad annum 1726. semper ex reditibus Capellæ fuisse præstitam eleemosinam; nonnisi iis deficientibus Communitatem subsidiarie, & quidem nulliter illam contulisse : Auctoritate proindè immemorabilis consuetudinis ex reditibus Capellæ in posterum præstandam esse.

Sper-

Spernendas hinc concludunt præstationes a Communitate factas ab anno 1726. usque ad 1762., tum quia conditionales, tum quia a radice infecta provenientes: Spernendum itidem assertum votum Communitatis habendi dicta die supplicationem, & quia nullibi probatur, & quia ulterius excluditur ab immemorabili solutione ex reditibus Capellæ, non Communitatis semper facta.

Ad V. repetunt, præstationem ab immemorabili factam fuisse ex reditibus Capellæ: Consiliarios anno 1726. nec potuisse propria auctoritate illius onus transferre in Communitatem, nec etiam voluisse, cum non nisi ob expressum defectum redituum Capellæ, subsidiarie eleemosinam præstare statuissent: pecunias proindè huc usque a Communitate solutas eidem esse restituendas ex reditibus Capellæ *Rot. decis.41. num.11. par.6. Recen.*

Nonnulli ex Canonicis libellum exhibuerunt, quo ad I. inquiunt, Consiliarios nequivisse propria auctoritate usurpare pecuniam in creditum Capellæ depositam, eamque in Communitatis usus convertere; ob hanc idcircò usurpationem in censuras incidisse tum ex litera erectionis dictæ Capellæ, tum ex dispositione *Sacri Concilii Tridentini sess.22. cap.11. de Ref.*

Inanem verò esse titulum reintegrationis eleemosinæ ab anno 1726. ad 1762. a Communitate præstitæ: Nullibi in fundatione tale onus Capellæ injungi: Supplicationem ex mero Communitatis voto fieri, eam proinde sumptibus Communitatis, non Capellæ fieri debuisse. Bonam demum fidem consiliariorum non probari, immo penitùs excludi tum ex notissima Sacrorum Canonum dispositione, tum ab expressa fundationis Capellæ lege, tum demum ex reservato in publicis Comitiis superiorum beneplacito.

Hinc ad II. concedunt, absolutionem esse denegandam, nisi plenè sequuta Capellæ reintegratione: hanc verò non satis impleri per fictum depositum penès Communitatis Ministros; hoc vel penes ædem Sacram S. Genesii, vel penès Canonicum Capellæ administratorem esse faciendum.

Ad III. claram, esse obiiciunt, usurpationem a Communitate factam; expressam quoque pænam privationis jurispatronatus a Concilio Tridentino *sess.22.cap.11.* indictam: apertum ideo reddi Communitatem a jurepatronatus, & administratione cecidisse. His additur insuper improvidam fuisse Communitatis administrationem; gravia hinc damna Capellam subiisse, atque idcircò expedire, ut incursa privatio confirmetur.

Postulant proindè, ut integra administratio Capitulo addicatur. Ajunt enim brevi Canonicorum administratione Capellæ reditus non deficientes, sed exuberantes fuisse re-

repertos; eorumdem diligentia plurimum fuiſſe auctos.
Vel ſaltem petunt, ut quibuſvis non obſtantibus Epiſcopo poteſtas fiat invigilandi rectæ adminiſtrationi Capellæ.

Ad IV. repetunt ſupplicationem diei 1. Julii non ex lege fundationis Capellæ, ſed ex mero Communitatis voto fieri; expenſas proindè pro ea neceſſarias non a Capella, ſed a Communitate eſſe ferendas. Nec obeſſe quamcumque contrariam conſuetudinem, quia cum Capellæ adminiſtratio privativè a Communitatis Miniſtris exerceatur, nulla ob id legitima conſuetudo ex eorum facto induci potuit favore Communitatis in damnum Capellæ.

Injuſtè ideo peti, ad V. arguunt, repetitionem eleemoſinæ ab anno 1726. ad 1762. a Communitate præſtitæ: hanc onus proprium, non Capellæ implevisse: Se ad eam præſtandam publicis comitiis obligaſſe, rectèque ad ipſius contributionem ex proventibus extraordinariis potuiſſe propria auctoritate obligari, propterea que nulli reintegrationi eſſe locum.

Synodus Tridentina *ſeſſ. 22. cap. 11. de Refor.* hæc habet: *Si quem Clericorum, vel Laicorum quacumque dignitate etiam imperiali, aut regali præfulgeat in tantum malorum omnium radix cupiditas occupaverit, ut alicujus Eccleſiæ, ſeu cujuſvis Sæcularis, vel Regularis Beneficii, Montium Pietatis, aliorumque Piorum Locorum juriſdictionis, bona, cenſus, ac jura etiam fæudalia, & emphyteutica, fructus, emolumenta, ſeu quaſcumque obventiones, quæ in Miniſtrorum, & pauperum neceſſitates converti debent per ſe, vel alios, vi, vel timore incuſſo, ſeu etiam per ſuppoſitas perſonas Clericorum, aut Laicorum, aut quacumque alia arte, aut quorumque quæſito colore in proprios uſus convertere, illoſque uſurpare præſumpſerit, ſeu impedire, ne ab iis, ad quos jure pertinent, percipiantur, is anathemati tandiù ſubjaceat, quandiù juriſdictiones, bona, res, jura, fructus, reditus, quos occupaverit, vel qui ad eum quomodocumque etiam donationi ſuppoſitæ perſonæ pervenerint Eccleſiæ, ejuſque Adminiſtratori, ſive Beneficiato integrè reſtituerit, ac tandem a Romano Pontifice abſolutionem obtinuerit. Quod ſi ejuſdem Eccleſiæ Patronus fuerit, etiam jurepatronatus ultra prædictas pœnas eo ipſo privatus exiſtat.*

Verùm inter cauſas, quæ ab incurrendis Cenſuris excuſant, potiſſimè recenſetur ignorantia ſive juris, ſive facti, dummodo craſſa, aut ſupina non ſit. De ignorantia juris loquitur *Bonifacius VIII. in Cap. Ut animarum 2. de Conſtit. in 6.* = *Ut animarum periculis obvietur, ſententiis per Statuta quorumcumque Ordinariorum prolatis, ligari nolumus ignorantes, dum tamen eorum ignorantia craſſa non fuerit aut ſupina.* De ignorantia verò facti *Alexand. III. in Cap. Si vero 4. de Senten. excom.* = *Si verò aliquis in Clericum nutrientem comam manus injecerit violentas, propter hoc non debet Apoſtolico præſen-*

sentari conspectui, nec etiam excommunicatione nodari, dummodo ipsum esse Clericum ignoraverit. Vel si hoc dubium fuerit, propria manu dumtaxat præstiterit juramentum, quod eum esse Clericum ignorasset.

An autem, & quando a censuris excuset defectus doli, fraudis, & contempus, ac bona fides latè tradit *Card. Petra ad Constit. Apostolic. ad Constit. V. Pauli II. sect. 4. num. 35., & seq., & Rot. cor. Molines decis.* 284. *per tot.*

Dignentur Emi PP. respondere

I. *An constet de incursu in censuras in casu &c.* & quatenus affirmativè.

II. *An sit locus absolutioni in casu &c.*

III. *An Consiliarii, aliique Officiales, & Ministri Communitatis ceciderint a jurepatronatus, & administratione Capellæ S. Mariæ Gratiarum in casu &c.*

IV. *An publica supplicatio fieri solita prima Dominica Julii sit facienda ex reditibus ejusdem Capellæ, seu potius ex reditibus Communitatis in casu &c.*

V. *An, & cujus favore sit locus reintegrationi in casu &c.*

Die Sabbathi 30. Maji 1767. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

SEx Causæ in præcedenti Congregatione indecisæ remanserunt. Ex his tres primæ relatæ sunt in anteriori Folio diei 4. Aprilis, aliæ, quæ sequuntur tres in posteriori Folio recensentur. Utroque itaque reassumpto, placeat EE.VV. propositas quæstiones definire.

VITERBIEN. CAPELLANIÆ.

Sess. 22. cap. 8. & 9. de Reform.

I. *An Capellania fundata in Ecclesia Collegiata SS. Faustini, & Jovitæ Viterbien. a quondam Sernutio Ciccolini sit manualis, & ad nutum Sanctesium Patronorum amovibilis, vel potius perpetua, in casu &c.*

II. *An, & quot Missas debeat annuatim celebrare Capellanus dictæ Capellaniæ, in casu &c.*

III. *An Capellanus pro tempore dictæ Capellaniæ teneatur ad servitium, & assistentiam Chori in Divinis Officiis, in casu &c.*

IV. *An administratio Bonorum dictæ Capellaniæ spectet privative ad Sancteses, vel potius ad Capellanum pro tempore ejusdem Capellaniæ, in casu &c.*

V. *An ad Capellanum spectent omnes reditus pro dote dictæ Capellaniæ a Testatore relicti, seu potius in qua summa sit taxanda annua congrua Capellani, in casu &c.*

VI. *An, & quis teneatur annuatim solvere Capitulo SS. Faustini, & Jovitæ utensilia Missarum, & in qua summa, in casu &c.*

VII. *An eidem Capellano, quamvis non invitato, competat jus interessendi una cum Capitulo dictæ Ecclesiæ Collegiatæ associationi Cadaverum, & Funeribus, & respective participandi de eorum emolumentis, & quomodo, & in qua parte;* & quatenus affirmative

VIII. *An Capitulum teneatur reintegrare hodiernum Capellanum de præteritis emolumentis, in casu &c.*

IX. *An ad expensas præsentis litis, quoad Capellanum, & Capel-*

pellaniam, teneatur Capitulum, sive Sancteses, vel potius sint facienda ex reditibus Capellaniæ, in casu &c.

Ad I. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam, & ad mentem; & mens est, quod resolutio habeat locum pro futuris vacationibus, facto verbo cum Sanctissimo. Ad II. Teneri ad celebrationem Missæ quotidianæ, & amplius. Ad III. Affirmative, & amplius. Ad IV. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam, & amplius. Ad V. Non spectare nisi congruam ad rationem annuorum scutor. 50., & amplius. Ad VI. Utensilia esse subministranda per Sancteses ex fructibus Capellaniæ. Ad VII. Negative in omnibus, & amplius. Ad VIII. Negative, & amplius. Ad IX. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

VITERBIEN. CENSUS.

Sess. 21. cap. 7. de Reform.

An Capellani dissentientes juris remediis obstringendi sint ad impositionem census pro Fabrica Ecclesiæ super fundis Capellaniarum, itaut rescriptum S. Congregationis diei 21. Novemb. 1761. sit exequendum, in casu &c.

Affirmative.

VITERBIEN. JURIS ELIGENDI.

Sess. 24. cap. 3. de Reform.

I. *An, cui, & quomodo competat electio Officialium, vulgo Sanctesium in Parochia Ecclesiæ Collegiatæ S. Faustini in casu*, & quatenus spectet ad Parochianos, & Parochum

II. *An, & quam vocem ratam habeant, sive Parochus, sive Parochiani, & in casu discordiæ votorum ad quem devolvatur electio.*

III. *An, & qua die electio ista facienda, & respective publicanda sit, in casu &c.*

IV. *An eadem electio possit ad libitum Eligentium fieri anno sequenti sive unius, sive utriusque ex Sanctesibus, qui officium exercuerunt anno præcedenti, in casu &c.*

V. *An edicta, seu notificationes affixæ ad eligendum Sancteses, & Pa-*

Parochianorum coadunatio cum subsequuta electione facta in Conventu Regularium substineantur, in casu &c.

Ad I. Electionem competere Parochianis una cum Parochò. Ad II. Parochum unam tantum vocem habere, cæteras Parochianos, & in casu discordiæ prout de jure ad Judices suos. Ad III. In Festo SS. Innocentium. Ad IV. Arbitrio Eligentium. Ad V. Affirmative.

Sess. 25. de Regularibus, & Monialibus cap. 5.

TUSCULANA.

I. *An Tertiariæ Carmelitæ reintegrandæ sint ad Scholam, & Conservatorium Arcis Priorum in casu &c.*, & quatenus negative

II. *An eisdem restituenda sint asserta bona stabilia, & mobilia, nec non assertæ expensæ factæ in Fabrica Conservatorii, in casu &c.*

III. *An fructus Locorum quatuor cum dimidio Montis S. Petri septimæ Erectionis transferri debeant in Oratrices, seu potius debiti fuerint, & debeantur Domui, seu Scholæ Magistrarum Piarum Oppidi Arcis Priorum Tusculanæ Diœcesis, in casu &c.*

Non proposita, cum reliquis.

Sess. 25. cap. 4. de Reform.

SPOLETANA, SEU PERUSINA SUBSIDII DOTALIS.

An debeatur Subsidium Dotale, in casu &c.

Sess. 22. cap. 1. de Reform.

CAMERINEN.

I. *An constet de incursu in censuras in casu &c.*, & quatenus affirmative

II. *An sit locus absolutioni in casu &c.*

III. *An Consiliarii, aliique Officiales, & Ministri Communitatis ceciderint a jurepatronatus, & administratione Cappellæ S. Mariæ Gratiarum in casu &c.*

IV. *An publica supplicatio fieri solita prima Dominica Julii sit facienda ex reditibus ejusdem Cappellæ, seu potius ex reditibus Communitatis in casu &c.*

V. *An, & cujus favore sit locus reintegrationi in casu &c.*

BUR-

BURGEN. Petrus Gonzalez del Rio oriundus ex Oppido Valgagnon, quod est in Burgensi Diœcesi, in suo Testamento Capellaniam instituit cum dote ducatorum quatuor millium; Majoratum in certis bonis erexit favore Nepotum ex Fratre; in bonis reliquis hæredem scripsit Mariam Velasquez Uxorem, post cujus obitum edixit, ut eadem reliqua bona deponerentur penes ejus Consanguineos investienda in capitalibus frugiferis; ut cum illorum reditu *si debba dare stato alle povere Orfane della mia Famiglia, dando a ciascheduna sino a cento ducati*: Ubi non extarent Puellæ Consanguineæ nupturæ, edixit, ut dictus reditus erogaretur *in dare stato alle povere Orfane della Terra di Valgagnon*. Hujus autem Pii Operis voluit esse Patronos perpetuos *il mio Erede, in cui ricaderà il sudetto Vincolo, e Maggiorasco, il Signor Curato, ed il Beneficiato più antico della Terra di Valgagnon*.

Sess.22. cap.8. de Reform.

Maria Uxor, quæ secundas postea contraxit nuptias cum Ambrosio Andreani, decessit anno 1738., suscepta ex secundo Viro Barbara nupta Vincentio de Iruegas Barcena. Instantibus hinc Nepotibus Testatoris pro Operis Pii implemento, Conjuges de Iruegas anno 1742., publicis confectis tabulis, restituere promiserunt Nepotibus Petri Testatoris pro fundo dicti Operis Pii summam ducatorum Velionensium 39476. 5. 12., seu scutorum Romanorum 21711., conventis interim usuris quadrantibus, nempe ducatorum Velionensium 1184., seu scutorum Romanorum 651.33.

Verum defuncto Ambrosio Andreani non parum oberato, ac indicto in ejus bonis Creditorum Concursu, ad parandam solutionem capitalis, & fructuum Operi Pio debitorum, decreta fuit subhastatio pignorum captorum, commissa interim illorum administratione Josepho Gonzalo, & Soto, eoque inde defuncto, Fratri Advocato Joanni Gonzalo Testatoris Nepotibus.

Preces obtulit Summo Pontifici idem Advocatus Joannes Administrator Pignorum captorum, ut ob exiguum Puellarum Orphanarum numerum augendas juberet illarum dotes, tradique posse concederet Puellis Orphanis Consanguineis monachandis ducata 600.; nupturis in sæculo ducata 400.; extraneis vero ducata 200.: ut rursus conferri posset subsidium annuum ducatorum 50. duabus Testatoris Neptibus orphanis tyrocinium in Religione obeuntibus ultra dotem ducatorum 600., & simile annuum subsidium alteri Nepti jam professæ, & infirmæ: ut præterea secuto harum obitu, integra hæc Subsidia accrescerent tenui Capellaniæ a Testatore institutæ: Ulterius, ut deficientibus Orphanis erogari possent Subsidia ducatorum 200. in beneficium cæterarum Puellarum consanguinearum, & ducatorum 100. in Puellas non consanguineas. Ut insuper ex superextantibus pecuniis assignarentur annua ducata 100.

Ecclesiæ filiali S. Andreæ a Testatore sine dote erectæ; Ac demum, ut erogaretur residuum favore Hospitalis pauperum. Et præter hæc exoravit etiam imperari, ut deinceps providi eligerentur Administratores Operis Pii cum onere præstandæ idoneæ fidejussionis, reddendarumque rationum; ac tandem, ut interim sibi esset potestas partiendi pecunias jam exactas inter Orphanas consanguineas jam professas, vel nuptas in quantitate superius enunciata, oblata Administrationis suæ redditione rationum.

Precibus ad Sac. Congregationem remissis rescriptum fuit *die 18. Junii 1757. Supplicet recuperatis pecuniis*; Verum novis ab Oratore oblatis precibus, opportunius visum fuit Archiepiscopo, ut assignaretur statim Ecclesiæ filiali S. Andreæ annua summa ducatorum 50., augenda tamen ex fructibus superextantibus ad summam usque ducatorum 100. Quare in Congregatione *diei 21. Augusti 1762.* duo proposita fuerunt dubia: *I. An Dotationes Operum Piorum a quondam Petro Gonzalo del Rio relictorum sint augendæ, & repartiendæ juxta relationem Ordinarii Burgen.. II. An, & in qua summa Joanni Antonio Gonzalo, & Soto Administratori sit assignandum salarium.* Rescriptum fuit: *Ad I. In decisis sub die 18. Junii 1757., & interim Archiepiscopus incumbat deposito, & investimento pecuniarum hæreditatis, & curet ex illarum fructibus adimpleri voluntatem Testatoris. Ad II. Utatur jure suo coram Ordinario.* Viden. folium *diei 24. Julii 1762.*, quo latius facti species, & rationum momenta tunc ab Oratore adducta habentur.

Probat nunc Orator testimonio publici Notarii, anno 1764. adjudicatas Operi Pio fuisse quinque Domos Matriti sitas, quarum valor cum juxta Peritorum judicium sit ducatorum Velionensium 45831., reditus vero excedat annua ducata tria pro modo ejusdem valoris, novas hinc instaurat preces pro petito augumento, & distributione Subsidiorum dotalium, aliorumque Operum Piorum juxta modum ab Ordinario approbatum.

Ait, sua diligentia, ac studio jam præscriptum depositum, ac investimentum undique impletum esse: quinque domos Operi Pio adjudicatas in Villa Matriti fuisse: Capitalia proinde Operis Pii, tum ex valore Domorum æquante ducata 45831., tum ex fructibus ab anno 1756. ad præsens decursis in ducatis 19695., ascendere ad ducata Velionensia 65526.. Horum idcirco reditus ad ratam ducatorum trium in singula centena esse ducatorum 1865. 7.8., immo Domorum pensiones longe excedere reditum ducatorum trium in singula centena.

Verum advertit, Testatorem tam ingentis capitalis fructum voluisse erogari in tot Subsidia dotalia ducatorum 100. pro Orphanis Consanguineis, & ducatorum 50. pro extraneis Oppidi Valgagnon: Oppidum vero Valgagnonis tenue, & in-

infrequens esse: vix nonaginta numerare familias: impossibile esse, tot in eo reperire Orphanas, in quarum beneficium absumi possit reditus tanti capitalis tradendo eisdem tenue Subsidium dotale, vel ducatorum centum, vel ducatorum quinquaginta: expedire idcirco summopere, ne otiosa cumuletur pecunia, ut dotalia Subsidia augeantur, aliaque petita pia opera exerceantur.

Consonum id esse Testatoris voluntati; hunc de viribus sui patrimonii ignarum fuisse: dubitasse de sufficientia redituum ad dotem ducatorum 100., vel 50. præstandam. Verosimiliter aucturum fuisse Subsidia dotalia, si tantas sui patrimonii vires, & quidem exuberantes agnovisset, tum ad parandam, & consanguineis, & extraneis Orphanis dotem magis congruam, qua decentius nubere possent, tum ad alia petita Opera pia, quorum utilitatis, & augumenti summopere Testator anxius fuit.

Hæc nomine Piorum Operum proponuntur. Perpendendum hic est, Testatorem voluisse, ut fructus suæ hæreditatis erogarentur in totidem Subsidia dotalia ducator. 100. pro Orphanis Consanguineis, & ducatorum 50. pro Orphanis extraneis: in precibus nulla postulatur voluntatis commutatio, imo uberius exoptatur ejusdem voluntatis implementum. Quod plane est maxime consonum menti Sacræ Congregationis, quæ pluries sententiam dixit de augenda quantitate dotis Consanguineis, non solum quando ita postulabat Consanguinearum indigentia, ut in *Romana applicationis legati* 20. *Septembris* 1692., *in Romana Dotium* 2. *Octobris* 1731., *in Camerinen. Subsidiorum Dotalium* 8. *Augusti* 1733., *in Panormitana Subsidiorum* 15. *Januarii* 1735., *& in Narnien. Subsidiorum Dotalium* 21. *Augusti* 1762.

Sed tunc etiam cum reditus aderant exuberantes, ut in *Nullius Terræ Pontiani*, qua cum ex deposito scutorum 600. erogando in totidem Subsidiis dotalibus scutorum 50. pro qualibet Puella Consanguinea, unica extaret sanguine conjuncta, eademque peteret dotem scutorum 200. proposito *An sit locus subministrationi Dotis Susannæ Monetti in summa scutorum* 200. *ex deposito scutorum* 600. *erogan. in Subsidiis dotalibus pro Puellis Consanguineis Canonici Martini de Dominis*; Rescriptum fuit die 22. Martii anni elapsi; *Affirmative*.

Spectat ad EE. PP. assueta, qua pollent, æquitate, ac justitia, perpensis patrimonii viribus, ac redituum exuberantia, definire

An Dotationes Operum Piorum a quond. Petro Gonzalo del Rio relictorum sint augendæ, & repartiendæ juxta relationem Ordinarii Burgen., in casu &c.

NUL-

Sess.25. cap.3. de Reformat., & sess.21.cap.7. de Reform.

NULLIUS SANCTI LAURENTII IN CAMPO. In Oppido Sancti Laurentii in Campo, quod spirituali subest Jurisdictioni Eminentissimi Abbatis Commendatarii, nulla extat religiosa Domus, nullum ad Puellarum educationem Institutum. Ad utilitatem ex illius erectione profecturam respicientes quidam pii Oppidani, in id opem ferre præ viribus studuerunt. Huc sane primum respexit Canonicus Andreas Nicoletti; Nam concredita suæ hæreditatis administratione ejusdem Oppidi Decurionibus cum lege erogandi illius fructus in eleemosynas pauperibus Villicis tradendas, mandavit: *Se mai col tratto del tempo nella detta Terra di S. Lorenzo in Campo mia Patria si fondasse un Monastero di Monache Vergini Claustrali di qualsivoglia Sagro Istituto sotto la cura, e governo dell'Ordinario, in tal caso nunc pro tunc voglio, dispongo, ed ordino, che tutti i sopradetti miei beni stabili presenti, e futuri, ed i censi perpetui vadano in benefizio delle Monache, ed esse ne siano assolute Padrone in perpetuo.*

Hoc exemplo motus Hercules Ercolani suo injunxit hæredi, ut in eamdem rem summam scutorum 2000. ex hæreditate detrahendam conferret. Hoc denique votum fuit piæ mulieris Albinæ Ciuffi, quæ anno 1760. Monasterium Puellarum erigendum, testamento scripsit hæredem in hæc verba: *Istituisce, e con la sua propria bocca nominò, e nomina, e vuole, che sia per ragione di Causa pia il Ritiro, ovvero Monastero delle Zitelle*: atque in omnibus adhærens dispositioni Canonici Nicoletti hæc addidit: *Unendo per tal'effetto la di lei intenzione con la disposizione del quond. Andrea Nicoletti da questo luogo di S. Lorenzo in Campo, come al di lui testamento*. Cogitans tamen, aut diutius posse protrahi, aut omnino fortasse negligi erectionem, ita subjunxit: *Nel caso però non fosse effettuata questa pia, e santa opera, e determinata sua volontà nel termine di sei anni dopo la di lei morte, ovvero prima di detto termine, in tal caso intende, e vuole, che tutto il di lei asse debba essere impiegato in suffragio dell'anima sua, e de' suoi Antenati in tanti sagrificj*: Et hæc confirmavit Codicillis eodem anno conscriptis.

Nonnullis ab obitu Testatricis otiosis præterlapsis annis, tandem Executores Testamentarii præfatæ Albinæ, dum terminus jam jam impenderet implemento præfinitus, supplices S.Congreg.exorarunt pro erectione pii instituti sub regimine Magistrarum Piarum. Ajunt, id diutius non posse protrahi, ne opus pium a compendio cadat hæreditatis, neve Oppidum S. Laurentii tanta utilitate, quam maximam sperare fas est, fraudetur. Petunt etiam, ut in piam Domum erigendam fiat potestas transferendi onera, supellectilia, & cæmenta collabescentis Ecclesiæ S. Mariæ de Quercu parum ab Oppido distantis, ad cujus reaptationem impar omnino est exigua summa ducalium centum illius

Re-

Regionis, quæ in eam causam reliquerat eadem Albina Testatrix. Hanc Ecclesiam afferunt diebus tantum festis, aliisque, quibus onera satisfiunt, apertam detineri, debito decore carere, precantium accessu destitui: Longe decentius esse, ut illius cæmentis nova constituatur Ecclesia in loco, ubi pium erigitur institutum, ad populi commoditatem aptiori.

Utrique petitioni adhæret Gubernator Oppidi S. Laurentii, consentiunt Primarii Cives, & Consiliarii, collaudantes pii Operis erectionem; favent Parochi, quibus maxime dolet, Puellas otio marcescere, atque huc illuc per Oppidum vagari, non sine spiritualis vitæ periculo, ac detrimento; Annuunt demum Puellæ, quibus præsertim ob Patrimonii tenuitatem, exiguamque, quam habent, dotem, datum non est Deo se vovere in Monasteriis extra locum, proprias dotes conferre exhibentes in novum erigendum institutum, & huic suis etiam laboribus auxilio esse. Hæc omnia confirmat, atque collaudat Vicarius Generalis, qui ducto calculo fructuum retrahendorum ex capitalibus pio Instituto aggregandis, ascendere asserit ad scut. 187. 70$\frac{1}{1}$, quibus si addantur dotes in summa circiter scutorum quingentorum conferendæ a Puellis instituto operam daturis, sufficientem quotannis adesse putat alimentorum cumulum, præsertim quum opera a singulis Puellis præstanda non modicum levamen annuis sumptibus sint allatura.

Nec dissentit Emus Abbas Commendatarius, qui tamen utiliorem putat relictorum applicationem in erectionem Seminarii. His enim verbis suum Sac. Congregationi aperit sensum: = *Rem ego non vitupero, sed si quod sentio, exequi licet, utilius putarem verti hos reditus in erectionem Seminarii. Et quidem instructo Monasterio, aut instituto secessu sub regimine Magistrarum piarum [id quod impensius amare videtur Populus] nonnisi paucis consulitur Virginibus. At erecto Seminario, diffusa scilicet sanctioris, doctiorisque Cleri exemplis, ac verbis cultura in universum Agrum Dominicum.* =

Hinc Executores Testamentarii Albinæ Ciuffi præ viribus tueri conantes relatas Testatorum voluntates inquiunt, eas sarctas tectas omnino servandas, nec alieno regulandas arbitrio, ut ait *Justinianus Novell.* 22., & ita quoque Juris Canonici dispositione esse cautum, ut *Can.*4. *caus.*13. *quæst.*2. *Card. de Luc. de Fideicom. disc.*28. *num.*13. *Rot. coram Caprara decis.*487. *num.*19., & 20., & *decis.*340. *num.*41. *to.*3. *coram SSmo*; Ob id, ut alliciantur Christifideles ad Opera pietatis instituenda, eis permitti, ut adiicere valeant conditiones, & leges quandoque adversantes Sacris Canonibus, Conciliis, & Pontificiis Constitutionibus, dummodo bonis moribus, vel Orthodoxæ Religioni non repugnent, *Cap. Nobis juncto, & Cap. Præterea de Jure Patronat. Pasqualig.*

lig. resol. moral. centur. 1. *cap.* 88. *num.* 10.; *Lotter. de re benefic. lib.* 1. *quæst.* 32. *num.* 43., *& seq. Rot. decis.* 252. *num.* 3. *coram Amat. Dunozet.* Exemplum esse in Beneficiis, quorum collatio etsi nativo quodam jure penes Summos Pontifices resideat, nihilominus non solum permitti servitutem Patronatuum Laicalium, sed etiam in fundatione prohiberi posse, ne S. Sedes suis reservationibus manus apponat, ut apud *Æneam de Falcon. de reservat. quæst.* 4. *principal. effect.* 14. *vers. Idem, & multo fortius, Garz. de Benef. par.* 5. *cap.* 1. *n.* 552. *Lotter. de re benef. lib.* 2. *quæst.* 10. *n.* 4., *Rot. in Recen. dec.* 48. *num.* 7. *par.* 5., *& decis.* 4. *num.* 1. *tom.* 1. *cor. SSmo.*

Inferunt proinde, eo magis omnimodæ exequutioni mandandas esse dispositiones Canonici Nicoletti, Herculis Ercolani, & Albinæ Ciuffi nihil sacris legibus repugnantes, nec difficilis, aut impossibilis implementi ad monitum *Text. in Clement. quia contingit de Relig. Domib.*, *Fagnan. in cap. Relatum num.* 36. *ne Cleric. vel Monach.*, *Piton. de Controv. Patron. alleg.* 47. *num.* 11. *Rota in Romana assignamenti* 6. *Martii* 1731. §. *Alii vero cor. Nunez.*

Nec utiliorem dici posse erectionem Seminarii loco Monasterii, aut Virginum secessus ab Emo Commendatario insinuatam, quia non major utilitas, sed explicita Testatorum voluntas spectanda sit, *ad Text. in leg. Si fundum per fideicommiss.* §. *final. ff. de legat.* 2. *Rot. coram Priol. decis.* 124. *n.* 2. absurdumque esse, ut intuitu majoris utilitatis ab aperta Testatorum dispositione discedatur, ut ait *Cara. de Luc. de fideicom. disc.* 28. *num.* 13., *& disc.* 30. *num.* 5., *& seq. cum aliis relatis in decis.* 240. *num.* 41. *coram SSmo.* Præterea, quum tres Testatores optaverint prospicere recessui Puellarum, ne otio tabescerent, earumque honestas periclitaretur, utiliorem reputari debere piæ Domus pro ipsis Puellis institutionem; Præsertim quia hanc Clerus, Magistratus, Populus universus summis precibus implorant.

Perpendendum insuper rogant Exequutores, quod ubi loco Monasterii, aut Pii instituti subrogaretur Seminarii erectio, pauperibus ejusdem Oppidi Puellis spes nulla superesset aliter consulendi earum pudori, atque utilitati, quod rursus Testatores imposterum a piis dispositionibus retraherentur, quas viderent implemento fraudari. Huic malo, ne eveniat, esse caute occurrendum ad monitum *Text. in leg. Si quando Cod. de petit. bon. sublat.*, *Fagnan. in Cap. Relatum sub num.* 36. *vers. Unde, & potest, cum aliis relatis in citata decis.* 340. *num.* 5. *to.* 3. *cor. SSmo.*

Præterea addunt, certum haud esse, num reditus sc. 187. 70. $\frac{1}{2}$ quos retulit Vicarius Generalis, pares sint substentationi Seminarii, etiamsi adiiciantur alia scuta 25. quæ Eminentissimus Commendatarius ex quadam sibi delata hæreditate conferre paratus est. Plures pro Seminario requiri Ministros, horum stipendia maximam illorum partem esse absor-

sorptura, & reliquum impar fortasse futurum, quo Seminarium subsistere possit. Utilius proinde fore, ut erigatur pro Puellis Pia Domus, cujus commodum finitimis quoque prospecturum, aliorum locorum Puellas alliciet.

Hæc quoad primum. De secundo, quo de translatione agitur Ecclesiæ S. Mariæ de Quercu, asserunt, illam extra mœnia Oppidi esse sitam, dirutam esse, nec restaurationi esse paria Ducalia centum a quondam Albina Ciuffi relicta, ut testatur Vicarius Generalis, affirmans ulterius, eam prorsus desertam, nulla in ea celebrari divina officia, nec nisi diebus festis, aliisque nonnullis ad implenda onera reserari. Expedire proinde, ut hac dejecta, altera construatur Ecclesia contermina novo erigendo Instituto, ad Puellarum spirituale bonum, ad Populi commoditatem, & ad Divini Cultus augmentum. Hujus Ecclesiæ translatione populi etiam pietate consuli, ferventiorem sperari fas esse cultum, & devotionem erga Imaginem Bmæ Virginis in Ecclesia transferenda veneratam.

EE. PP. definire dignentur.

I *An sit procedendum ad erectionem* Instituti *sub regimine Magistrarum Piarum pro educatione Puellarum in casu &c. & quatenus Affirmative.*

II. *An sit locus translationi Ecclesiæ S. Mariæ de Quercu cum omnibus ejus juribus, oneribus, & pertinentiis ad Domum dicti Instituti in casu &c.*

CASSANEN. In Civitate Castrivillarum, præter Parochialem Ecclesiam S. Petri, aliæ duæ reperiuntur Parochiales, quarum altera *S. Mariæ de Castello* nuncupatur, altera *S. Juliani*. Utraque suum habet Clerum, suosque distinctos fines, utraque etiam habet Capellas sibi unitas, & filiales, non tamen intra proprios, sed inter alterius Parœciæ limites. In districtu siquidem Parœciæ S. Juliani sita est Capella *S. Mariæ Gratiarum*, quæ filialis est Parochialis Ecclesiæ S. Mariæ de Castello, & vicissim in ambitu Parœciæ S. Mariæ de Castello adest Capella *S. Mariæ Constantinopolis, & S. Josephi*, quæ filialis est Ecclesiæ S. Juliani. *Sess.* 24. *cap.* 4. *de Reform.*

Anno 1764. quum Sacerdos Nicolaus Pepe Capellæ S. Mariæ Gratiarum Administrator Tabernaculum in illius Altari erigere statuisset, Parochus, & Clerus S. Juliani novum opus Vicario Capitulari Cassanensi nunciarunt. Hic autem, indicta suspensionis pœna, eidem Sacerdoti Pepe prohibuit, ne Tabernaculum absolvi permitteret. At, eo nihilominus nocturno tempore clam completo, Vicarius Capitularis die 17. Februarii ejusdem anni sub pœna Interdicti tum Altaris, tum Capellæ præcepit, ut *omnino tolleretur ostiolum*

superius descripti Tabernaculi, ut Sacerdotes Cleri de Castello abstinerent *ab audiendis Confessionibus Sacramentalibus in dicta Capella, & a cantando in ea Missas solemnes*, ut demum abstinerent etiam *a peragendis ibidem cæteris functionibus, nec mere Parochialibus*.

Huic decreto, quod, ob non interpositam intra decem dies appellationem, transiisse dicebatur in rem judicatam, minime paruit Clerus S. Mariæ de Castello, proindeque Vicarius Capitularis die 14. Aprilis declaravit, Capellam S. Mariæ Gratiarum Interdicto alligatam, quod postea non aliter relaxavit, quam rogantibus Parocho, & Clero de Castello, factaque ab his obligatione de parendo imposterum mandatis Ecclesiæ.

Ita se res habebat, quum novus ad Cassanensem Ecclesiam accessit Episcopus. Hujus autem VicariusGeneralis die 19. Maji ejusdem anni primum acta omnia in ea causa gesta suspendit, inhibuitque Partibus, ne contra veterem morem, atque consuetudinem aliquid innovarent: Sententiam deinde protulit die 9. Junii vetantem Parocho, & Clero S. Juliani sub pœna attentatorum, ne Novenas agerent Beatæ Mariæ Virginis in Capella S. Josephi eodem tempore, & hora, quibus celebrantur in altera Capella S. Mariæ Gratiarum: Ac tandem die 9. Augusti decrevit, Clerum S. Mariæ de Castello manutenendum in quasi possessione exercendi in hac Capella sacras functiones mere Sacerdotales.

Ubi primum prodiit decretum Vicarii Generalis de suspendendis actibus, Clerus S. Juliani recursum habuit ad Sac. Congregationem per supplicem libellum secundo, & tertio renovatum contra reliqua posteriora decreta ejusdem Vicarii. Datæ proinde sunt super his omnibus consuetæ litteræ ad Episcopum, ut referret. Sed is Pastoralis Visitationis munere occupatus respondere distulit per annum, & ultra. In ejus relatione plaudit gestis a Parocho, & Clero de Castello, improbat Acta a Vicario Capitulari. Profert suæ sententiæ rationes in relatione, cujus circumfertur exemplum. Quæstionum capita sunt octo totidem in calce adjectis dubiis comprehensa.

Ad I. Clerus S. Juliani contendit, vi antiquæ concordiæ anni 1640. vetitum fuisse, ne Clerus S. Mariæ de Castello alias ageret in Capella S. Mariæ Gratiarum sacras functiones, quam quæ solemni ritu celebrari solent diebus 2. Julii, & 2. Augusti cujuslibet anni. Ita intelligendum censet pactum in ea Concordia verbis hisce conceptum; = *Item ad invicem di andare alle Chiese filiali con occasione di festeggiarle, senza licenza, declarando, che detti Preti, ed altri convitandi siano di dette due Parochie*. = Sustinet enim, dispositionis vim, & vocabulum illud *festeggiarle* non aliud significare quam dies agere festos utriusque Cappellæ Titularium.

In-

Intellectum hunc declaratum fuisse a consuetudine. Nam nullo alio anni tempore peractas ibi fuisse tuetur sacras functiones; Conatur id probare per testes, conjici asserit ex libris administratoris Capellæ S. Mariæ Gratiarum, in quibus relatæ sunt tantum expensæ, quæ in dictis Festivitatibus actæ sunt: clariusque ex eo deprehendi, quod Parochus S. Juliani pluries Parochialia munia in dicta Capella obierit vel assistendo matrimoniis, vel funebre officium super Cadaveribus peragendo, vel facultatem impertiendo alteri Parocho, ut matrimoniis ibidem contrahendis præsentiam exhiberet.

Addit ad II. IV., & VI. sacras functiones, quæ agi vellent a Clero de Castello in Capella S. Mariæ Gratiarum, ad Parochum spectare, quamvis non sint Parochiales. Hujus generis esse administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, retentionem sedium ad excipiendas Sacramentales confessiones; Ita cautum reperiri in decretis Visitationum Episcoporum Cassanensium de annis 1708. 1718. 1720. 1722. 1724. 1728., & 1731. Ita etiam tradi a *Pignattell. to.6: consult.68. num.15.*, & decisum per Sac. Congregationem in *Asculana Jurium, & functionum 29. Augusti* 1733. Idem dicendum, ait, de expositione 40. horarum cum Populi benedictione *Biss. in Hierurg. Sac. par.3. verb. Benedictio 67.*, *Monacell. formul. legal. pract. to.2. tit.13. form.1. num.67.* Idem de funebri officio super Cadaveribus peragendo *Monacell. loc. cit. num.70.*, *Pignattell. consult.103. num.17. to.10.* præsertim ubi Cappellæ, sive Oratoria perpetuum non habent Rectorem *Card. Petra to.2: ad Constit.1. Anastasii IV. sect.2. num.20., & 23.*

Et licet Clerus S. Juliani non dissimulet, aliquas ex his Sacris Functionibus Episcopi licentia, & consensu ab iis, qui Parochi non sunt, agi posse, obiicit tamen facultatem hujusmodi nonnisi moderate, ac rationabili, urgentique causa, non vero ad libitum Episcopi esse concedendam, *Avchar. in Cap. Exposuisti num.6. de Præbendis, Fagnan. in cap. Ad hæc num.31. eod. tit.*

Ad III. tuetur, Presbyteris Cleri de Castello non licere hora sibi bene visa Missas sive lectas, sive cantatas celebrare in Ecclesia S. Mariæ Gratiarum: Sacris Canonibus statutum esse, nonnisi post Missam Parochialem in Ecclesia S. Juliani celebranda esse Dominicis, festisque diebus divina Mysteria in Ecclesiis filialibus, *Pignattell. to.10. consult.103. num.18.*, *Monacell. loc. cit. num.69. Rot. coram Molines dec.1. num.5.* Sic fuisse constitutum pluribus Synodis Cassanensibus anni 1615. 1651. 1682., & passim ab Episcopis Cassanensibus in eorum Pastoralibus Visitationibus decretum.

Ad V. animadvertit, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in Ecclesiis non Parochialibus sine Apostolico beneplacito retineri non posse *Barbos. in Sum. decis. collect.541.*, *Pignattelli. to.10. consult.103. num.20.* Hinc infert, in Ecclesia S. Ma-

S. Mariæ Gratiarum retineri non posse, sed removendum esse Tabernaculum, quod in eum usum in Ecclesiis retinetur, ut in eo asservetur SS. Eucharistia, additque fuisse erectum ad dissidium fovendum, & spreta Judicis inhibitione fuisse completum.

Contendit ad VII., Novenas hactenus habitas in Capella S. Mariæ Gratiarum nequaquam fuisse solemnes, uti peractas nec cum assistentia Cleri S. Mariæ de Castello, nec ulla exteriori pompa, aut ornatu, nec a Sacerdote sacris induto vestibus, sed aliquando domesticis tantum, privatisque, ut Testes deponunt: Solemnitatem autem desumi ab exteriori apparatu, ac pompa *Lezzan. consult.* 2. *num.* 3., *& seq.*, *Gavant. in rubric. Breviar. Rom. sect.* 2. *cap.* 2. *num.* 29. *Rot. in nuperrim. decis.* 285. *num.* 12. *to.* 3. Contra vero Parochum S. Juliani ex veteri instituto Novenas solemniter peregisse in sua Parochiali Ecclesia, easque subinde resumpsisse in filiali Ecclesia S. Josephi sita intra fines Parœciæ S. Mariæ de Castello. Hinc infert, in Ecclesia quidem S. Josephi sibi licere solemnes celebrare Novenas, non ita Clero Sanctæ Mariæ de Castello in Ecclesia S. Mariæ Gratiarum.

Concludit denique ad VIII., ratum habendum esse interdictum, quod editum fuit in Capellam S. Mariæ Gratiarum, quum recte fuerit comminatum, & jure pronunciatum ob spreta mandata Vicarii Capitularis; Ita falsum esse Clerum S. Mariæ de Castello in precibus oblatis, quibus interdictum auferri postulavit, & confessionem fuisse confirmatam actu cautionis ab eodem Clero præstitæ de parendo impostерum mandatis Ecclesiæ.

Parochus e converso, & Clerus S. Mariæ de Castello præmittunt, ad ipsos pleno jure pertinere Capellam S. Mariæ Gratiarum, utpote Patronalem, & filialem, nulloque modo Ecclesiæ S. Juliani fuisse unquam subjectam: id ex sententia anni 1574., & ex Testibus evinci; Matricitatem vero, quam Clerus S. Juliani suæ Parochiali Ecclesiæ vindicare conatur, non solum non probari, ut opus esset juxta *Text. in Leg.* 2. *ff. de probat.*, *& Leg. Actor. Cod. eodem tit.*; Verum etiam ex probatissimorum virorum testimonio everti prorsus, atque refelli. Ex his inferunt, necessarium haud esse consensum Parochi S. Juliani ad Sac. functiones mere Sacerdotales peragendas, sed solius Episcopi licentiam sufficere, ut statuit *Sac. Rituum Congregatio in Decretis Generalibus anno* 1703. a Summo Pontifice approbatis.

Inquiunt propterea ad I., verba antiquæ concordiæ, quæ nihil aperti præseferunt, juxta veterem consuetudinem esse explicanda: Ex consuetudine vero depositione plurium Testium comprobata aperte colligi, præter dies festos 2. Julii, & 2. Augusti, alias etiam Sac. functiones in dicta Ca-

Capella fuisse peractas ; hinc Concordiam ita intelligendam esse, ut loquatur tantum de processionali utriusque Cleri ingressu per districtum alterius Parœciæ, quando alteruter ad propriam Capellam processionaliter esset iturus per districtum alterius Parochiæ, quod quidem sine licentia Parochi alterius Parochiæ fieri non potuisset *Rot. in Cassanen. Jurium Parochialium, seu Praeminentiarum 6. Junii* 1707. §. *Quo vero cor. Cassarello*.

Ad II. III. IV., & V, asserunt, nullam ex iis Sac. functionibus, quarum celebrationem prohibere nititur in Capella Sanctæ Mariæ Gratiarum Clerus Sancti Juliani, ad jura Parochialia pertinere: Non Sacramenti Pœnitentiæ, & Sanctissimæ Eucharistiæ administrationem *Rota in Faventina Functionum Ecclesiasticarum* 4. *Julii* 1759. §. 3. *coram Frangipane, Sac. Congregatio in Nonantulana Jurium Parochialium* 8. *Maii* 1745. *ad Dub.* 6., & 7., & *in Cassanen.* 12. *Augusti* 1747. *ad* 3. *Dub.*; Non celebrationem Missæ sive lectæ, sive cantatæ, nullo habito respectu ad Missam Parochialem; quum præsertim Synodales hac de re Cassanenses Constitutiones jamdiu obsolvisse Testes affirment, *Rota in Faventina Jurium Parochialium* 7. *Martii* 1738. *coram Vicecomite, Sac. Rituum Congregatio in cit. decr. anni* 1703. *ad* 10., & 15., *Sac. Congregatio in Telesina Anniversariorum, & Missæ solemnis* 9. *Februarii* 1732. *ad* 1., & 2. *dub.*, & *in Firmana Jurium Parochialium* 2. *Junii* 1736. *ad* I. *dub.*

Neque expositionem 40. horarum cum benedictione super Populum, *Sac. Rituum Congregatio cit. decr. ad* 11., *S. Congregatio in Novarien. Aggregationis* 24. *Septembris* 1718., & 13. *Januarii* 1720., *in Alexandrina* 21. *Februarii* 1728. *ad* 2. *dub.*, & *in dicta Firmana ad* 2., & 3. *dub.*; Non denique funebre officium super Cadaveribus, quum jus hoc ad tumulantem Ecclesiam sive Regularium, sive Sacerdotum Sæcularium pertineat, quoties Parochiali non subjicitur juxta *Statuta Cleri Romani sub. tit. de ord. proceden. in funer. Process. cap.* 5. §. 5. 9., & 10., *Rota in Recen. decis.* 502. *parte* 5. *tom.* 2., *Sac. Congregatio in Volaterrana* 16. *Martii* 1726. *ad* 5. *dub.*

Inferunt proinde ad V., prohiberi non posse retentionem Tabernaculi jam extructi in majori Altari Capellæ S. Mariæ Gratiarum, in qua Sanctissimum Sacramentum publicæ Fidelium adorationi de unius Episcopi licentia potest exponi; quum præsertim Tabernaculum non sit destinatum ad ibi asservandam perenniter Sanctissimam Eucharistiam, sed ad tempus dumtaxat, & pro commoditate expositionis 40. horarum, qua exacta non renuunt, ut apertum, & sine ostiolo retineatur, ut in *citata Cassanen.* 12. *Augusti* 1747. *ad IV. dub.*

Addunt ad VII. ex consuetudine Testibus probata manife-

stum

ſtum eſſe, celebratas in dicta Capella S. Mariæ Gratiarum fuiſſe Novenas in ſeptem Feſtivitatibus B. M. V.; Contra vero ex Teſtibus a Clero S. Juliani inductis non aliud haberi, quam ſemel tantum habitas in Capella S. Joſephi: proindeque Clerum S. Mariæ de Caſtello reperiri in quaſi poſſeſſione illas celebrandi in Capella S. Mariæ Gratiarum, eidemque jus eſſe prohibendi, ne eadem hora in Capella S. Joſephi peragantur.

Demum ſuſtinent ad VIII. interdictum *injuſtum* fuiſſe, ac *nullum*. *Injuſtum*, tum quia innixum proviſionali Decreto diei 7. Februarii, quod irregulare prorſus, ac præter juris ordinem aſſeritur latum, & præterea ſuſpenſum remanſerat ex Concordiæ tractatu inter Partes aſſumpto, ipſo Vicario Capitulari ſuadente; tum quia Clerus de Caſtello nihil prorſus contra Decretum ipſum admiſit, quum non alias Sac. functiones peregerit in Capella S. Mariæ Gratiarum, quam Anniverſaria quædam ex piorum Teſtatorum legatis ibidem neceſſario adimplendis, & ſuper quibus nulla erat inter Partes contentio: *Irritum* præterea, ac *nullum* ex juriſdictionis defectu, quia Vicarius Capitularis pluribus ex cauſis a Clero S. Mariæ de Caſtello recuſatus debuiſſet a decreto ferendo abſtinere, donec ſaltem ſuſpicionum cauſæ ad juris tramites diſcuterentur.

Hæc ſunt, quæ ab utraque Parte aſſeruntur. His opportune addi poteſt, Capellas, tametſi erectas intra limites alterius Eccleſiæ Parochialis, huic nonniſi quoad jura Parochialia eſſe ſubjectas, ut dixit *Rota coram Coccino deciſ. 2089. num. 3., & ſeq. coram Molines deciſ. 990., & coram Lancetta deciſ. 988. num. 1., & ſeq.*, & cenſuit Sac. Congregatio *in Romana Funerum 10. Januarii 1682. in Forolivien. 18. Novembris 1684., & in Nonantulana 13. Januarii 1685.*

Quænam vero functiones vel Parochiales ſint, vel Sacerdotales, patet ex decretis generalibus Sac. Rituum Congregationis editis anno 1703. Aliæ porro ſunt functiones de juribus mere Parochialibus, & ad Parochum privative ſpectantes. Aliæ, quæ licet de juribus mere Parochialibus non ſint, & idcirco ab aliis quoque exerceri poſſint, Parochis nihilominus maxime conveniunt, & ob id munera Parochialia appellantur, ut ſunt Benedictiones Mulierum, & Fontis Baptiſmalis, celebratio Miſſæ ſolemnis Feria V. in Cœna Domini, & hujus generis cætera. Aliæ demum mere Eccleſiaſticæ, quarum exercitium Capellanis permittitur in Capellis, & Oratoriis a Parochia ſejunctis, licet ejus finibus comprehenſis. De his omnibus agit *San. Mem. Benedictus XIV. Inſtit. 105. §. 6.* Inquirendum itaque, an quæ circumferuntur dubia jura reſpiciant Parochialia, vel potius munia Parochialia, aut functiones mere Eccleſiaſticas.

In memoratis Sac. Rituum Congregationis decretis intercæ-

tera, quæ nec ad jura Parochialia, nec ad Parochialia munera pertinere decernitur, atque idcirco in privatis Oratoriis, etiam contradicente Parocho, expleri posse statuitur, duo hæc recensentur, scilicet num. 10. *Celebratio Missarum solemnium per annum sive pro vivis, sive pro defunctis*, & num. 11. *Expositio* 40. *horarum, & Benedictio, quæ fit super Populum*; Quidquid in oppositum asserat *Monacell. in suo formul. legal. pract. tom.* 2. *tit.* 13. *form.* 1. *n.* 67.

De excipiendis Sacramentalibus Confessionibus, retinendisque Sedibus Confessionalibus, ut vocant, in Oratoriis, egit Sac. Congregatio *in Nullius, seu Nonantulana Jurium Parochialium*; nam proposito Dubio: *An in dicto Oratorio liceat retinere Sedes Confessionales pro Confessionibus audiendis*, licet die 27. Junii 1744. respondisset = *Negative, nisi de licentia Emi Abbatis* = die tamen 8. Maii 1745. ad idem dubium rescripsit: *Prævio recessu a decisis affirmative de licentia Emi Abbatis*: In Cassanen. 12. Augusti 1747. agebatur de simplici Oratorio Confraternitatis Laicorum, quumque disputatum fuisset = *An in Ecclesia, seu Capella prædictorum Confratrum ad recipiendas Sacramentales ipsorum, ac etiam Mulierum, & aliorum Confessiones retineri valeant Sedes Confessionales* = responsum fuit = *Affirmative de licentia Episcopi exceptis mulieribus* =

Quoad Missæ celebrationem, utrum in Dominicis, festisque diebus in dictis Oratoriis, vel Capellis celebrari possit, nullo habito ad Missam Parochialem respectu, monet *San. Mem. Benedictus XIV. Instit.* 44., *& de Syn. Diœces. lib.* 12. *cap.* 7. *num.* 7., id a prudenti Episcopi arbitrio pro locorum diversitate pendere. Sac. Rituum Congregatio in relatis decretis generalibus ad 19. quæstionem his verbis expositam = *An in iisdem Ecclesiis possit celebrari Missa sive lecta, sive cantata ante Missam Parochialem, sive lectam, sive cantatam* = respondit: *Negative, nisi aliter Episcopus disponat*.

Animadvertit tamen laudatus Pontifex, quod proposito die 28. Januarii 1640. huic Sac. Congregationi Dubio = *An Parochus prohibere possit, ne in Capella Ruri per Laicum ædificata in solo publico celebrari possit, antequam Missa celebretur in Ecclesia Parochiali Matrice* = sequens prodierit resolutio; = *Supposita facultate legitima celebrandi in dicta Capella, de rigore juris non posse prohiberi, sed Episcopum pro prudentia curare posse, ut in diebus festis prius celebretur Missa in Parochiali Ecclesia* = ut in *lib.* 16. *decret. pag.* 331., idemque decretum fuerit in *Urbinaten.* 27. *Junii* 1641. *eod. lib.* 16. *decret. pag.* 543. *terg.* Hinc in *Forolivien. Jurium Parochialium* 18. *Novembris* 1684. ad dubium = *An Beneficiatus, seu Rector in dicta sua Ecclesia S. Mariæ possit Missam celebrare ante Missam a Parocho celebrandam* = responsum fuit = *Affirmative, nisi aliter Episcopus rationabiliter disponat* =. Sic etiam decisum in

Pri-

Privernen. Ædificationis Ecclesiæ, *&* *Jurium Parochialium* 24. *Septembris* 1735. *ad II. Dub.*

Cœterum ubi sermo fuit de iis Diœcesibus, in quibus Synodali Decreto cautum erat, ne ullum Sacrum fieret ante Missam Parochialem, Sac. Congregatio censuit, Synodales hujusmodi Constitutiones *esse observandas*, *ita tamen ut Missa in Ecclesia Parochiali hora opportuna celebretur*, ut in una *S. Agathæ Gothorum* 25. *Maii* 1652. *lib.* 19. *decret. pag.* 191.

De expositione 40. horarum, quod scilicet in Oratoriis etiam privatis contradicente Parocho fieri possit de Episcopi licentia docet *Pasqualig. de Sacrif. novæ leg. tom.* 1. *quæst.* 353. *Benedictus XIV. Instit.* 105. *§.* 7., *&* *in cit. decret. gener. Sac. Rituum Congregationis ad* 11., *&* 14.; Hæc quoque fuit hujus Sac. Congregationis Sententia *in Novarien. Aggregationis* 24. *Septembris* 1718. *in Alexandrina* 21. *Februarii* 1728. *in Privernen.* 27. *Septembris* 1735. *in Firmana* 2. *Junii* 1736. *in Cassanen.* 12. *Augusti* 1747.

Quoad Tabernaculum ad asservandam Sanctissimam Eucharistiam, censuit Sac. Congregatio in supradicta *Nonantulana anni* 1744. *ad VIII. Dubium*, non posse perpetuo retineri; non tamen denegata fuit facultas illud retinendi ad tempus, & in eo Sanctissimum Sacramentum occasione illius expositionis asservandi; Quin immo in citata *Cassanen.* 12. *Augusti* 1747. ad IV. Dub. = *An in eadem Confratrum Ecclesia de sola licentia Episcopi*, *&* *per tempora ab ipso præfinita liceat publicæ venerationi exponere Sanctissimum Sacramentum*, *illudque tandiu in Tabernaculo retinere* = respondit: *Affirmative*.

Ad officium funebre quod attinet, in relatis decretis Sac. Rituum Congregationis legitur inter cætera XX. Dubium hisce expressum verbis = *An ad Parochum spectet facere officium funebre super Cadaveribus Sepeliendis in sæpedictis Ecclesiis*, *&* *Oratoriis publicis Confraternitatum* = ; cui responsum fuit = : *Affirmative*, *quando tumulandus est subjectus Parocho*, *intra cujus fines est Ecclesia*, *vel Oratorium* = . Sacra hæc Congregatio *in Bononien.* 28. *Julii* 1724. *ad IX. Dub.*, quod ita se habebat : = *An liceat Confraternitati Salutis sepelire in propria Ecclesia Cadavera Confratrum*, *&* *Sororum*, *ubi ibidem elegerint Sepulturam*, *&* *an ejusdem Capellanus*, *absente Parocho*, *valeat officium*, *aliasque functiones super iisdem Cadaveribus explere in casu &c.* = rescripsit : = *Affirmative ad primam partem*, *&* *quod secundam negative*, *nisi Parochus vocatus renuat*, *vel alium Sacerdotem non substituat* =. Non desunt tamen aliquibus in Diœcesibus Synodales Constitutiones, quæ eamdem Parocho potestatem faciunt, quamvis defunctus non subsit Parochiæ, intra cujus limites existit Ecclesia, in qua tumulari debet, ut refert *Maranta tom.* 4. *resp.* 21., *Pignatell. tom.* 9. *consult.* 73. *num.* 131., *&* *seq. San. Mem. Benedictus XIV. cit. Instit.* 105., *&* *alii*.

Tan-

Tandem si in aliqua Causa Vicarius Capitularis suspectus allegari contingat, ipsum Capitulum adeundum esse, ut, suspicionis causa cognita, alium eligat, prout facit Episcopus, si Vicarius Generalis suspectus allegetur, observat *Quaranta in Summa Bullar. V. Capitulum Sed. Vac. Pax Jordan. lucubrat. tom. 2. num. 24., Garz. de Benef. par. 5. cap. 7. n. 23. in dub. 9., Scarfant. ad Ceccoper. lib. 4. tit. 7. n. 56.*

Hisce præmissis superest, ut EE. VV. definire dignentur:

I. *An Clero, & Presbyteris Ecclesiæ Parochialis S. Mariæ de Castello Civitatis Castrivillarum liceat in Ecclesia S. Mariæ Gratiarum ad libitum explere omnes, & singulas Sacras functiones, ultra eas diei 2. Julii, & 2. Augusti absque licentia, sive consensu Parochi S. Juliani in casu &c.*

II. *An, & quomodo liceat Presbyteris d. Cleri ad Confessiones approbatis excipere Sacramentales Fidelium Confessiones in præfata Ecclesia, etiam invito Parocho S. Juliani in casu &c.*

III. *An in Dominicis, & Festis diebus dd. Clero, & Presbyteris in antedicta Ecclesia S. Mariæ Gratiarum liceat ad libitum in quacumque hora eis benevisa celebrare Missas sive lectas, sive cantatas in casu &c.*

IV. *An, & quomodo liceat eidem Clero, & Presbyteris sine d. licentia Parochi S. Juliani habere in eadem Ecclesia S. Mariæ Gratiarum expositionem 40. horarum, cum benedictione super Populum in casu &c.*

V. *An, & quomodo in d. Ecclesia S. Mariæ Gratiarum retineri possit Tabernaculum jam extructum, seu potius sit locus ejus demolitioni in casu &c.*

VI. *An pariter præfatis Clero, & Presbyteris liceat facere officium funebre super Cadaveribus sepeliendis in d. Ecclesia S. Mariæ Gratiarum, seu potius spectet ad Parochum S. Juliani in casu &c.*

VII *An, & quomodo tam in Ecclesia S. Mariæ Gratiarum, quam in Ecclesia S. Josephi liceat celebrare Novenas in septem festivitatibus B. M. V. in casu &c.*

VIII. *An sustineatur interdictum publicatum a Curia Episcopali Cassanen. in casu &c.*

Die Sabbathi 20. Junii 1767. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

SEx Causæ in præcedenti Congregatione indecisæ remanserunt. Placeat EE.VV. resumere folia dierum 16., & 30. elapsi mensis Maji, in quibus relatæ sunt, & propositas quæstiones definire.

Seff.25. de Regularibus, & Monialibus cap.5.

TUSCULANA.

I. *An Tertiariæ Carmelitæ reintegrandæ sint ad Scholam, & Conservatorium Arcis Priorum in casu &c.*, & quatenus negative

II. *An eisdem restituenda sint asserta bona stabilia, & mobilia, nec non assertæ expensæ factæ in fabrica Conservatorii, in casu &c.*

III. *An fructus Locorum quatuor cum dimidio Montis S. Petri septimæ Erectionis transferri debeant in Oratrices, seu potius debiti fuerint, & debeantur Domui, seu Scholæ Magistrarum Piarum Oppidi Arcis Priorum Tusculanæ Diœcesis, in casu &c.*

Dilata, & ad Eminum Præfectum ad mentem.

Sess. 25. cap.4. de Reform.

SPOLETANA, SEU PERUSINA SUBSIDII DOTALIS.

An debeatur Subsidium Dotale, in casu &c.

Dilata, & scribatur juxta instructionem.

Sess.22. cap.1. de Reform.

CAMERINEN.

I. *An constet de incursu in censuras, in casu &c.*, & quatenus affirmative

II. *An*

II. *An sit locus absolutioni, in casu &c.*
III. *An Consiliarii, aliique Officiales, & Ministri Communitatis ceciderint a jurepatronatus, & administratione Capellæ S. Mariæ Gratiarum, in casu &c.*
IV. *An publica supplicatio fieri solita prima Dominica Julii sit facienda ex reditibus ejusdem Capellæ, seu potius ex reditibus Communitatis, in casu &c.*
V. *An, & cujus favore sit locus reintegrationi, in casu &c.*

Non proposita, cum reliquis.

BURGEN.

An Dotationes Operum Piorum a quond. Petro Gonzalo del Rio relictorum sint augendæ, & repartiendæ juxta relationem Ordinarii Burgen., in casu &c.

Sess.22. cap.8. de Reform.

NULLIUS S. LAURENTII IN CAMPO.

Sess.24. cap.4. de Reform., & sess.21. cap.7. de Reform.

I. *An sit procedendum ad erectionem Instituti sub regimine Magistrarum Piarum pro educatione Puellarum, in casu &c.*, & quatenus affirmative
II. *An sit locus translationi Ecclesiæ S. Mariæ de Quercu cum omnibus ejus juribus, oneribus, & pertinentiis ad Domum dicti Instituti, in casu &c.*

CASSANEN.

Sess.24. cap.4. de Reform.

I. *An Clero, & Presbyteris Ecclesiæ Parochialis S. Mariæ de Castello Civitatis Castrivillarum liceat in Ecclesia S. Mariæ Gratiarum ad libitum explere omnes, & singulas sacras Functiones, ultra eas diei 2. Julii, & 2. Augusti absque licentia, sive consensu Parochi S. Juliani, in casu &c.*
II. *An, & quomodo liceat Presbyteris dicti Cleri ad Confessiones approbatis excipere sacramentales Fidelium Confessiones in præfata Ecclesia, etiam invito Parocho S. Juliani, in casu &c.*
III. *An in Dominicis, & Festis diebus dd. Clero, & Presbyteris in antedicta Ecclesia S. Mariæ Gratiarum liceat ad libitum in quacumque hora eis benevisa celebrare Missas sive lectas, sive cantatas, in casu &c.*
IV. *An, & quomodo liceat eidem Clero, & Presbyteris sine dicta licentia Parochi S. Juliani habere in eadem Ecclesia S. Mariæ Gra-*

Gratiarum Expositionem 40. Horarum, cum Benedictione super Populum, in casu &c.

V. *An, & quomodo in dicta Ecclesia S. Mariæ Gratiarum retineri possit Tabernaculum jam extructum, seu potius sit locus ejus demolitioni, in casu &c.*

VI. *An pariter præfatis Clero, & Presbyteris liceat facere officium funebre super Cadaveribus sepeliendis in dicta Ecclesia S. Mariæ Gratiarum, seu potius spectet ad Parochum S. Juliani, in casu &c.*

VII. *An, & quomodo tam in Ecclesia S. Mariæ Gratiarum, quam in Ecclesia S. Josephi liceat celebrare Novenas in septem Festivitatibus B. Mariæ Virg., in casu &c.*

VIII. *An sustineatur interdictum publicatum a Curia Episcopali Cassanen., in casu &c.*

Sess. 25. cap. 13. de Reform.

IMOLEN. SUBSIDII DOTALIS. Canonicus Carolus Silva hæredibus fiduciariis testamento scriptis nonnullis pro tempore Parochis Civitatis Imolæ ejus Patriæ, jussit, ut bona sua, fructusque erogarentur *in dotare tante Zitelle povere, e nubili d'essa Città d'Imola da eleggersi da essi Signori Fiduciarj*. In hac pia largitione præferri voluit Consanguineas. His dotem scutorum quinquaginta; *ad altre povere Giovani d'Imola* tradendam mandavit dotem minorem scutorum quadraginta.

Anno 1755. nobilis, pauperque Imolensis puella Anna Pagni impetravit a san. mem. Benedicto XIV., ut ex his dotibus sibi applicarentur scuta 150.; sed gratia hæc per obitum ipsius puellæ effectu vacua remansit. Ob id altera nobilis, inopsque ejusdem Civitatis puella Lucia Ferri Sanctissimo D.N. supplicavit, ut dotem eam, quæ in opus pium reversa erat, transferret in sui beneficium. At dum exitus expectabatur hujus supplicationis, hæredes fiduciarii illius ignari eam dotem distribuerunt in alias puellas. Hinc Sacratissimus Princeps certior effectus, successum hunc sine fraude, vel culpa Fiduciariorum evenisse, imperavit, ut Luciæ similis quantitas traderetur ex fructibus hæreditatis Silvæ imposterum percipiendis, firma remanente distributione jam peracta.

Quum autem contigisset, ut ad partem dotis resolutæ cum aliis puellis admissa fuisset Maria Dominica Cæsari Boloniæ nata a Parentibus Bononiensibus, quæ a nonnullis annis Imolæ habitat in exercitio famulatus; hinc Anna Villa alia puella Imolensis asserens, illam incapacem assequendi dotale subsidium pro Imolensibus relictum, preces obtulit Summo Pontifici, ut illius loco sibi adjudicaret idem subsidium. Hujus rei notione Sacræ Congregationi mandata, auditoque de more Episcopo, Contradictores cum Maria

Do-

Dominica Cæsari sese præbuerunt hæredes fiduciarii, qui non renuentes subsidium alterum in eamdem Annam Villam conferre, in id tantum se opponunt, ut nihil irrationabilis arbitrii ab ipsis fuisse captum ostendant.

Ad nullitatem evincendam distributionis Dotis peractæ in Mariam Dominicam Cæsari, ait Anna Villa, Testatorem puellis dumtaxat Civitatis Imolæ gratificari voluisse: illas tantum, quæ in ea Civitate natalia habuissent, ad subsidium dotale vocasse: Hujusmodi propterea Dotem conferri non potuisse in Mariam Dominicam Cæsari nec origine Imolensem, uti Bononiæ natam ex Parentibus Bononiensibus, nec Civem effectam ex domicilio, quum Imolam accesserit a paucis annis ad exercendum famulatum, nullumque dederit argumentum, quo animum ejus significaverit ibi perpetuo manendi, etiam post cessatum officium: Incolatum vero ex causa ministerii, etsi decennalem, vicennalem, & trigenarium, ad Civilitatem acquirendam non prodesse, si desint apta signa, quibus suum quis animum significaverit constituti in eo loco perpetui domicilii, ex firmatis per *Rotam decis.109. apud Fenzon. ad Statut.Urb. dec.312.num.9.part.9., & dec.621.n.4.par.19.Rec.*

Contendit insuper, Civilitatem habitatione acquisitam imparem etiam esse ad obtinendum subsidium dotale, quod Testator tradendum jussit puellis *d'essa Città d'Imola*; his enim verbis sustinet Anna Villa, originarias tantum esse vocatas, exclusis aliis fictam Civilitatem adeptis vel privilegio, vel incolatu, ut sensit *Rot. decis.63.num.17.&18. coram Merlino, & dec.328. n.7.& seq. cor.SSmo D.N.*, & exclusis etiam districtualibus, argumento *Text.in L.Scire oportet ff.ad Municipal.*

Inconsultæ autem distributioni factæ in incapacem vim non addidisse Pontificium rescriptum: Summum Pontificem illam servandam quidem mandasse, at in diversa quæstione: Actum tunc fuisse de distributione in genere facta, quam Lucia Ferri nullitatis vitio obnoxiam asserebat, veluti peractam ab hæredibus fiduciariis, postquam Supremus Princeps manus apposuerat super Dote, quæ ad Opus pium reversa erat: Factum ipsum distributionis in genere ratum habuisse tanquam innocuum, & culpa vacuum: Trahi idcirco non posse rescriptum Summi Pontificis ad quæstionem hanc deinde excitatam; ad quam nec etiam respicere potuisset, quum Supremo Principi nec nomen innotuerit puellarum, in quas facta fuerat distributio, nec ipse noverit, inter eas fuisse comprehensam Mariam Dominicam Cæsari; hanc autem pati exceptionem originis, & Civilitatis Imolensis.

Ex his infert Anna Villa, hæredes fiduciarios quoad Subsidium collatum in Puellam incapacem decidisse a jure de illo disponendi; hoc proinde jus devolutum esse ad Sacram

cram

cram Congregationem. Exorat igitur, ut sibi adjudicetur ex gratia idem Subsidium. Ad hoc impetrandum, inquit, se habere utramque qualitatem paupertatis, & Civilitatis a Testatore requisitam; non posse proinde sibi denegari.

E' converso hæredes fiduciarii, & cum ipsis Maria Dominica Cæsari excipiunt, rem non esse amplius integram: Agi hic de Subsidio jam distributo. Contendunt, collationem rite, recteque factam fuisse secundum mentem Testatoris: peractam fuisse in beneficium puellæ pauperis orbatæ suo Genitore, & derelictæ a matre, cui placuit ad secundas nuptias convolare; De requisito propterea paupertatis non posse dubitari. Et neque vereri posse de qualitate Civica, quum ipsa ab annis duodecim, & ultra incolatum habeat in Civitate Imolæ: Jura universa, & honores omnes veræ Civilitatis sola decem annorum habitatione acquiri; Eam proinde venire nomine Puellarum Imolensium, quum Testator Puellas Imolenses vocaverit absque designatione, quod natæ essent Imolæ: Ea appellatione intelligi æque originarias, ac illas, quæ vel privilegio, vel incolatu Civilitatem acquisierint, in re præsertim favorabili, qualis est pia largitio dotalium Subsidiorum.

Huic intellectui robur dedisse putant Pontificium rescriptum, quo firmam haberi præcipitur dotium distributionem factam ab hæredibus fiduciariis, præsertim quum nulli alligatum fuerit conditioni, quatenus distributio in Puellas, quæ essent capaces, facta fuisset: Hoc satis esse, ne illa ex quovis capite irrita fiat.

Concludunt idcirco, auferri non posse puellæ Cæsari Subsidium, ad quod eidem quæsitum jam est certum jus: Ad solam æmulationem peti ab Anna Villa, ut hoc jus illi auferatur, semel ac hæredes fiduciarii eidem Annæ aliud obtulerunt Subsidium ex fructibus decurrendis præstandum: Non esse propterea annuendum petitioni æmulationis æstu excitatæ, & ad id tantum tendenti, ut infelix, & inops puella collato privetur beneficio: Id a justitia, & æquitate esse prorsus alienum.

Episcopi sententia in sua relatione, quæ circumfertur, subobscure favet Annæ Villæ; nam quædam ponderat, quæ nullitatem comprobant nominationis Mariæ Dominicæ Cæsari.

Plane origo facit Cives, domicilium Incolas *Leg.*7. *Cod. de Incol. lib.*10., & longum domicilium ad munera Civilia referat aditum *lib.6. eodem tit.* Verum quum agitur de testamentis, ex verosimili Testatoris voluntate sumenda est interpretatio.

Hinc si legatum alicui sit alligatum qualitati, hac sive ex privilegio, sive alio modo acquisita, legatum debetur: proindeque legatum Civibus relictum eis quoque debetur,

qui

qui Civitatem acquisiverunt *Capon. disceptat.* 115. *num.*25. *tom.*2., *Rot. coram Molines decis.*982. *num.*6. Fallit tamen, ubi ad qualitatem, quæ naturalis sit, respexit; nam hæc aliter, quam naturaliter parta non prodest. Exemplum esse potest qualitas originis, quæ nunquam venit nec ex domicilio, nec ex allectione, vel privilegio *Castren. consil.* 21. *num.*5.*par.*1., *Gail.lib.*2.*obser.*35.*num.*6.

Carolus Silva Testator voluit suorum bonorum fructus erogari *in dotare tante Zitelle povere, e nubili d'essa Città d'Imola.* Ad rem apte *Bartholus* inquit *in Leg.Provinciales* 190.*num.*2. *de verbor. significat.*: *Quum dico Perusinum, intelligo origine, vel qui ibi habeat domicilium: Sed quid, si non dico Perusinum, sed dico, quod talis de Perusio, quid significat? An qui habeat ibi domicilium, vel habeat originem? & credo, quod significet secundum communem usum loquendi originem, & non domicilium.*

Sacra tamen Congregatio in una *Viterbien. Subsidii Dotalis*, qua Testator vocaverat puellas *di Padre, e Madre Viterbesi*, quum ad Subsidium admissa fuisset Cæcilia Geltrudes Martinozia Viterbii nata ex patre, qui per 50. annos Viterbii domicilium habuerat, sed in Urbeveteri ortum duxerat, proposito: *An sustineatur extractio puellæ Cæciliæ Martinozzi ad Subsidium Dotale relictum a Marco Antonio Morelli, seu potius deveniendum sit ad novam extractionem puellarum cum requisitis testamenti dicti Morelli?* Ex verosimili Testatoris voluntate rescripsit *die* 19. *Julii anni elapsi*: *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

Quid ergo, inspecta Testatoris persona, mente, & modo loquendi, dicendum in casu sit, EE. PP. edicent. Dubitatur:

An sustineatur nominatio Mariæ Dominicæ Cæsari ad Subsidium Dotale relictum a bon.mem. Canonico Carolo Silva, seu potius saltem ex gratia idem concedendum sit Annæ Villæ, in casu &c.

FAVENTINA. In supremis Testamenti tabulis anni 1735. Comitissa Laura Castellini ita disposuit: *In tutti gli altri miei beni stabili consistenti in un mio proprio Predio estradotale chiamato Portisano di Tornature* 20. *in circa di terra arativa, arborata, vitata, e fruttata con Casa sopra ad uso del Padrone, e Lavoratore, ed altre sue ragioni, e pertinenze &c. voglio, che sia Erede universale, e proprietaria l'Anima mia; al qual'effetto faccio, istituisco, e fondo in perpetuo con l'usofrutto del medesimo Predio in perpetuo sempre, & futuris temporibus un'Officiatura nella Chiesa della Ven. Congregazione dell'Oratorio di S.Filippo Neri di questa Città di Faenza all'Altare di S. Francesco di Paola mio Avvocato eretto nella* *Sess.*22. *cap.* 5. *&* 6.*de Reform.*

nella medesima Chiesa, e voglio, che a questa Officiatura perpetua, come sopra, venga eletto, e nominato un Sacerdote povero, mà nobile della Città di Faenza, quale debba, e sia obbligato coll'annuo usofrutto di detto Predio celebrare per se, e non per altri, se non in caso di legittimo impedimento, Messe tre la settimana secondo la mia intenzione &c. Intendendo, che tal Sacerdote, delle qualità sopra descritte, nominato una volta che sarà, non possa essere rimosso sua vita durante &c.

Supremam hanc piæ Testatricis dispositionem exequuturus Comes Gaspar Ferniani, cui jus nominandi fuerat tributum, in Capellanum elegit Canonicum Carolum Severoli. Hic possessionem Capellaniæ vix apprehenderat, fuit in judicio lacessitus a Thoma de Aste, qui tum contra ipsum, tum contra Comitem Ferniani Patronum litem instituit coram Ordinario præferri petens in Missarum celebratione, quam in Codicillis sui favore reservavatam fuisse contendebat. Lis hæc in ejus vestibulo transactione dirempta fuit, in qua hæc fuerunt conventa: *Primo: Che il sopradetto Signor Canonico Carlo Severoli Cappellano attuale di detta Officiatura di S. Francesco di Paola resti in Cappellano di detta Officiatura per tre anni già incominciati à die obitus di detta fu Signora Laura con l'obbligo sudetto di celebrare tre Messe la settimana, qual triennio passato subentri il sudetto Signor Abbate Tommaso per altri tre anni coll'obbligo sudetto, e così successivamente di triennio in triennio. Secondo; Che premorendo il sudetto Signor Carlo Severoli al detto Signor Abbate Tommaso, il medesimo Signor Conte Gaspare, e suoi &c. possino nominare, e presentare un'altro Cappellano colla sudetta alternativa di triennio in triennio, e ciò tante volte quante potranno occorrere fino alla morte di detto Signor Abbate Tommaso, quale passato da questa all' altra vita, il jus nominandi, vel præsentandi intieramente, e perfettamente ritorni al predetto Signor Conte Gaspare, e suoi alla forma del precitato Testamento &c.*

Pro istius Concordiæ approbatione exhibitæ fuerunt preces tum nomine Comitis Ferniani, tum etiam Canonici Severoli, & Abbatis de Aste, & hæc Sacra Congregatio, audito Episcopo, & prævio voto clar. mem. Cardinalis Bichii, cui mandatum fuerat Transactionis examen, *die prima Junii* 1737. facultatem Episcopo Faventino concessit, ut illam *cum pactis, & conditionibus supra expressis pro sui arbitrio, & conscientia confirmaret*. Quare prædictus Episcopus, *visis videndis, & consideratis considerandis, die 9. Aprilis* 1738. narratorum veritate comprobata, eamdem Transactionem Apostolica auctoritate confirmavit.

Triennio non adhuc completo, mense scilicet Februarii 1759. diem obiit supremum Canonicus Severoli; Quare Comes Ferniani inhærens secundo Transactionis articulo die 26. ejus-

ejusdem mensis in novum Capellanum *per il corrente triennio tantum* elegit Nicolaum Pasi. Hic statim conquæstus est de pessimo statu prædii *Portisano*, quumque agnovisset, illud ad extremam fere devastationem pervenisse, & nonnisi magnis sumptibus ad meliorem culturam redigi, ferax reddi, ac fatiscentes Ædes reaptari posse, agere constituerat contra Thomam de Aste, & hæredes Canonici Severoli, ut contribuerent in expensas in id erogandas. At quum prædii reditus necessariis ferendis sumptibus longè impares visi fuerint, nullusque reparandæ ruinæ pateret aditus, Comes Octavianus Ferniani novus Patronus consilium cepit impetrandi a Summo Pontifice facultatem incorporandi bonis suis patrimonialibus dictum prædium *Portisano*, cum onere tamen subeundi expensas pro illius cultura necessarias, & adimplendi imposterum Missarum celebrationem.

Summus Pontifex supplicem libellum remisit Sacræ huic Congregationi, quæ, audita relatione Episcopi Faventini, die 18. Julii 1761. eidem commisit, ut *veris existentibus narratis, Oratoris precibus indulgeret, cum onere reparandi Domos, meliorandi Prædium di Portisano, ac manutenendi eadem bona in perpetuum, facta per Oratorem in forma juris valida obligatione de adimplendo onere Missarum in Altari a Testatrice designato, absque spe reductionis, ac hypotecatis pro dicto adimplemento etiam reliquis bonis propriis ejusdem Oratoris*. Hisce proinde fretus facultatibus Episcopus Faventinus, die 18. Augusti 1761. petitam facultatem cum conditionibus a Sacra Congregatione præscriptis concessit Oratori, qui illas publicis, ac juramento firmatis tabulis perpetuo se observaturum promisit; obtentoque primum verbali consensu, deinde solemni Abbatis de Aste ratihabitione, pacificam prædii possessionem nactus est.

Hæc ita se habebant, quum anno 1765. vita functo Comite Octaviano Ferniani, certiores facti sunt Annibal, & Gaspar ejus filii, & hæredes, quod Nicolaus Pasi non æquo animo ferens prædictam incorporationem, eam nullam esse, ac velle ipsos a prædii possessione dejicere jactabat. Ut eas igitur jactationes, conatusque reprimerent, iidem Comites Ferniani e re sua duxerunt monitorium coram A.C. expedire super observatione, & ulteriori exequutione rescripti Sacræ Congregationis, & decreti Episcopi Faventini, nec non etiam super manutentione in possessione prædii *Portisano*. Avocata tamen Causa ab A.C. ex decreto Emi Pro-Auditoris Sanctissimi, controversia ad Sac. Congregationem remissa est, & in duo capita dispertitur.

Tuentur primum Comites Annibal, & Gaspar Ferniani, nullum subreptionis, vel obreptionis inesse vitium in rescripto Sac. hujus Congregationis. Ajunt enim, Comitem Octa-

vianum, qui illud obtinuit, Virum fuisse pietate, religione, ac fide insignem: Fieri quidem potuisse, ut ab aliis deciperetur, id tamen nec temere præsumendum, neque affirmandum, nisi perspicuæ probationes afferantur, *Rot. coram Falconer. tit. de Testam. decis.* 13. *num.* 21., *& in Romana Testamenti* 9. *Junii* 1742. §. 12. *coram cl. mem. Card. Millino*; Rem insuper esse de gratia jam concessa, & ab Episcopo Faventino *visis videndis*, *& consideratis considerandis* exequutioni tradita, atque per plures annos pacifice observata, ut proinde nonnisi firmissimis argumentis possit everti, *Cap. Decet de reg. jur. in* 6. *Cap. Si cui de præbendis in* 6. Rota *in Romana Eleemosynæ* 12. *Januarii* 1736. *§. Perperam coram Nunez*.

Præterea constare asserunt ex jurata relatione duorum artis agrariæ Peritorum, quarum altera anno 1760. supplici libello fuit extrajudicialiter adjuncta, altera jussu Episcopi Faventini anno 1761. judicialiter confecta, Capellaniæ latifundium fuisse tunc temporis negligenter excultum, atque ita deterius effectum, ut eidem reparando impensa scut. circiter 90. fuisset necessaria: Constare item ex relatione Fabrorum murariorum de ruinosis prædii ædibus, eisque restaurandis summam requiri scut. 460., nullamque asserunt habendam esse rationem de Peritis, qui contrarium asserere ausi sunt, tum quia extrajudiciales sunt, & numero pauciores, tum quia de mendacio convincuntur, *Rot. coram Molines decis.* 480. *num.* 2. *to.* 2., *& coram Lancett. decis.* 382. *num.* 13. Et revera Comitem Octavianum plures fecisse sumptus, ut meliori cultura prædium excoleretur, ac domorum repararentur ruinæ, depromi ex testificatione Peritorum rei Agrariæ, & ex Architecti, & Fabrorum murariorum testimoniis.

Constare insuper de Capellanorum impotentia ad expensas subeundas: Hanc ex Testatricis dispositione deprehendi, quæ Capellanos pauperes, quamvis nobiles eligi mandavit: Sumptus vero nec modicos fuisse, quum scuta 500. in eam causam requirerentur, nec paulatim fieri potuisse, quum expedita urgeret ædium reaptatio, & prædii cultura, ne in multo deterius abiret, differri non posset. In has autem expensas concurrere noluisse Canonicum Severoli, & Abbatem de Aste, quamvis iste paratum se exhibuerit cæteras minores expensas pro conservatione prædii contribuere.

Capellanorum insuper impotentiam ex modicis prædii reditibus evinci: Ejus amplitudinem haud excedere tornaturas quindecim, ut Artis Agrariæ Periti retulerunt. Singularum vero Tornaturarum pretium eorumdem Peritorum testimonio probatum ad scuta 80. vix ascendere: hinc totius prædii valorem computari scutis circiter 1200., annuos vero reditus summam vix attingere scutorum 35. juxta ta-

xam legalem scutorum trium pro centenario a Sac. Rota pro Agro Faventino constitutam. Impares idcirco fuisse tam exiguos reditus magnis illis sumptibus, qui ex Peritorum judicio fieri tunc temporis debuissent; præsertim quia ob Capellanorum inopiam, qui assiduas pro cultura expensas subire nequibant, eadem damna non abs re imposterum pertimescenda erant, prout Episcopus Faventinus in prioribus Epistolis affirmavit.

Ad repellendum subreptionis vitium sustinent Comites Ferniani, nihil veri fuisse in precibus prætermissum: Non prædii naturam, quum deterior illius Status in supplici libello fuerit expressus, & Peritorum depositiones Summo Pontifici fuerint oblatæ: Non redituum quantitatem, quum Episcopus Faventinus in Epistola ad Sac. Congregationem asseruerit, fructus, deductis oneribus, computari vix posse in annuis scutis 20.: Non Capellani jam nominati existentiam, atque assensum, quum utriusque idem Episcopus in sua relatione meminerit, & quamvis Capellani assensus in precibus fuerit reticitus, nihil tamen reticentiam obesse potuisse, quum ille utpote ad triennium tantum nominatus jus omne amisisset.

Nominationem vero factam ad triennium, ajunt, nihil Testatricis voluntati adversari: Ipsam respexisse ad casum simplicem, & singularem electionis unius Sacerdotis, qui Capellaniæ deserviret, non autem ad casum mixtum nominationis Capellani, qui dum viveret Capellaniam possideret. Non esse idcirco trahendum ad casum mixtum, quod in casu simplici fuit dispositum, *Roc. disput. jur. to.2. cap.164. num.16., Lotter. de re benefic. lib.2. quæst.33. n.* 103. Nicolaum Pasium ratam habuisse sui *ad triennium* nominationem, quum ea innixus prædii possessionem apprehenderit; nullo proinde jure posse eamdem reprobare nominationem, a qua jus omne desumpsit, *Rota in nuper. dec.66. num.1. to.7.* Inverosimile omnino esse, eumdem inquirere neglexisse, quibus verbis sua in Capellanum electio esset expressa: Certiorem ea de re factum statum fuisse a Notario, ut is testatur, cui licet unico, veluti de facto proprio deponenti fides est adhibenda, *Rot. in Senogallien. Spolii* 14. *Martii* 1755. *§. final. coram Canilliac*: Inverosimile item esse, dictum Pasium minime fuisse sollicitum de cognoscenda Testatricis mente, ad cujus tramites in tabulis suæ nominationis fuerat ad triennium in Capellanum electus: Ipsum denique si non verbis, incorporationi tamen factis acquievisse, quorum major habenda est ratio, *Rota in Romana Rescissionis Transactionis* 11. *Martii* 1743. *§.17. cor. Peralta*.

Ex his omnibus inferunt ad II. Dubium, non esse locum retrodationi prædii favore Capellaniæ, aut restitutioni fructuum, quos Pasius a mense Februarii anni 1765. sibi debitos

bitos esse contendit: Cessante quippe principali actione, incongruam esse de fructibus contentionem, *Rot. in Romana, seu Tyburtina fructuum* 25. *Aprilis* 1755. §.3. *coram Canilliac*; attenta præsertim bona fide Comitis Ferniani innixa gratiosæ concessioni, quam Ordinarius exequutioni mandavit, *Rota in Forolivien. Pecuniaria super fructibus* 19. *Junii* 1761. §.8. *cor. Rm̃o Olivatio*.

Contra vero Nicolaus Pasi præmittit ad I., supremas Defunctorum voluntates esse adamussim adimplendas, non alterata methodo, nec interversa forma, *Can. ultima Voluntas* 4. *Cauf.* 13. *quæst.* 2. Hinc contendit, contra mentem Comitissæ Lauræ Castellini in ejus testamento clare expressam perpetuum in temporaneum, & amovibilem fuisse translatum. Capellaniæ dotem, quæ fuerat relicta, ut manutentioni pauperis, sed nobilis Sacerdotis prospiceretur, ad manualem perperam fuisse redactam; Capellaniæ Latifundium, quod apud Capellanum esse debuisset, nulliter fuisse translatum in Comites Ferniani, quibus jus tantum nominandi fuit a Testatrice concreditum.

Addit, Transactionem initam inter Comitem Gasparem Ferniani, Canonicum Severoli, & Abbatem de Aste sibi nullo modo obesse; nam ipso penitus inscio, & absente contecta fuit, & ad actum perducta, *leg. Inter* 1. *Cod. de Transact.* Appositam in ea conditionem *ad triennium* referendam esse ad perceptionem fructuum Latifundii cum onere celebrationis Missarum, non vero ad Capellani durationem, quam perpetuam Testatrix mandavit.

Gratiam incorporationis pluribus asserit scatere vitiis, ac nullitatibus: Et primum quidem Testatricis voluntati adversari, & jura Capellanorum lædere. Præterea subreptionis, & obreptionis vitio infectam deprehendi, proindeque nullam esse dijudicandam, *ad Text. in Cap. super litteris* 20. *de rescriptis*: Utrumque vitium ex novissimis litteris Episcopi Faventini ad Eminentissimum Pro-Auditorem SSm̃i datis apparere satis. Ad Episcopum pertinere pias Fidelium dispositiones exequutioni committere, *Cap. Tua nobis* 17. *de Testam. Cap. Joannes* 19. *eod. tit.*; ab ejus idcirco judicio non esse discedendum *Cod. Theodos. de Episc. judic. relat.* Nullam habendam esse rationem præcedentium ejusdem Episcopi litterarum, quibus incorporationem antea probaverat, quum in novissimis epistolis fateatur, se ex notitiarum defectu fuisse deceptum. Constare etiam asserit de incorporationis nullitate, ex quo in supplici libello in hanc rem exhibito nec nominatus ipse fuerit, nec auditus, neque interpellatus, quamvis esset eo tempore pacificus prædii possessor.

Insuper asserit, a veritate omnino aliena dignosci, quæ Summo Pontifici fuerunt tunc exposita, & quæ affirmativo Sac. hujus Congregationis responso causam præbuerunt: Fal-

Falsum scilicet, quod Latifundium male fuisset excultum, & in deteriorem statum redactum: Falsum etiam, quod illius cultura ex Capellanorum negligentia fuerit prætermissa; quod ejus restaurationi impares essent Capellaniæ reditus; quod ingentes sumptus ad reparandas fatiscentes ædes requirerentur; sustinet enim, hæc omnia falsa deprehendi tum ex Peritorum judicio, tum ex aliis Testibus de optima prædii qualitate deponentibus, ejusque fructus referentibus in annua circiter quantitate scutorum quinquaginta.

Denique contendit, perperam objici, se legitimum non esse in Causa contradictorem, utpote quia elapso unico suæ nominationis triennio jus omne amiserit. Replicat enim, cuilibet de populo permissum esse judicio sistere, ut pia Defunctorum voluntas impleatur, *Authen. de Eccles. tit. §. Si autem, leg. Nulli Cod. de Episc., & Cler., Tiraquel. de privil. Causæ piæ privil.* 108., *Gonzalez in cap. Nos quidem num.9. to.3. lib.3. tit.26.* Addit, se Capellanum perpetuum esse tum ex littera Testamenti, tum ex sui nominatione ad Capellaniam a Comite OctavianoFerniani in hunc modum facta = *Nomina l' Illustrissimo Signor Abbate Niccolò Pasi per Cappellano all' Officiatura perpetua* = Nec in ejusdem Comitis arbitrio, ac potestate fuisse tempus coercere sequentibus verbis = *per il corrente triennio tantum* = Asserit, se nullo modo fuisse suspicatum de adjecta temporis limitatione Testatricis dispositioni contraria, quin imo uti Capellanum perpetuum se gessisse.

Quo vero ad II. ait, ex superius deductis satis evinci, debitam omnino esse Capellano reintegrationem, & fructuum etiam restitutionem, quos interea temporis Comites Ferniani ex Latifundio indebite perceperunt, *Cap. Gravis* 11. *de restitut. spoliat. leg. Mala* 3. *Cod. de condict. ex lege sine Causa vel injusta Causa*.

Animadvertendum in Causa videtur, quod Episcopus Faventinus in sua relatione diei 22. Maji 1761. iisdem motus rationibus, quæ a Comitibus Fernianis modo proponuntur, aperte testatus est, prædictam Incorporationis gratiam rationi, & æquitati minime repugnare, atque idcirco Apostolica, qua pollebat, auctoritate his verbis decretum interposuit. = *Visis dictis precibus, ex rescripto, ac facultate sibi in illo tributa, jurata Peritorum Æstimatorum, ac Fabrorum murariorum relatione super malo statu Domus, & dicti Prædii, ac impensa necessaria pro reparatione dictæ Domus, ac bonificatione prædii prædicti in supradictis summis relata, & constito sibi de voluntate Testatricis, ac onere Missarum in perpetuum celebrandarum ad Altare per ipsam designatum, declaravit, & & pronunciavit, exposita, & narrata dictæ Sac. Congregationi vera fuisse, & esse, petitamque propterea facultatem esse concedendam, prout Apostolica auctoritate, qua in hac parte fungitur*

tur &c. concessit, & impertitus est =. In novissima tamen relatione diei 2. Augusti 1766. idem Episcopus hæc fatetur =: *Ora però facilmente comprendo, che per mancanza delle necessarie notizie restai ingannato, e parmi poter dire, che il Rescritto ottenuto dal Conte Ferniani sia orretti'io, e surrettizio* =; idque pluribus demonstrat argumentis, quæ ex circumferendis ejus litteris plenissime innotescent:

De rescriptis obreptione, vel subreptione impetratis notissimum est Innocentii III. responsum *in Cap. Super litteris de rescript.* = *Super litteris, quæ ab aliquibus ex malitia, & à nonnullis ex ignorantia [tacita veritate, vel suggesta falsitate) impetrantur a nobis, diversos intelleximus diversa sentire &c. Nos igitur inter eos, qui per fraudem, vel malitiam, & illos, qui per simplicitatem, vel ignorantiam litteras a Nobis impetrant, hujusmodi credimus discretionem adhibendam, ut hi, qui priori modo falsitatem exprimunt, vel supprimunt veritatem in suæ perversitatis pœnam nullum ex illis litteris commodum consequantur, ita videlicet, quod Delegatus postquam sibi super hoc facta fuerit fides nullatenus de Causa cognoscat. Inter alios autem, qui posteriori modo litteras impetrant, duximus distinguendum, quæ falsitas suggesta fuerit, vel quæ veritas sit suppressa. Nam si talis expressa sit falsitas, vel veritas occultata, quæ quamvis fuisset tacita, vel expressa, Nos nihilominus, saltem in forma communi, litteras dedissemus, Delegatus non sequens formam in litteris ipsis appositam, secundum ordinem juris in Causa procedat. Si vero per hujusmodi falsitatis expressionem, vel suppressionem veritatis etiam litteræ fuerint impetratæ, qua tacita, vel expressa, nos nullatenus dedissemus, a Delegato non est aliquatenus procedendum, nisi forsitan eatenus, ut Partibus ad suam præsentiam convocatis, de precum qualitate cognoscat, ut sic in utroque casu eadem ratio, quæ Delegantem movet, moveat etiam delegatum.*

Vulgatissimum est etiam juris principium de possessore bonæ fidei cum titulo legitimo *in Leg. Bonæ fidei 46. ff. de acquir. rer. domin.*, ibi = *Bonæ fidei emptor non dubie percipiendo fructus ex aliena re, suos interim facit, non tantum eos, qui diligentia, & opera ejus provenerunt, sed omnes, quia quo ad fructus attinet, loco domini pene est.*

Hisce opportune præ oculis habitis dignentur EE. VV. definire.

I. *An gratia Incorporationis prædii Capellaniæ de qua agitur, sustineatur in casu &c.* Et quatenus negative.

II. *An competat reintegratio, & debeatur fructuum restitutio in casu &c.*

ÆSINA

ÆSINA CAPELLANIÆ. Contendunt Angelus Anselmi, & Antonius Dionisi de laicali Capellania, quam in Parochiali Ecclesia Oppidi Montis Carotti instituit bon. mem. Seraphinus Thesei. Angelus enim duodecim annos vix natus a Flaminia Matre, cui jūspatronatus activum pertinet, nominatus supplicationem Datariæ Apostolicæ exhibuit petens gratiam *pro præsentato* cum dispensatione super defectu ætatis: Antonius vero præditum se asserens qualitatibus a Fundatore requisitis, illam postulavit *pro qualificato, ac passive vocato*. Emus Pro-Datarius dignam censuit, quæ definiretur ab hac Sacra Congregatione, quæstionem, utra supplicatio signanda foret, eaque proposita die 23. Martii 1765. prodiit rescriptum = *Esse signandam supplicationem favore Antonii*. *Sess. 25. Cap. 9. & Sess. 14. cap. 12 de Reform.*

Beneficio novæ Audientiæ succumbenti impertito, Colligantium jura ad examen iterum revocantur. Licet autem habeatur res tota in folio illius diei, prodest adhuc denuo referre, Fundatorem tribus diversis Instrumentis vario tempore confectis egisse de Capellaniæ institutione. In primo Anni 1638. disposuit de Patronatu tum activo, tum passivo favore Familiæ suæ de Theseis; de requisitis Capellanorum; de oneribus Capellaniæ. Altero Anni 1657. rogatu Sacerdotis Fulgentii Gratiani Capellaniæ dotem auxit, Juspatronatus Familiæ Gratiani reliquit, dictumque Fulgentium Capellanum nominavit. Tertio tandem Anni 1660 confirmavit quidem dotis augumentum, at revocata Capellani nominatione, & concessione Patronatus erga Familiam Gratiani, hunc iterum reservavit Familiæ suæ de Theseis exercendum a natu majori ex Agnatis, & in horum defectum ex Cognatis, atque his etiam extinctis a Communitate Montis Carotti.

In nominatione præferri voluit Agnatum, & inter plures ætate majorem; Nullo autem extante de dicta Familia, proximiorem Consanguineum, vel Affinem; & hoc neque etiam existente, alium quemcumque arbitrio pollentis jure nominandi = *Dummodo quilibet nominandus, & præsentandus semper sit oriundus de dicto Castro Montis Carotti*.

His, quæ postremo instrumento præscripta sunt, conjungenda sustinet Antonius ea etiam, quæ constituta fuerant in primo; ac propterea in confirmationem rescripti sui favore jam editi, inquit, in utroque instrumento expressas reperiri qualitates a Fundatore requisitas in Consanguineis ad Capellaniam invitatis, quod scilicet sint habitu saltem Sacerdotes, idonei etiam ad Chori Servitium, & originem ducant ab Oppido Montis Carotti. Qualitates has in ipso reperiri: Minoribus Ordinibus ab Anno 1743. fuisse initiatum, brevi ad Sacerdotium posse conscendere: Ecclesiæ Parochiali a longo jam tempore inservire, sacrisque functioni bus continuo interesse: De origine vero ab Oppido

do Montis Carotti dubitari non posse, cum tam ipse, quam illius Parentes eo in loco nati fuerint.

Deesse hæc omnia suo Contradictori. Hunc duodecimum ætatis annum vix attingere; prima Clericali Tonsura non adhuc esse insignitum; inhabilem ad Chori Servitium: Natum insuper fuisse in Terra S. Quirici Diœcesis Camerinensis, ubi etiam Pater habuit originem. Nec attendendum, quod Mater oriunda sit ex Oppido Montis Carotti, cum Filius non Matris, sed Patris originem sequatur ad *Text. in Leg. Filios* 3. *Cod. de Municip.*, *& Origin. lib.*10., *& Leg. Assumptio* 6. *ff. ad Municip.*, *& incol.*, *Rota in Pampilonen. Beneficii* 14. *Junii* 1751. §. 5. *coram Eminentissimo Elephantutio*.

Nil autem Angelo prodesse vel proximioritatem, vel nominationem a Matre reportatam. Non illam, quia Testator proximiorem quidem, sed idoneum eligi mandavit. In concursu proinde remotiorem qualificatum esse præferendum, excluso proximiore minus idoneo, *Piton. de controv. Patron. alleg.* 17. *num.* 6., *Rota in Asculana Canonicatus* 29. *Martii* 1756. §. 6. *coram Stadion*. Neque etiam Matris nominationem, quia præsentatio inhabilis irrita ipso jure dijudicari debet. *Vivian. de Jurepatr. part.*1. *lib.* 2. *cap.* 8., *Rota in Recent. decis.*13. *num.* 13., *& decis.*47. *num.* 2. *part.*9. Ex opposito qualificatum tamquam a Fundatore vocatum nulla indigere nominatione. *Lotter. de re Benef. quæst.* 38. *num.*26. *& seq.*, *& quæst.*51. *num.*39., *Rota coram Falconerio de jurepatr. decis.*60. *num.*1.

Perperam etiam prætendi, quod qualitas originis ex Monte Carotto non fuerit requisita in Affinibus, & Consanguineis, sed solum in exteris; Nam tuetur id aperte adversari lltteræ fundationis, & explicitæ Fundatoris voluntati panditæ tum in primo, tum in posteriori Instrumento. In primo siquidem, quià Fundator ibi statuit, *ut eligatur alter ex Consanguineis, seu Affinibus, & Descendentibus tam ipsius Fundatoris, quam supradictorum ad beneplacitum illius, ad quem spectat jus præsentandi, oriundus tamen ex Monte Carotto*. In altero quià mandavit, *ut non extantibus illius Consanguineis, vel Affinibus, idoneis reservatur &c. jus, & facultas nominandi &c. quemcumque alium Rectorem, seu perpetuum Capellanum, dummodo quilibet nominandus, & præsentandus semper sit Oriundus de dicto Castro Montis Carotti*. Ex quibus verbis arguit, expressam Fundatoris mentem in primo instrumento expressam haberi; ex posteriori autem deduci, qualitatem originis in fine orationis adjectam totam informare dispositionem *Bartol. in Leg. Doli num.*1. *ff. de Serv. corrupt.*, *Rota coram Falconerio de Fideicom. decis.* 27. *num.* 19.; Præsertim ex vi dictionum, *Quilibet*, *semper*, quæ omnes casus, omnesque personas comprehendunt, ut de dictione *Quilibet* dixit *Barbos. tract. var. dict.* 320. *per tot.*, *Rota* co-

*coram Coccino decis.*1001. *num.* 5., & de altera dictione *semper*, *Surd. cons.*179. *num.* 14., *Rota in Ariminen. Primogeniturae de Gridulphis* 16. *Februarii* 1756. §. 10. *coram Caprara*.

Addit, qualitatem originis ex Monte Carotto quoad Consanguineos, & Affines in primo Instrumento expressam, in posteriori etiam repetitam censeri, cum in isto de augumento tantum dotis fuerit dispositum, nec quidquam ex priori fundatione immutatum *Rota coram Merlin. decis.* 518. *num.*12., *& coram Lancetta decis.*10. *num.* 42., immo ex posteriori Instrumento primevae fundationis confirmationem deprehendi.

Denique nullam habendam esse rationem de observantia, qua habetur olim simplicem Clericum Joannem Baptistam Thesei, novissime vero Carolum Marini Capellaniam obtinuisse; cum non constet tunc fuisse collatam Capellaniam in concursu aliorum, qui requisitis pollerent. Caeterum non observantiam, sed abusum verius dici, quidquid contra legem Fundationis, contra Fundatoris mentem gestum fuerit *Lotter. de re Benef. lib.*2. *quaest.*47.*num.*29. *& seq.*, *Piton. de Controv. Patron. alleg.* 17. *num.* 9. Defectus vero per Apostolicam dispensationem, quam Angelus imploat, non esse supplendos, nec eam in alterius praejudicium esse concedendam *Rota coram Molines decis.*1124.*n.*24. *Sac. Congregatio in Cremonen. Capellaniae* 8. *Julii*, *&* 9. *Septembris* 1702., *& in Novarien. Dispensationis* 13. *Augusti* 1707. Sed sui tamquam qualificati, & passive vocati signandam supplicationem. *Rota in Colonien. Abbatissatus* 25. *Aprilis* 1757. §. *final. cor. Frangipane*.

Contra Angelus posteriori tantum innixus instrumento Anni 1660. sustinet, tres fuisse a Fundatore distinctos casus, & in primo quidem Agnatis solum prospexisse; his deficientibus secundo vocasse Consanguineos, & Affines proximiores; tertio extraneos, quatenus Consanguinei, vel Affines non adessent. Praesentem controversiam in secundo casu versari: purificatam fuisse suam vocationem, nec proinde sibi, tamquam proximiori, institutionem posse denegari. *Garz. de Benef. part.*7. *cap.*15. *num.* 17., *&* 18., *Rota coram Lancetta decis.* 3. *num.* 2. *tom.*2.: Fortius cum habeat Patroni nominationem. *Text. in Cap. Quoniam de Jurepatr.*, *& Can. Decrevimus* 16. *quaest.*7.

Deponit idcirco Antonium passiva destitutum vocatione de requisitorum defectu non posse contendere. Caeterum frustra ad tertium instrumentum traduci qualitates, & leges constitutas in primo, quod per intermedium instrumentum fuit revocatum. In postremo instrumento unice attendendo deferri mandasse Capellaniam vel Clerico, vel Laico, *qui velit statim ad Clericatum, & successive Presbyteratum se promovere, & incumbere de Familia ipsius D. Fundatori*

toris &c. si vero nullus adesset de Familia de Thesei, tunc eligatur proximior Consanguineorum, & Affinium ejus, ad quem tunc temporis jus nominandi, & præsentandi spectabit. Admissionem Laici cum Sacerdotali qualitate pugnare. *Cap. Si quisquam de Cohabit. Cleric., ibique gloss. in verb. Sacerdotum, Fagnan. in Cap. Ut Abbates de ætate, & qualit., & Ordin.*

Nec obstare, quod onus Capellano injunxerit, Choro interessendi, & Missam per se ipsum celebrandi, quatenus non esset impeditus. Ex Fundationis namque contextu deprehendi, Fundatorum nequaquam in hac parte fuisse sollicitum de Capellani persona, sed unice requisivisse Sacrificii celebrationem, quæ per quemcumque Sacerdotem potest adimpleri, atque insuper optasse Chori, Ecclesiæque servitium, cui Clericus etiam satisfacere potest. *Pignattel. consult. 2. num. 4., & 7., Rota in Tridentina Beneficii 26. Januarii 1759. §. 1. coram Ubaldo*. Hanc Fundatoris mentem desumi ex demandata erectione Capellaniæ laicalis, quæ Sacerdotalem Capellani qualitatem non præsefert *Barbos. Jur. Eccles. Univers. lib. 3. cap. 5. num 3., Rota decis. 7., & 53. num. 2. coram Lancetta*. Idque etiam observantia comprobari, dum Clericus Joannes Baptista Thesei, & Carolus Marini Capellaniam sunt essequuti. Ex observantia vero, ultimo præsertim statu confirmata, Sacerdotalem Capellani qualitatem excludi *Gonzalez ad Regul. 8. Cancell. gloss. 5. num. 85., Rota coram Falconer. de Jurepat. decis. 7. num. 20., & in Recent. decis. 184. num. 15. part. 12.*

De qualitate originis non esse quærendum in Consanguineis, & Affinibus. Fundatorem eam injunxisse post vocatos extraneos; hac discretiva adjectione ostendisse, se in istis, non illis eam voluisse, ad *Text. in Leg. Unic. §. Sin autem versic. Sin autem Cod. de Caduc. tollen., Rota coram Molines decis. 120. num. 21. tom. 4.* Attenta potissimum personarum diversitate, quæ diversam dispositionem suadet. *Soccin. Jun. cons. 100. num. 20., & seq. lib. 1., Rota coram Lancetta decis. 1118. num. 7. tom. 5.* Maxime ubi agitur inter proximiorem, & extraneum, dum affectionis ratio, quæ in illis verificatur, cessare facit præsumptam repetitionem oneris extraneis immediate adhærentis *Mantic. de conject. ultim. Volunt. lib. 6. tit. 12. num. 6., Rota decis. 252. num. 6. coram Otthobon.*

Multa tandem congerit Angelus ad probandum posterius solum instrumentum in hac controversia esse attendendum, cum per istud fuerit præcedenti derogatum. Causæ definitio ex jure pendet, & ex facto. Utrumque ex circumferendis Partium scriptis, & fundationis Instrumentis desumere dignabuntur EE. VV., ut decernant:-

An sit standum, vel recedendum a Decisis.

Dis

Die Sabbathi 11. Julii 1767. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

IN foliis dierum 16., & 30. Maji, & 20. Junii septem conscriptæ sunt Causæ, quæ in ultima Congregatione proponi non potuerunt. Dignentur igitur EE. PP. ea folia resumere, & sapientissimum de quæstionibus, quæ proponuntur, proferre de more judicium.

CAMERINEN. *Sess.22. cap.1. de Reform.*

I. *An constet de incursu in censuras, in casu &c.*, & quatenus affirmative

II. *An sit locus absolutioni, in casu &c.*

III. *An Consiliarii, aliique Officiales, & Ministri Communitatis ceciderint a jurepatronatus, & administratione Capellæ S. Mariæ Gratiarum, in casu &c.*

IV. *An publica supplicatio fieri solita prima Dominica Julii sit facienda ex reditibus ejusdem Capellæ, seu potius ex reditibus Communitatis, in casu &c.*

V. *An, & cujus favore sit locus reintegrationi, in casu &c.*

Ad I. Negative, & amplius. Ad II. Provisum in antecedenti. Ad III. Negative, & amplius. Ad IV. Spectare ad Capellam, quatenus vires suppetant. Ad V. Affirmative favore Capellæ.

BURGEN. *Sess.22.cap.8. de Reform.*

An Dotationes Operum Piorum a quond. Petro Gonzalo del Rio relictorum sint augendæ, & repartiendæ juxta relationem Ordinarii Burgen., in casu &c.

Dilata, & scribatur Archiepiscopo juxta instructionem, non retardato adimplemento ad formam rescripti diei 21. Augusti 1762.

Sess. 25. cap. 3. de Reformat., & sess. 21. cap. 7. de Reform.

NULLIUS S. LAURENTII IN CAMPO.

I. *An sit procedendum ad erectionem Instituti sub regimine Magistrarum Piarum pro educatione Puellarum, in casu &c.*, & quatenus affirmative

II. *An sit locus translationi Ecclesiæ S. Mariæ de Quercu cum omnibus ejus juribus, oneribus, & pertinentiis ad Domum dicti Instituti, in casu &c.*

Ad I. Negative. Ad II. Provisum in antecedenti.

Sess. 24. cap. 4. de Reform.

CASSANEN.

I. *An Clero, & Presbyteris Ecclesiæ Parochialis S. Mariæ de Castello Civitatis Castrivillarum liceat in Ecclesia S. Mariæ Gratiarum ad libitum explere omnes, & singulas Sacras Functiones, ultra eas diei 2. Julii, & 2. Augusti absque licentia, sive consensu Parochi S. Juliani, in casu &c.*

II. *An, & quomodo liceat Presbyteris dicti Cleri ad Confessiones approbatis excipere sacramentales Fidelium Confessiones in præfata Ecclesia, etiam invito Parocho S. Juliani, in casu &c.*

III. *An in Dominicis, & Festis diebus dd. Clero, & Presbyteris in antedicta Ecclesia S. Mariæ Gratiarum liceat ad libitum in quacumque hora eis benevisa celebrare Missas sive lectas, sive cantatas, in casu &c.*

IV. *An, & quomodo liceat eidem Clero, & Presbyteris sine dicta licentia Parochi S. Juliani habere in eadem Ecclesia S. Mariæ Gratiarum Expositionem 40. Horarum, cum Benedictione super Populum, in casu &c.*

V. *An, & quomodo in dicta Ecclesia S. Mariæ Gratiarum retineri possit Tabernaculum jam extructum, seu potius sit locus ejus demolitioni, in casu &c.*

VI. *An pariter præfatis Clero, & Presbyteris liceat facere officium funebre super Cadaveribus sepeliendis in dicta Ecclesia S. Mariæ Gratiarum, seu potius spectet ad Parochum S. Juliani, in casu &c.*

VII. *An, & quomodo tam in Ecclesia S. Mariæ Gratiarum, quam in Ecclesia S. Josephi liceat celebrare Novenas in septem Festivitatibus B. Mariæ Virg. in casu &c.*

VIII. *An sustineatur interdictum publicatum a Curia Episcopali Cassanen. in casu &c.*

Ad I. Affirmative, exceptis Functionibus Parochialibus, & amplius. Ad II. Affirmative de licentia Episcopi.

Ad

Ad III. Negative, & Episcopus provideat, quod Missa Parochialis diebus Festivis celebretur hora opportuna, & in eadem Missa fiat sermo post Evangelium. Ad IV. Affirmative de licentia Episcopi, & amplius. Ad V. Affirmative ad primam partem remoto ostiolo; Negative ad secundam. Ad VI. Affirmative ad primam partem quoad tumulandum non subjectum Parocho S. Juliani; Negative ad secundam. Ad VII. Licere utrique Ecclesiæ arbitrio, & prudentia Episcopi, & amplius. Ad VIII. Satis provisum, & amplius.

IMOLEN. SUBSIDII DOTALIS. *Sess.25. cap.13. de Reformat.*

An sustineatur nominatio Mariæ Dominicæ Cæsari ad Subsidium Dotale relictum a bon. mem. Canonico Carolo Silva, seu potius saltem ex gratia idem concedendum sit Annæ Villa, in casu &c.

Non proposita, cum reliquis.

FAVENTINA. *Sess.22. cap.5. & 6. de Reform*

I. *An gratia incorporationis prædii Capellaniæ, de qua agitur, sustineatur, in casu &c.* Et quatenus negative

II. *An competat reintegratio, & debeatur fructuum restitutio, in casu &c.*

ÆSINA CAPELLANIÆ. *Sess.25. cap.9. & sess.14. cap.12 de Reform.*

An sit standum, vel recedendum a decisis.

NEAPOLITANA MATRIMONII. De Matrimonii validitate initi anno 1696. inter Nobilem Virum Franciscum de Robertis, ac Luciam Capiello infimæ conditionis mulierem, gravis, post obitum dicti Francisci biennio inde secutum, exarsit quæstio inter Franciscum dicti Francisci filium, ac Equitem Hieronymum del Cinque, dum de *Sess.24. cap.1. de Reform. Matrimon.*

Suc-

Successione ad Primogenituram institutam a Cardinali Roberto de Victoriis controversia postmodum fuit. Cum enim dicta Lucia oriunda, & incola Casalis Sancti Petri Neapolitanæ Diœcesis e loco sui domicilii profecta Neapolim se contulerit, atque ibi recepta in Hospitio Patrum Societatis Jesu, quod situm est intra limites Parochiæ S. Mariæ ad Rotundam, post moram per bimestre circiter ibi habitam, nuptias cum dicto Francisco Parochiano S. Mariæ vulgo a Canciello præmissis denunciationibus contraxerit coram Parocho S.Mariæ ad Rotundam, id in quæstione fuit, an is esset Sponsæ Parochus, itaut servata foret Concilii Tridentini forma.

Ex actis Curiæ Archiepiscopalis, quæ matrimonium præcesserant, constabat, Testes super libero statu utriusque Conjugis examinatos fuisse, quarum alter deposuerat, Sponsum aliquando Casalem S. Petri petiisse *per suo trattenimento, dove trattava matrimonio con detta Lucia*: Sponsæ verò Soror testata fuerat, Sponsam numquam discessisse a dicto Casali, *se non che da due mesi a questa parte, che è venuta in questa Città di Napoli dentro il Conservatorio dell'Ospizio de' PP. Gesuiti per maritarsi*: omnesque Testes convenerant, Sponsam oriundam e Casali S. Petri jam a duobus mensibus in d. Hospitio commoratam esse; hinc præmissis trinis denunciationibus in Ecclesiis S.Mariæ ad Rotundam, & S.Mariæ a Canciello data fuerat a Curia Archiepiscopali licentia matrimonium contrahendi his verbis: *Rev. Paroco a chi spetta, essendo fatte le tre debite publicazioni, e non essendovi alcun canonico impedimento, farete nella vostra Parochiale Chiesa il matrimonio contrahendo tra D. Francesco Roberti, e Lucia Capiello della Rotunda servata la forma del Sagro Concilio di Trento*.

Re ad Sacram Congregationem ablegata, utraque parte comparente quæsitum est in Congregatione *diei* 17. *Novembris* 1714. *An matrimonium inter Franciscum de Robertis, & Luciam Capiello fuerit nullum*, rescriptumque fuit *Negative*: viden. folium S.Congregationis, quod inter monumenta Causæ habetur.

Ut nova jura pararet Hieronymus del Cinque, plures Testes formiter examinari obtinuit. Examen Neapoli completum est. Sed ope concordiæ quæstio omnis postmodum absoluta fuit. Nunc vero Comes Fulvius Roberti Francisci junioris filius bona primogenialia transactione cessa vindicare satagens, ne sibi antiqua quæstio de matrimonii validitate, & legitimitate obstaculo sit, iterum supplicat, validum declarari matrimonium initum anno *1696.* inter Franciscum Roberti, & Luciam Capiello.

Inquit, trinas præcessisse matrimonii denunciationes: Ambos Contrahentes coram Parocho Sponsæ S. Mariæ ad Rotundam, & duobus Testibus consensum præstitisse: undique

que idcirco servatam fuisse formam Concilii Tridentini, & perperam initum Conjugium de nullitate redargui. *Barbos. de Paroch. cap.* 21. *num.* 45., *Pignatell. consultat.* 79. *num.* 13. *tom.* 5., *Corrad. in Prax. dispensat. Apostol. lib.* 7. *cap.* 7. *num.* 33., & *san. mem. Benedict. XIV. in Institut. Eccles.* 33. §. 5.

Ambigi vero non posse Parochum S. Mariæ ad Rotundam fuisse proprium Sponsæ Parochum: Sponsam jam per bimestre in Hospitio intra limites illius Parochiæ sito moram duxisse: ibique educationis causa, & non animo statim recedendi se recepisse: omnemque defuisse causam, cur in fraudem Concilii a Patria recederet, & ad Hospitium confugeret: Moram proinde in dicto Hospitio satis fuisse ad Parochialitatem S. Mariæ ad Rotundam acquirendam, tum ex juris dispositione *Pignatell. consul.* 79. *num.* 44. *tom.* 5., tum ex universali Diœcesis consuetudine, de qua Parochi in examine deposuerunt.

Advertit insuper, Curiam Archiepiscopalem licentiam contrahendi matrimonium direxisse Parocho S. Mariæ ad Rotundam, cui Sponsam subjectam esse dixit: Amplius, præsumi quoque delegationem Parochi Casalis Sancti Petri, semel ac matrimonium publicè, & palàm præviis denunciationibus in faciem Ecclesiæ celebratum fuit; Conjuges absque ulla querela usque ad obitum convixerunt, ac genita proles pro legitima ab omnibus semper recognita. Parochum proinde S. Mariæ semper pro proprio Sponsæ Parocho habendum esse ex delegatione vel Curiæ Archiepiscopalis, vel Parochi Casalis S. Petri.

Demum concludit, ambos Conjuges jam decessisse: nunc quæstionem solum institui pro effectu legitimitatis prolis: Satis autem esse, ut matrimonium putativum sit, & bona fide contractum, ut validum declaretur pro prole legitima habenda, eademque capaci ad succedendum hæreditatibus legitimis descendentibus relictis *cap. pervenit qui filii sint legit.*, *Boss. de Matrim. cap.* 3. *num.* 108., & *Rota cor. Emerix Jun. decis.* 451. *num.* 6.

Descendentes ab Equite Hieronymo del Cinque licet moniti, nondum libellum dederunt.

Synodus Tridentina hæc habet = *qui aliter, quam præsente Parocho, vel Sacerdote de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus Testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos Sancta Synodus ad sic contrahendum inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos, & nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit, & annullat &c. Statuitque benedictionem a proprio Parocho fieri, neque a quoquam, nisi ab ipso Parocho, vel ab Ordinario licentiam ad prædictam benedictionem faciendam alii Sacerdoti concedi posse, quacumque consuetudine etiam immemorabili, quæ potius corruptela dicenda est,*

est, vel privilegio non obstante. Sess. 24. cap. primo de Reform. Matrimon.

Sacra Congregatio *anno 1573. censuit, ad Matrimonii validitatem sufficere præsentiam solius* Parochi *proprii Sponsæ, quando matrimonium in Parochia Sponsæ contrahitur: Similiter sufficere præsentiam solius Parochi Sponsi; si in ipsius Sponsi Parochia matrimonium contrahatur, lib. 1. Decretor. pag. 125.*: ille autem proprius censetur esse Sponsi, aut Sponsæ Parochus, in cujus Parochia Sponsus, aut Sponsa domicilium habet, vel quasi, *Sac. Congregatio in Mutinen.* 18. *Novembris* 1702., *& san. mem. Benedictus XIV. in Constitutione Paucis ab hinc* 19 *Martii* 1758.

Ad acquirendum tamen domicilium pro Parochialitatis effectu, haud necesse est, quem longo tempore permansisse in aliquo loco, ac fixum animum habuisse numquam recedendi ab illo, sed satis est, ut saltem spatio unius mensis habitaverit in loco, ubi matrimonium celebratur. Definitiones S. Congreg. Concilii extant apud *Fagnan. in cap. Significavit de Parochiis*, ubi præsertim hæc habet *sub num. 39. Vir, & Mulier Trajectenses timentes impedimentum a Parentibus, cum ad vicinam Urbem Aquisgranam se contulissent, & ibi aliquandiù morati matrimonium contraxissent, Sacra Congregatio consulta super validitate, censuit exprimendum tempus, quo contrahentes Aquisgranæ manserunt, quod si fuerit saltem unius mensis, dandam esse decisionem pro validitate;* & *Bened. XIV. in citata Constitut. Paucis ab hinc = Post hæc necessarium fore censemus nonnihil adjungere, ut in propatulo sit quidnam requiratur ad quasi domicilium acquirendum. Verum hac in re non alio pacto responderi potest, nisi quod antequam matrimonium contrahatur, spatio saltem unius mensis ille, qui matrimonium contrahit habitaverit in loco, ubi matrimonium celebratur.*

Dummodo tamen idem domicilium dolo non sit electum animo contrahendi ibidem matrimonium in fraudem Concilii, vel non sit occasionale, & accidentale: Hinc Sacra Congregatio in una *Romana nullitatis Matrimonii 22. Februar.* 1631 censuit dandam esse declarationem in abstracto in forma sequenti: *Vir, & Mulier a loco suæ habitationis absque animo illam relinquendi discedentes, & ad locum alterius Parochiæ solo animo illic matrimonium celebrandi, non autem domicilium contrahendi se transferentes, ubi coram Parocho illius loci matrimonium inter se contraxerunt, supplicarunt per Sacram Congregationem declarari, an hujusmodi matrimonium sit nullum, vel validum, Sacra &c. secundum ea, quæ proponuntur censuit esse nullum: lib. 14. Decretor. pag. 390. a ter., & in Theatina Matrimonii* 13. *Novembris* 1683. *lib. 33. Decretor. pag. 336.*, *in Bovinen. Matrimonii 7. Septembris 1697. lib. 47. Decretor. pag. 416.*

Item in una *Urbinaten. Matrimonii* 1. *Decembris* 1640. *Sac. Congre-*

gregatio inhærendo declarationibus aliàs factis respondit, Parochum ruralem non esse proprium, & verum Parochum, quando rus itur causa recreationis, vel pro rusticanis negotiis: ideoque matrimonium valide coram hujusmodi Parocho celebrari non posse; Partibus tamen dentur declarationes antiquæ, scilicet

In una Florentina Sacra Congregatio censuit, quod Parochus ruralis non est verus Parochus, quando rus itur causa recreationis, vel pro rusticanis negotiis.

In Florentina similiter respondit, Parochum ruralem non esse proprium Parochum, ideoque matrimonium coram eo celebratum fuisse nullum.

In una Abulen. censuit, non valere matrimonium contractum coram Parocho Loci, ubi Contrahentes reperiuntur, non animo ibi domicilium contrahendi, lib.16. Decret. pag.456.

Quidquid ergo dicendum sit de domicilio acquirendo ad civiles effectus, de quo *in leg.2. Cod. de incol. lib.* 10. sanè ad Parochialitatis adeptionem sat est, quod domicilium fuerit per aliquod tempus acquisitum, atque absit animus statim recedendi, nec accidentale, nec dolosum sit *Gonzalez in cap. Significavit de Paroch. num.13., Pont. de matrim. lib.5. cap.13. §.1. per tot., & Rota in Neapolitana Matrimonii 22. Junii 1705. §. Quamvis coram Priolo*: Idque procedit, etiamsi ratione officii merè temporalis domicilium habeatur, ut respondit Sacra Congregatio in una *Abulen.* relata per *Garz. de Benefic part.5. cap.7. num.11.*, qua proposito: V. *Quid, si contrahens ibi moretur tanquam Prætor, Judex, seu Medicus temporalis?* Respondit, *Matrimonium valere.*

De Puellis educationis causa in Monasteriis, vel Conservatoriis degentibus, recepta est a DD. distinctio: Aut hæ aliundè proprium habent domicilium, & tunc matrimonium coram Parocho proprii domicilii contrahere debent: Aut verò non habent in alia Parœcia domicilium, & tunc matrimonium contrahendum est coram Parocho illius Parœciæ, in qua situm est Monasterium. Viden. *Bened. XIV. volum.2. notific.13. num.36.* Quæ autem consuetudo in Neapolitana Civitate viguerit, videndæ sunt depositiones Parochorum formiter examinatorum, quæ distribuuntur.

Verum in *additionibus ad Statut. Cler. Roman. cap.3. de jur. eligen. sepultur. §.9.* cautum habetur = *Si Scholastici sint exteri, vel nullum habeant in Vrbe domicilium, ad Parochiam, intra cujus fines situm est Collegium, non solum quoad funeralia, sed etiam quoad matrimonia pertinere statuimus. Si vero domicilium in Vrbe non habentes ad amicorum, vel conjunctorum ædes ratione infirmitatis, aliave quacumque de causa, non derelicto tamen Collegio, se transtulerint, ibique decesserint, ad Parochiam Collegii pertinere declaramus. Hoc idem servandum erit in Puellis, & aliis, quæ educationis, vel famulatus, aliave quacumque de causa accidentali in Monasteriis, aut Conservatoriis degunt, quarum Cadavera tumulanda esse mandamus in sepul-*

pulcro majorum, si habeant, vel in Ecclesia Parochiali, intra cujus limites unaquæque proprium habet domicilium quatenus absque electione sepulturæ decesserint. Si vero sint exteræ, vel non habeant in Urbe domicilium, servetur, quod de Scholasticis supra dictum est, tam in funeralibus, quam in contrahendo matrimonio, prout etiam declaratum fuit in Congregatione particulari sub die 19. Januarii 1705.

Declaratio autem hæc facta fuit in vim universalis legis *Ursaja discept. 30. lib. 1. par. 2. num. 12.* Ubique proindè servanda pro recta Concilii Tridentini interpretatione: Maximè quia in qualibet Concilii Tridentini, vel Apostolicarum Constitutionum ambiguitate *sola Urbis consuetudo, velut in conspectu ipsius Sedis Apostolicæ inducta, haberi solet pro lege in universo Orbe, & normam Episcopis, aliisque inferioribus Prælatis tribuere debet*, ut totidem verbis inquit *Rota in Majoricen. Parochialis de Monacor. 2. Julii 1708. §. Hocque ipsum coram Omanna*: Viden. *cap. Ex literis de Constitut.*, *Gonzalez ad reg. 8. Cancell. gloss. 6. num. 220.*, *Barbos. de potest. Episcop. alleg. 78. num. 24.*

Hisce positis perpendendum est, an dicta Lucia animo habitandi, vel potius tantum contrahendi matrimonium sese receperit in dicto Hospitio: An obstaculo sit domicilium a Lucia habitum in Casali S. Petri ad Paternum, quod licet duobus milliariis a Civitate Neapolitana distet, proprium quoque Parochum habeat, distinctam insuper Communitatem constituat, & per suos Consules regatur, tamen membrum est, & de pertinentia Civitatis, ac iisdem fruitur privilegiis, ut colligitur ex Testibus formiter examinatis.

Perpendendum demum, matrimonium celebratum fuisse præviis consuetis solemnitatibus in faciem Ecclesiæ: in pacifica ejusdem possessione virum usque ad obitum permansisse, & nonnisi eodem sequuto, quæstionem institutam fuisse pro effectu legitimitatis prolis. *Cœlestinus III. in cap. 11. qui filiis sint legitim.* hæc habet: *Pervenit sanè ad nos ex insinuatione L. Viduæ, quod cum inter G., & A. matrem illius matrimonium fuisset legitime celebratum, & quandiù vixerunt quiete permanserunt, post illorum decessum quidam asserentes eam de non legitimo fuisse susceptam, a paterna hæreditate tanquam illegitimam amovere conantur. Mandamus itaque, quatenus si est ita, dictam Viduam legitimam nuncietis*; cui consonat *cap. 2. 8, 9. ejusdem tituli.*

EE.PP. qua pollent juris sacri peritia sententiam dicent. *An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.*

Sess. 24. cap. 2. de Reformat.

ASCULANA. Diœcesanam Synodum habiturus Reverendissimus Asculanus Antistes, tradidisse dicitur legendas Capitulo Ecclesiæ Cathedralis, & Parochis Civitatis, quas ferre constituerat, Sanctiones. Quum paulo asperiores visæ

ra fuerint nonnullis pœnæ in iis comminatæ, ac rumor esset, Capitulum officiis petere velle illarum moderationem, Parochi Urbani in certo loco congregati idem Capitulum rogare statuerunt, ut curis suis adjungere in idipsum dignaretur preces quoque Parochorum. Quod si id Capitulo non placeret, mandatum dederunt *RR. Petro Veramonti, Dominico Lottaroli, ac Ludovico Spinucci*, qui sunt ex eorum cœtu, ut petitionem eamdem deferrent ad Episcopum, quæ si vel non profutura judicaretur, vel exitu caruisset, tunc protestarentur in ultima Synodali actione de recursu ad S. hanc Congregationem habendo.

Quum nihil ex optatis prospere successerit, tres memorati Parochi ad agendum delecti primum de ferendarum Sanctionum asperitate instruere studuerunt Parochos e Diœcesi in Synodum convenientes; hos pellicere conati ad contribuendum in expensas ad reclamationem instituendam necessarias. Deinde, ne ex præsentia Synodalibus actionibus, & ex silentio in eis servando tacitus educi posset assensus, protestationem conscripserunt, qua nimii rigoris affirmantes Synodalia statuta, professi sunt, Cleri mentem ab illorum adprobatione esse alienam, paratamque recurrere ad Sac. Urbis Congregationes. Demum protestationem hanc obtulerunt Procuratori Cleri. Eo autem illius receptionem scripto fateri recusante; ope publici Bajuli illam insinuari curarunt.

Inconsultum Procuratori Cleri visum est consilium, Parochos generatim de Sanctionibus esse conquestos, & Cleri nomen usurpasse. Hinc transmissa ope Notarii monitione postulavit, ut quæ cuperent emollienda, specifice indigitarent. At Parochi, Cleri nomine tantum expuncto, eammet renovarunt protestationem. Quamobrem Promotor Synodi, ac Secretarius, Clerique Procurator supplices fuerunt coram Sac. hac Congregatione, ut se, totamque Synodum vindicaret. Audito pro more Rmo Antistite, rescriptum prodiit: = *Episcopus procedat, prout de jure* =. Vocatis itaque in Curia Episcopali memoratis tribus Parochis ad agendum deputatis, ut pro eorum erratis condigna pœna plecterentur, Rmus Episcopus = *mandavit ab eisdem citatis expleri per mensem recollectiones Spirituales in Religiosis Domibus unicuique citatorum ab eodem designandis juxta instructionem dandam earumdem recollectionum Directoribus* =

Decretum hoc, a quo Parochi provocarunt, subjectum est præsentis quæstionis. Ajunt iidem, illud præter juris ordinem fuisse latum, non verificatis excessibus, non facta potestate exhibendæ defensionis: Hanc esse de jure naturæ: ad eam exhibendam terminum Reo utcunque illam non petenti, imo & despicienti, antequam damnetur, pro more esse præfiniendum: Nulliter proinde actum fuisse contra Parochos sese defendere paratos.

Contendunt, nullitati processus comitem esse condemnationis injustitiam: Hanc primum patere spectata persona ejus, qui in judicio gessit actorem: Actionem injuriæ, quæ Synodo dicitur illata, non fuisse institutam a Promotore Fiscali, cujus fuisset officium, sed a Promotore, & Secretario Synodi: Hos autem ejusmodi potestate carere, quum non sint Synodi defensores; certa, & determinata esse ipsorum munera, quorum exercitio nullum illatum fuit impedimentum: Mirum idcirco esse, ipsos sese præbuisse accusatores in iis, quæ ad proprium officium non pertinebant: Iisque accedere, Cleri Procuratorem solemniter declarasse, nolle contra eosdem Parochos ullam habere quæstionem.

Immerito, deinde inquiunt, Parochos delatos fuisse reos tentati tumultus: hujus nec ullam intervenisse speciem: habitum dumtaxat fuisse colloquium cum Parochis Diœcesis super exorbitantia pœnarum, & super recursu adversus eas instituendo: privatim illud tentum fuisse in Ecclesia Sancti Joannis Baptistæ, in quam utrique Parochi casu convenerunt, nec in eodem colloquio quidquam vel murmuris, vel turbarum accidisse.

Addunt, magis perperam allatam fuisse in medium assertam injuriam, quæ depromi contenditur vel ex modo, quo exhibita fuit protestatio, vel ex verbis in eadem insertis. Ad modum enim quod attinet, respondent, ipsos uti debuisse opera publici Bajuli tum ob culpam Procuratoris Cleri, qui noluit scripto confiteri illius receptionem, tum propter mandatum Episcopi, qui Fiscali jusserat, ne per alias manus, quam per illas Bajuli quicquam reciperet.

Ad verba autem in protestatione adhibita replicant, nullum in eo legi, quod injuriam, vel contumeliam præseferat, totam immo protestationem summum profiteri obsequium, & venerationem erga Episcopum; Contumeliosam non esse expressionem, quod Constitutiones Synodales nimium saperent rigorem, & pœnas indicerent, quæ non approbantur a Doctoribus, & a Sac. Canonibus, ac Congregationibus. Ejusmodi enim generis esse, putant, pœnas illas, de quibus in eorum libellis specialiter disserunt. Pro oblatis idcirco precibus ad illarum moderationem obtinendam, sustinent, dignos non esse, ut plectantur: Nec facessere declarationem nonnullorum, qui Sanctiones editas ratas habere velle profitentur; Nam quum agatur de coæquali plurium interesse, nonnullorum consensus reliquis non nocet: Cæterum se non de ipsis Constitutionibus esse conquestos, pœnas tantum reformandas postulasse.

Hinc concludunt, quod exulante ab ipsis admissione cujusvis culpę, nullam quoque pęnam subire teneantur. Non horrere eos spiritualia exercitia, nisi qua pœna sunt, bonum nomen deturpans; æquum idcirco non esse, ut innocui exponan-

nantur periculo eam perdendi venerationem, quam ex plurium testimonio assequuti sunt, & opprobrium evadant Subditorum, ac ad ministerium suum cum fructu exercendum fiant minus idonei. Agi nunc de causa Populorum; summopere expedire, bonam Pastoris existimationem conservari incolumem, ne Parochiani debitum ei obsequium imminuant, fiantque inobedientes. Episcopi demum valdè interesse, ut utiles habeat ad munus suum Coadjutores.

Contra inquiunt Officiales Synodi, Decretum Ordinarii sollicitam promereri exequutionem, quo levissima pœna ob patratos excessus imposita fuit. Expediens fuisse, ut ea infligeretur, ne peccantes insordescant in malo, aliosque in proprium trahant exemplum: Eo magis, quod agitur de injuria publicè a Subditis illata Antistiti, ac in Synodali actione commissa, & propterea non dissimulanda, vel silentio prætereunda. Meritò hinc imperatam fuisse recollectionem spiritualem in vim etiam facultatum ab hac Sacra Congregatione delegatarum.

Et revera, ajunt, Parochos judicio postulatos peccasse primùm ante Synodi celebrationem, quum concitare sategerint Diœcesanos Parochos falso prætextu, quod Constitutiones essent asperæ, & difficiles, pœnisque pècuniariis redundantes, quodque Parochi omnes urbani illis adversari statuissent: Tumultuariam insuper in Ecclesia S. Joannis Baptistæ Parochorum convocationem attentasse, quæ est omninò improbanda. Peccasse deindè tunc quando Synodus erat coacta; nam usurpato nunc nomine Cleri, nunc omnium Parochorum ausi sunt genericam protestationem per manus publici Bajuli insinuare: Officiosissimè autem moniti, ut capita patefacerent, quorum optabant moderationem, inciviliter adhuc eamdem renovarunt genericam protestationem. Peccasse denique post Synodum jam absolutam, excitando per Epistolas nonnullos Parochos Diœcesanos, ut Socii fierent in recursu adversus Synodum. Claram hinc esse Adversariorum culpam, quum totis viribus turbas excitare, Synodi celebrationem præpedire, eidemque, ac Officialibus injuriam inferre curaverint.

Nec excusationem sibi posse conciliare, ex quo permissum sit adversus Synodicas Sanctiones reclamare. Hoc & ipsos admittere; improbare autem, quod pessumdata fuerit methodus a San. Mem. Benedicto XIV. tradita ad tumultus præcavendos, & ad exponendas per Procuratorem Cleri rationes, cur aliqua in Synodo comprehensa, moderanda, & in melius immutanda viderentur. Nec deferendum testibus ad invidiam tumultus declinandam expiscatis, quum attestationem a semetipsis extensam subscribi obtinuerint a Clericis ætate, menteque imbecillibus, a Regularibus Synodalium gestorum inscius, a Consanguineis,

vel

vel adhærentibus Ecclesiasticis, vel demum ex improviso aggressis; sanioribus, ac rei consciis reluctantibus. Nullam idcircò illis fidem adhibendam, cum eis præsertim resistant facta inconcussè adhuc permanentia, quæ in discrimen adduci non possunt.

Tandem ridiculam, inquiunt, exceptionem, quod Rei citati non fuerint, nec congruus terminus eis assignatus ad exhibendas defensiones. Advertunt enim, rem non institutam fuisse vera criminali inquisitione, & servata forma judicii, sed extrajudicialiter, & œconomicè. Dum autem sic agitur, dubium non esse, quin procedi potuerit absque citatione, eo vel magis, quod pœna salutaris tantùm, non pecuniaria, aut corporalis imposita fuit; quo casu firmiter opinantur, non debuisse Ordinarium judicialem formam servare.

Posse Episcopos leges ferre, quibus Presbyteri etiam inviti, ac reluctantes cogantur obtemperare, multis auctoritatibus comprobatur, præsertim *SS. Justini Apolog.* 1., *Dyonisii Corinthiorum Antistis lib.* 4. *Hist. cap.* 23., *Irenæi*, *Cypriani*, *Hieronymi*, *aliorumque Ecclesiæ Patrum*. Hinc pluries Sac. hæc Congregatio rescripsit, posse Episcopum Constitutiones edere in Diœcesana Synodo, absque consensu, & approbatione Cleri, *ut in Oriolen.* 17. *Maii* 1599., *in Algaren.* 12. *Januarii* 1595., *&* 27. *Aprilis* 1592. *in responsione ad Patriarcham Venetiarum*.

Licitum est nihilominus adversus Synodales Sanctiones reclamare. Appellatio enim in devolutivo facile admittitur, ut docet *San. Mem. Benedict. XIV. lib.* 13. *de Synod. Diœces. cap.* 5. Quare Sac. Congregatio Episcoporum, & Regularium *in Fundana* 4. *Decembris* 1592. optavit, ut antequam usu reciperentur Constitutiones in Synodo latæ, Capitulo, aliisque interesse habentibus ostenderentur, eisque duorum Mensium præfigeretur terminus, ut si gravatos se agnoscerent, ad ipsum Episcopum, vel Sedem Apostolicam recurrendi facultas esset.

Immò nec quisquam prohibetur legum ferendarum petere moderationem in ipsa Synodi celebratione. Præcavendum tamen benè est, ne tumultus aliquis excitetur. Quare San. Mem. Benedictus XIV. in laudato opere *lib.* 4. *cap.* 1. *num.* 4. hanc methodum statuit: *Ad evitandas turbas, & præcavendos tumultus, qui certè fierent, si singulis de Clero venia daretur reclamandi adversus Decreta, quæ in Synodo promulgantur, solet Episcopus aliquem constituere totius Cleri Procuratorem, qui omnium nomine, ea tamen, qua decet, modestia, & reverentia, dicat in Synodo, quæ Clero displicent, quæque ex iis, quæ aut statuta, aut statuenda sunt, difficiliora, & aspera videantur; simulque modum suggerat, quo illa emolliri Clerus optaret: Omnia porrò, quæ nomine Cleri petierit, scripta tradat Synodi Secretario. Gavantus cap.* 25.

Hinc,

Hinc, quum Episcopus Senogalliensis pœnitentiam publicam vellet imponere duobus Presbyteris Curatis, eo quia in Synodo reclamaverant adversus illius decreta, quæ Parochis imperabant, ut munia Parochialia per se ipsos adimplerent, & alta voce protulerant hæc verba: *Tu quoque prædicare teneris, & non prædicas*; Sacra Congregatio Episcoporum 20., & 27. *Martii Anni* 1692., proposita causa, & Episcopo informante, eidem injunxit, ut petita per eos venia, & imposita pœnitentia salutari, illos reciperet privatim.

Hic venit in discrimen, num Parochi, de quibus agitur modestiæ limites fuerint prætergressi vel protestationem exarando, vèl per manus Bajuli eam mittendo. Deindè an turbas eos excitasse dicendum sit, quum Socios habere curaverint Parochos Diœcesis in recursu, quem instituere deliberaverant.

Inspiciendum præterea, an cautè, rectèque se gesserint carpendo generatim Synodales Constitutiones. Præfatus enim Summus Pontifex *in eodem opere lib.* 13. *cap.* 5. hæc habet: *Quamquam porrò a Synodalibus Statutis de jure admitti possit appellatio in devolutivo, hæc tamen ipsa a prudenti Superiore non est statim, atque ad cujuslibet querelam admittenda, ne Episcopi deterreantur a suis cogendis Synodis timore litium, quas postea subire cogantur ob malè feriatorum hominum adversus Synodales Constitutiones querimonias, & frivolas appellationes. Quare ad hæc præcavenda incommoda, cum appellatio interponitur ad Sac. Congregationem Concilii, satius erit, ut ejusdem Secretarius appellantes compellat ad designandas singulas Constitutiones, contra quas reclamant, eosque simul adigat ad momenta rationum exponenda, propter quas eas irrationabiles, nimium graves, & onerosas, aliove vitio contendunt infectas.*

Quare EE. VV. erit jurisprudentia definire.

An Decretum pœnale Episcopi Asculani sit exequendum in casu &c.

Die

Die Sabbathi 8. Augusti 1767. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

EX Causis, quæ conscriptæ jam fuerant tum in folio diei 20. Junii, tum in altero diei 11. Julii vertentis anni, tres in priori, aliæ duæ in postremo folio relatę resolutionem adhuc expectant. Grave itaque non sit EE.VV. folium utrumque resumere, ac controversias, quæ in illis proponuntur, perspectissima ipsorum jurisprudentia, ac doctrina dirimere.

IMOLEN. SUBSIDII DOTALIS.

Sess. 25. cap. 13. de Reform. *An sustineatur nominatio Mariæ Dominicæ Cæsari ad Subsidium Dotale relictum a bon. mem. Canonico Carolo Silva, seu potius saltem ex gratia idem concedendum sit Annæ Villæ, in casu &c.*

Negative ad primam partem, & amplius; & quoad secundam ad mentem.

FAVENTINA.

Sess. 22. cap. 5. & 6. de Reform. I. *An gratia incorporationis prædii Capellaniæ, de qua agitur, sustineatur, in casu &c.*; & quatenus affirmative

II. *An competat reintegratio, & debeatur fructuum restitutio, in casu &c.*

Ad I. Dilata, & conficiatur Processus, auditis omnibus interesse habentibus, juxta instructionem; Ad II. Dilata.

ÆSINA CAPELLANIÆ.

An sit standum, vel recedendum a decisis, in casu &c.

Sess. 25. cap. 9., & sess. 21. cap. 7. de Reform.

Non proposita, cum reliquis.

NEAPOLITANA MATRIMONII.

An sit standum, vel recedendum a decisis, in casu &c.

Sess. [illegible] cap. [illegible] de Reform. Matrimon.

ASCULANA.

An Decretum pœnale Episcopi Asculani sit exequendum, in casu &c.

Sess. 24. cap. 2. de Reform.

FANEN. COLLEGII STUDIORUM. Extat in Civitate Fani Collegium sumptibus Nobilium Virorum Guidi, & Vincentii de Nolphis erectum, quod Universitatis privilegio nunc est decoratum. Pro recto illius regimine Vincentius alter ex Fundatoribus nonnulla condidit Statuta, quibus præcepit inter alia, ut duodecim Fanenses Juvenes in eo alerentur, ex iisque octo Juri Civili, & Canonico, reliqui quatuor Medicinæ studerent, quotidianas audiendo lectiones, & cætera peragendo exercitia, quæ a Lectoribus proponerentur.

Sess. 23. cap. 18. de Reform.

Perpetuos Collegii Superiores designavit Episcopum, & Rectorem Congregationis S. Philippi Nerii, una cum seniori Doctore Consilii Civitatis Fani. His præ cæteris impertitus fuit facultatem conducendi Legum, ac Medicinæ Professores; *E di sopraintendere a quanto bisognerà sempre per il buon governo di quello, ed osservanza degli Ordini presenti, dando loro alle predette cose ogni facoltà opportuna, e necessaria in forma amplissima: E perchè non si possono prevedere da chi che sia prudenza umana tutti i casi contingibili, quelli, che succederanno per il tempo, e non vi sia alcuna determinazione ne' presenti Ordini, si lasciano alla libera disposizione de' Superiori, affinchè colla loro circospetta providenza, determinino quel tanto, che giudicheranno espediente, dando loro amplissima facoltà di poter aggiungere a presenti Ordini, altri a loro beneplacito, che stimeranno opportuni per il retto, e buon governo, e per il mantenimento del Collegio.*

Collegii erectionem specialiter confirmavit san. mem. Clemens X.,

mens X., atque omnimoda illius dispositio hactenus stetit penes delectos Superiores, cum libera electione, & remotione Lectorum, suppressione Cathedrarum, ac præfinitione stipendiorum. Cum autem temporis progressu contrahere necesse fuerit nonnihil æris alieni, deliberaverant primum Collegii Rectores ad biennium intermittere Alumnorum manutentionem: at sanior deinde visa est sententia hodierni Rmi Episcopi, ut retentis Alumnis imminueretur numerus, & stipendia Lectorum. Hac quippe methodo suggessit Rmus Episcopus Fundatorum voluntatem servari, & excessum expensarum tolli facile posse.

Exequutioni hujusmodi temperamenti contradictores sese exhibuerunt nonnulli Universitatis Professores, habito ad hanc Sacram Congregationem recursu: Auditoque pro more Episcopo, placuit rem totam dividere in quatuor dubia ad calcem transcripta.

Ad primum ajunt Lectores, morem esse in aliis Universitatibus, ut stipendium in dies Professoribus augeatur; dum maximè res est de Lectoribus, qui exercitio muneris ad plures annos protracti, aptiores ad docendum evaserint. Ab æquitate idcirò recedere consilium imminuendi salaria. Arbitrium in erectione concessum de Lectoribus cum congruo stipendio providendis, jam fuisse per electiones de ipsis factas consumptum. Stipendii resecationem repugnare literæ Fundationis præcipientis assignationem congruam. Stipendium initio constitutum tenue esse, atque impar conditioni personarum, inter quas numeratur Hieronymus Borgogelli, qui a Fundatoribus inter alios dicitur contemplatus: Ubi autem conveniens haberetur quantitas hactenus præstita, subdunt, non posse nunc ad incongruitatem reduci.

Nec attendendam esse facultatem amplissimam Superioribus concessam, quia hæc ad Leges novas condendas data sit, non ad destruendam stipendii congruitatem; maximè quia hoc in damnum Universitatis, & Studiorum rediret. Negotium nec etiam facessere ejusdem Collegii inopiam, vel quia non subsistat, quod & ipsi Superiores facto suo declararunt, vel quia ei causam dedissent expensæ non necessariæ, vel demum quia aliis modis possint averti, non admittendo contra mentem Fundatorum Juvenes Diœcesanos, atque exteros civilitati Diœcesis aggregatos, aut suppressis Cathedris illis, quarum non habetur mentio in erectione.

Præmittunt ad II., se pro Cathedris tantum utriusque Juris decertare. Dicunt, illam *Ordinariæ* præscriptam fuisse a Fundatore, agnitam in precibus Summo Pontifici ad obtinendum Universitatis privilegium porrectis, repetitam in Diplomate ab Imperatore Carolo VI. Collegii favore concesso, enunciatam denique haberi in unione Parochialis Eccle-

clesiæ S. Andreæ. Conjici ex Statutis Collegii, ac Bulla erectionis, Fundatoris mentem eam fuisse, ut præter Cathedram Institutionum esset & illa, quæ Ordinaria nuncupatur. Attendendam ideo non esse postremam Reverendissimi Episcopi relationem pro se ipso, uti Superiore conscriptam. Agnovisse & ipsum, ejusdem Cathedræ originem Collegii institutioni fore coævam; necessum proindè esse, ut Superiores prædecessores conformem Fundatoris voluntati eam comperernt. Erroneam asserunt Antistitis opinionem, quod in forensi magis palæstra, & Curialium consuetudine addiscatur, quæ in ea traditur ars: Nec verum esse, Scholam hanc ut plurimum carere Auditoribus; & si fortè id accideret, inquiunt, Superioribus, non autem Cathedræ inutilitati, vel vitio Lectoris, id esse referendum.

Ad III. advertunt pro Institutionibus Civilibus, & Canonicis sufficientem haberi non posse Lectorem unum, præsertim cum hactenus fuerint duo. In precibus Summo Pontifici porrectis ad obtinendam prærogativam Universitatis expositum fuisse, quatuor in ea futuros esse primarios Lectores, superaddita Philosophiæ Cathedra. In privilegio Imperiali enunciatum fuisse, quinque sustentari Lectores ex ejusdem reditibus. Et demum unionem Parochialis S. Andreæ concessam ea lege, ut Sextus Moralis Theologiæ Lector adderetur. Ex his inferunt imminui non posse numerum Doctorum utriusque Juris. Subdentes deputationem unius tantum pro utraque facultate Magistri, Studentium profectui obesse.

Contendunt ad IV., Fundatores voluisse, ne Lectores removerentur ad nutum, & sine causa; hoc ex Statutis Fundationis, & ex Bulla erectionis depromi. Nec obstare amplissimas Superioribus tributas facultates, cum respiciant Statutorum exequutionem, bonumque Collegii regimen, non remotionem Lectorum, legibus Fundationis contrariam; remotionem sine causa utilitati Collegii, & Studentium adversari. Non insuper officere clausulam in literis patentibus apponi solitam = *Ad annum, & deinde, & interim arbitrio nostro* = cum per eam haud præservetur effrene arbitrium dimittendi absque causa Professores; non quidem decurrente anno conductionis, & ideo nec etiam eo elapso, nam ex orationis continuitate idem sit de duobus hisce casibus ferendum judicium. Arbitrium insuper ibi simpliciter datum de eo intelligi, quod juri conforme sit, & ex causa exerceatur. Nil demum obesse, sed magis favere unicum a die Fundationis exemplum remotionis Canonici Lotrecchi, eo quia causa tunc legitima intervenerit, quam debuerunt Superiores comprobare coram Sacra Congregatione Episcoporum. Quin imò aliis sine causa remotis annuisse eamdem Sac. Congregationem, & Sum-

mum quoque Pontificem, ut in exercitio Cathedræ manerent: Observantiam proinde sibi favere.

Contra ad I. Superiores contendunt, facultatem sibi inesse Lectoribus minuendi salarium, tum ex Fundatoris voluntate, tum ex observantia, quia diversimodè fuerit etiam Adversariis præstitum, ac integrè olim suspensum, tum ex necessitate, cum alia non occurrat ratio, qua consulatur indigentiis Collegii, cujus reditus ab expensis superantur. Non enim diminui posse, quæ in Fundatione præscripta sunt de Alumnorum numero, & manutentione; nec istos cogi proprias redire Domos, dum vacationes recurrunt; nam id Testatoris voluntati, juri Collegialibus quæsito, rectæque eorumdem educationi a Fundatoribus potissimum optatæ, foret adversum. Urgere idcircò necessitatem resecandi Lectorum stipendia. Nec vetitum id esse ob jam eis constitutam majorem quantitatem, quia ad annum sunt conducti, & cum tacita conditione similibus actibus inhærente, *rebus*, scilicet, *sic stantibus*. His ergo immutatis licere reductionem mercedis excessivæ, & a Testatore non præscriptæ. Tandem in facultate Adversariorum esse officium dimittere.

Contendunt ad II., exceptis Cathedris Institutionum Civilium, Canonicarum, & Medicinæ, nec non Theologiæ moralis, reliquas proprio arbitratu supprimi posse. Dicunt ipsorum arbitrio erectionem earum adscribendam, suppressionem ideo eorum pariter arbitrio relinquendam: Hanc facultatem ex verbis Fundationis, & erectionis Collegii manare. Cathedram Ordinariæ inutilem esse: Eam non Alumnos, sed paucos tantum exteros adire, quorum nulla habenda ratio, cum Collegium pro Alumnorum commodo sit institutum. Potissimum verò, quia instructiones in illa traditæ utilius in forensi palæstra, & Curialium consuetudine addiscantur.

Ad III. inquiunt, Testatorem, qui Adolescentium, non Professorum utilitatem respexit, de istorum numero non fuisse sollicitum. Non prohiberi propterea Superiores, quominus Cathedras unire valeant, quum eorum arbitrio commiserint Testatores quidquid expressè non præscripserunt. Non repugnare, ut una, eademque Persona utramque Institutionum Juris occupet Cathedram. Hanc plurium Universitatum esse praxim, exemplumque adesse in ipsomet, de quo agitur, Collegio.

Demum advertunt ad IV., potestatem sibi inhærere a Fundatoribus concessam Lectores conducendi; hanc præseferre temporaneam deputationem; semper consuevisse illos ad annum assumere, deindeque ad arbitrium, cum deceat officia sæcularia annalia esse; ita cum Adversariis actum fuisse; integrum ergo sibi esse quolibet anno vel eosdem confirmare, vel alios deputare. Nil officere, quod in

Bul-

bulla erectionis haud tribuatur facultas amovendi ad libitum Lectores, cum tacitè ea veniat sub amplissimo eis collato Collegii regimine: Liberum sibi non esse Lectores dimittere durante anno conductionis; eo tamen elapso per contractus resolutionem locum cedendum esse iis, quos Superiores elegerint. Coeterum Adversarios hanc potestatem admisisse, deputationem tali modo factam acceptando.

Arbitrii verbum in formula conductionis prolatum, de eo intelligi, quod liberum est; non posse idcircò contra se ipsos detorqueri: Eo vel maximè, quod sicuti valent Lectores officium transacto anno dimittere, ita licere debeat Superioribus illos amovere. Frustra ad consuetudinem aliarum Universitatum recurri: Amotionum exempla non deesse in hoc ipso Collegio, illam præsertim Canonici Lotrecchi a Sacra Congregatione Episcoporum confirmatam, mediante rescripto = *Novam electionem sustineri* = Ea occasione Superiores facultatem amovendi sibi inhærentem palam fecisse; hanc observantiam ambiguitatem tollere, si unquàm verbis Fundationis, vel literis patentibus inesset. Injuriam non irrogari, si elapso conductionis anno, confirmatio denegetur, maximè stante consuetudine liberè amovendi Capellanos, aliosque, & præsertim Medicos, & Chirurgos ad annum conductos.

Jam a retroactis temporibus mos invaluit in Ecclesia, ut præter Collegia Episcopalia, vel Seminaria, pro Clericis, aut ad Clerum assumendis sub Episcoporum regimine erudiendis instituta, excitarentur etiam suprema auctoritate publicæ Scholæ, in quibus omnes artes, & scientiæ traderentur, & quibusvis Adolescentibus ipsæ paterent. Hæc sunt, quæ paulatim Universitates, ideft Scholæ universales dici cœperunt. Frequenti harum institutione, quod amiserat Ecclesia ex prioris Disciplinæ alteratione circa Clericorum Collegia, cum usura recuperavit. Ad eas enim, quasi ad emporia Studiorum, undique concursum est, iisque doctrina Christiana etiam perfectius, diligentius, & splendidius, quam in Seminariis tradita est, ut refert *Morin. de Sac. Ordin. part.* 3. *exerc.* 13. *cap. unic. num.* 14. Quum ergo ex iisdem Universitatibus & magna utilitas, & honor accresceret Ecclesiæ, ut testatur *Parisiense Concilium* nono sæculo celebratum; in iis promovendis Synodorum Patres adeo solliciti extiterunt, ut & Episcoporum studium circa illas intepescens excitaverit *Synodus III. Valentina*, & ad eas vel restituendas, vel ex integro instituendas Principes exorandos censuerint *Concilia Parisiense*, & *Tullense*. Demum & ipsi Imperatores strenuè incubuerunt, ut quammaximè florerent, quemadmodum ex gestis *Caroli Magni*, & *Caroli Calvi* cognosci potest.

Ve-

Verùm, ne scientia tantummodo, sed & optimis moribus, & disciplinis Juventus informaretur, erecta fuerunt in ipsis Academiis specialia Collegia, ad quæ cum quodam delectu admitterentur Juvenes, & sub speciali Magistrorum cura bonis moribus imbuendi committerentur. Ex his itaque sequitur Collegia hujusmodi licitis, legitimisque Societatibus annumerari, quando Superiorum auctoritate sint constituta; non enim privato arbitrio erigi valent *L. 3. de Coll.*, *& Corp. illic.* Leges ergò pro eorum regimine condi possunt, ac Statuta præscribi, ut tradunt communiter *DD. in Leg. Omnes Populi ff. de justit. & jur.*, factaque est Fundatoribus potestas ordinandi, quæ ipsis placuerint, cum æquum visum fuerit, ut ipsis res suas in bonum publicum conferentibus arbitrium esset, leges, quas voluerint, adjiciendi, *Leg. in tradit. ff. de pact.* Quæ si honestæ fuerint, bonisque moribus non adversantes adamussim servandæ, sarctæque tuendæ videntur.

Hinc cum in præsenti quæstione ampla sit concessa facultas Collegii Superioribus tum in Capitulis a Vincentio de Nolphis exaratis, tum in Bulla erectionis, statuendi quidquid ad rectam administrationem, & conservationem Collegii ejusdem expediret, expendendum est, an ipsis libertas etiam data censeatur Lectorum numerum minuendi: Insuper an iisdem liceat utrumque Jus uni Magistro docendum committere, in iis potissimum circumstantiis, in quibus Collegium reperitur.

Hæc de Lectorum numero. De eorum verò honorariis, ea fuit in bene moratis Rebuspublicis prima cura Scholarum, ut essent Magistri, qui liberales artes docerent, publico illis stipendio constituto; de quo si dicendum est aliquid, abs re non videtur, si dicatur, decere quammaximè, ut Studiorum Professoribus salaria non vulgaria assignentur, ut traditur in *Leg. unic. Cod. de Stud. liber.*, *Leg. Medicos §. fin. Cod. de Profess.*, *& Med. lib. 11.*, & in more fuit, ut iis, qui in Universitatibus profiterentur, mercedes, vel a publico Principis ærario, vel Civitatum attributæ fuerint. Imo *in cap. 1. de Magistris* statutum fuit, ut per unamquamque Cathedralem Ecclesiam Magistro, qui Clericos ejusdem, & Scholares pauperes gratis instrueret, competens aliquod Beneficium præberetur, quo docentis necessitas sublevaretur, & discentibus via pateret ad doctrinam. Cur autem tanta in hoc fuerit sollicitudo, hæ causæ adduci posse videntur, quod nempè & laboribus merces debeatur, & præmium artes nutriat, & Adolescentium Doctores ad gloriosa studia commodorum augumentis sint provocandi.

Videndum igitur erit, an Alumnorum utilitati officiatur, si Lectorum imminutis stipendiis, ob istorum tenuitatem Viri idonei non inveniantur, qui laudabiliter, & cum Adi-

di-

discentium profectu munus suum adimpleant, qui velint tale onus, cum levi retributione suscipere. Quæcumque autem Superioribus inesse censeatur facultas, hæc tamen arbitrio boni Viri exercenda erectionis leges violare non potest. In ea autem potestas eisdem conceditur: *De Legum, & Medicinæ Lectoribus cum congrua stipendii arbitrio eorumdem Superiorum assignatione providendi.*

Pertinet ad EE. VV. ea, qua pollent, justitia decernere

I. *An Episcopo, aliisque Superioribus Collegii Nolphi competant facultates minuendi Lectoribus honorarium, itaut diminutio facta sit servanda, in casu &c.*

II. *An, & quæ Cathedræ Lectorum arbitrio eorumdem Episcopi, & Superiorum supprimi, & respectivè reduci possint, in casu &c.*

III. *An possint eorum arbitrio unicum deputare Lectorem Institutionum Canonicarum, & Civilium, in casu &c.*

IV. *An Episcopus, & Superiores prædicti in locum Lectorum deputatorum ad annum, possint exacto anno alios Lectores deputare, in casu &c.*

ROMANA SUBSIDIORUM DOTALIUM. Conspicuam summam scutorum 30.mil. collocatam in Locis Montium, liberaliter contulit anno 1620. Paulus Paganini in Archiconfraternitatem Sanctissimæ Annunciationis Urbis. Legem dedit, ut ex fructibus tot Subsidia dotalia scutorum 100. singulis annis traderentur pauperibus Puellis nupturis in Domino, & in earum defectu Puellis aliis nupturis in sæculo. Jus nominandi Puellas pro dimidia parte contulit in Sodales Confraternitatis, pro altera in Magdalenam proneptem nuptam Theodosio de Rubeis, & in eorum filios, hæredes, & successores tam masculos, quam fœminas in infinitum.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

Tantæ liberalitatis intuitu sæpius Summi Pontifices, ac Sacra Congregatio gratiosè se gesserunt cum Descendentibus a dicto Theodosio de Rubeis: Nam Advocatus Paulus de Rubeis Theodosii filius quinque habens filios, nempe *Magdalenam*, *Margharitam*, *Petrum*, *Josephum*, & *Philippum*, gratiam a Clemente IX. anno 1669. obtinuit, ut ex medietate fructuum in Subsidia dotalia erogandorum ad nominationem Familiæ de Rubeis, penderentur Magdalenæ, & Margharitæ suis filiabus singulis scuta 2000. in earum dotes, postea a Clemente X. adauctas ad scuta 4000.

Parem dotem scutorum 2000. ex eadem medietate præstandam obtinuerunt anno 1691. ab Alexandro VIII. singulæ quatuor filiæ Petri de Rubeis alterius ex tribus masculis dicti Advocati. Anno 1713. impertitus fuit ex iisdem

Sub-

Subsidiis dotes scutorum mille tum unicuique ex tribus filiabus Josephi, tum singulis quinque filiabus Philippi, reliquorum masculorum dicti Advocati, ut in Arbore genealogica, quæ circumfertur. Immo *Cæcilia* una ex dictis quinque filiabus Philippi anno 1722. impetravit ab Innocentio XIII., ut dos prius præfinita in scutis mille augeretur ad scuta 4000.

Prædecessorum exempla imitatus anno 1728. Benedictus XIII. dotem scutorum 2500. ex iisdem Subsidiis tradendam imperavit cuilibet ex duabus Puellis de Trullis descendentibus a prædicta Margharita prima vice ex his Subsidiis dotata. Præterea Clemens XII. anno 1731. ex fructibus in eadem Subsidia erogandis rependi mandavit memorato Philippo ad inopiam delapso mensualia scuta quinque, ac alia scuta duo pro qualibet ex quatuor aliis ejus filiabus ex secundo matrimonio susceptis.

Cumque tum hæ quatuor filiæ *Philippi*, tum duæ ejus ex Vincentio filio neptes gravi egestate laborantes, preces dederint anno 1748., & pro alimentis congruentioribus, & pro dote præstandis ex fructibus Locorum Montium munificentia Pauli Paganini in Archiconfraternitatem collatorum, sicuti tunc temporis tradendæ supererant Dotes scut. 2500. per Breve Benedicti XIII. assignatæ singulis Sororibus de Trullis, ita in Congregatione *diei* 30. *Martii* quatuor proposita fuerunt dubia = I. *An sit locus aperitioni oris adversus Breve san. mem. Benedicti XIII.*. II. *An Subsidia dotalia, quæ pro medietate distribuuntur ab Hæredibus qu. Magdalenæ Paganini, & vigore dicti Brevis Benedicti XIII. apparent assignata filiabus bon. mem. Felicis Trulli debeantur Virginibus de Rubeis*, & quatenus affirmative, III. *An in casu, quo dicta Subsidia non sufficiant pro alimentis, & dotibus dictarum Virginum de Rubeis, quæ sunt numero sex, eisdem providendum sit pro supplemento ex altera medietate eorumdem Subsidiorum, quæ distribuuntur a Venerab. Archiconfraternitate Sanctissimæ Annuntiatæ Urbis*. IV. *An dictis Virginibus assignanda sint dicta Subsidia, quæ, ut supra, distribuuntur ab eadem Archiconfraternitate, & in qua summa pro earum qualibet, in casu &c.* = rescriptumque fuit = *Ad I. & II. Negativè, & amplius. Ad III. & IV. Affirmativè juxta mentem*, & mens fuit, quod Eminentissimus Præfectus procederet ad exequutionem cum Eminentissimo Protectore. Viden. folium *diei* 10. *præcedentis Februarii*, quo latè facti series enarratur.

Submissisque novo examini resolutis ad III. & IV. dubium in Congregatione *diei* 3. *Augusti* ejusdem anni rescriptum fuit = *In decisis, & amplius, & quoad summam subministrentur alimenta in scutis tribus menstruis pro qualibet, Subsidia verò dotalia juxta earum statum, & præsentem conditionem, ita tamen ut nubentes in Domino nubant extra Urbem, & ad Eminentissimum Præfectum pro exequutione* = In cujus rescri-

pti

pti exequutionem ; sex ex iisdem Puellis in Domino nubentibus annis 1758. , 1759. , & 1762. adjudicata fuit singulis Dos scutorum 725. , cum annuo livello scutorum 10. , Gertrudi autem septimæ ex illis in sæculo nuptæ Dos scut. 700.

Nunc Julius de Rubeis filius dicti Vincentii filii Philippi , unicam habens filiam *Annam* , hujus nomine supplicat , ut ex medietate dictorum Subsidiorum dotalium eidem filiæ suæ & alimenta decentia , & dos congrua concedatur . Ad I. inquit , se , filiamque recta linea descendere a Theodosio de Rubeis ; se Patronos esse medietatis Subsidiorum dotalium ; maxima paupertate laborare ; alimenta proindè eidem Annæ indulgenda esse tum ex juris dispositione *Can. Quicumque 16. quæst.9.* , *cap. Nobis 25. de Jurepatron.* , tum ex assueta Summorum Pontificum , & Sacræ Congregationis benignitate , secundum exempla superius relata .

De quantitate verò alimentorum advertit , dimidiam partem Subsidiorum dotalium ascendere ad annua scuta 760. . Ex his nunc insumi sola scuta 100. in livellis nonnullarum Sanctimonialium Familiæ de Rubeis ; nulli alii dotem , vel alimenta præstanda esse : Deposita jam extare scuta 699. Æquitati idcircò maximè consonum esse, ut alimenta ipsius Annæ in mensualibus scutis sex a die petitionis adscribantur .

Ad II. repetit , Puellæ sanguine conjunctæ , descendenti Patronæ , ac pauperrimæ maximè decere , ut dos congrua concedatur , tum ex præsumpta Testatoris voluntate *Amostraz. de caus.piis lib.4. cap.4. num.10.* , *Rot. coram Duran. decis.98. num.4.* , *Sac. Congregatio in Nullius* , *seu Montis Casini distributionis Subsidiorum Dotalium 24. Septembris 1729* , *Panormitana Subsidiorum Dotalium 15. Januarii 1731., & 20. Augusti 1735.* , tum ex assueta in præsenti casu Summorum Pontificum , & Sac. Congregationis æquitate .

Ad Dotem quod attinet , contenta est Anna quantitate scutor. 745. pro spirituali conjugio : pro temporali verò postulat , ut præstituatur saltem in scutis 1000. , quibus commodum , & honestum virum invenire possit . Advertit enim quantitatem hanc excessivam non esse , sive inspiciatur Oratricis conditio ortum trahentis a conspicua Familia , sive ratio habeatur de quantitate Dotium aliis Puellis ex eadem descendentia datarum .

Nec obesse putat Anno 1748. Gertrudi data fuisse sola scuta 700. . Advertit enim , tunc Puellas alias eo numero plures alendas fuisse , & conspicuas Dotes scutorum 2500. Sororibus Trullis fuisse præstandas ; Nunc verò nulli alimenta præstanda , nulli Dotem solvendam esse ; hinc ex Dote tunc distributa Gertrudi ad Dotem Oratricis argui non posset .

Deputati Ven. Archiconfraternitatis annuunt Oratricis votis, *accioche possa la medesima Anna conseguire tanto gli alimenti, che in casi consimili, ed a favore delle stesse Zie dell'Oratrice sono stati assegnati nell'annua quantità di scudi 36., quanto la congrua Dote, ben inteso però, che l'uno, e l'altro si debba levare da quella metà de frutti, i quali si devono erogare in Dote a nomina de Parenti, come altre volte è seguito, e resti intatta l'altra metà de frutti, che appartengono alla Confraternita, colla solita legge però di distribuirli in tanti Sussidj Dotali.*

Eminentissimus Protector hæc habet = *Cum inter Descendentes Theodosii de Rubeis recenseatur Julius Orator, æquitati non minus, quam rationi ipsius preces consentaneæ videntur; adeo ut Sacer iste Ordo, ubi in meam veniat Sententiam aliquam annuam quantitatem ex fructibus dimidiæ partis dotalitii Paganini ad Successores respectu juris nominandi spectantis statuere possit, ex qua tum diurna alimenta, tum dos congrua Annæ de Rubeis præstari possit, urgentibus præsertim in id exemplis supplici libello indigitatis: Et quemadmodum alias pro alimentis annua quantitas sc. 36., pro dote autem quantitas scut. 700. pro nuptiis carnalibus, pro spiritualibus verò scut. 745. præscripta fuit, ita Orator contentus esse deberet, quoties ab exemplis in hac parte minime recederetur. Porrò sententia hæc mea quidem est, estque Sodalium.*

Exempla de dote, ac alimentis præstitis descendentibus a Theodosio de Rubeis jam superius relata sunt, ac habentur in folio diei 10. Februarii 1748.

Circa quantitatem dotis, & alimentorum decernendam, perpendi potest, quod licet anno 1748. alimentorum quantitas in solis menstruis scutis tribus, dotis verò temporalis in scutis 700. decreta fuerit, præ oculis adhuc habendum, quod præstanda tunc erant alimenta quatuor filiabus *Philippi*, ac aliis duabus filiabus *Vincentii*, quod tunc itidem his omnibus singulis erat præstanda dos, quodque demum tunc solvendæ supererant dotes scut. 2500. pro qualibet ex Sororibus Trulli; modò autem unica est Oratrix, quæ alimenta petat, & dotem.

Assueta itaque æquitate dijudicent EE. PP.

I. *An, & in qua summa, & a quo tempore sint præstanda alimenta in casu &c.*

II. *An, & in qua summa sint constituendæ dotes in casu &c.*

Sess. 7. de Reformat. cap. 8.

FIRMANA. Ad occurrendum indigentiis Fabricæ Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum notissimam edidit S.M. Benedictus XIII. Constitutionem de mediis annatis incipien = Pius misericors = 11. *Maji* 1725. Ab hujus Constitutionis interpretatione pendet præsentis Causæ definitio; Quæritur enim, an sub ejus dispositione comprehendatur Sacerdotalis Capellania amovibilis sub invocatione Divi Antonii erecta in Ecclesia S. Patritii prope mœ-

Con-

nia Terræ Campi Feudoni Firmanæ Archidiœcesis, quam nunc Jo: Franciscus Egidius possidet. Præstat autem de eadem Capellania sequentia prænarrare.

Jannottus Gualterius Archiepiscopus Firmanus qua hæres, & executor voluntatis Sacripantis Pancalli anno 1683. certis assignatis bonis illam erexit, ea lege, *ut esset de jurepatronatus descendentium Masculorum in infinitum quondam Georgii Egidii de Monte Florum habitan. in Castro Campi Feudoni ad nutum nostrum donec vixerimus, & supradictorum descendentium, ut supra nominatorum, amovibilem*, cum onere duarum Missarum in qualibet hebdomada, & in primum Capellanum non amovibilem, sed perpetuum elegit Clericum Lucam Egidii filium dicti Georgii: post hujus vero obitum voluit eligi; *Antiquiorem Sacerdotem de dictis descendentibus quondam Georgii, quatenus adsint plures Sacerdotes: quatenus vero non adsint, eligatur qui sit Sacerdos de dicta descendentia, & quatenus non adsit Sacerdos, eligatur Clericus, qui promoveri possit ad Sacerdotium intra annum, & quatenus non adsit Clericus, qui promoveri possit ad Sacerdotium intra annum, tunc eligatur per supradictos descendentes, quem voluerint*: omniaque demum sua auctoritate confirmavit, ac Capellaniam jurisdictioni, & visitationi Archiepiscoporum pro tempore submisit, injuncto etiam annuo Canone unius libræ ceræ albæ a Capellano eisdem pro tempore Archiepiscopis tradendo.

Contendit Capitulum Metropolitanæ Firmanæ, Capellaniam hanc subjici legi præstationis mediæ annatæ: Ait eam habere peculiarem dotem, proprium titulum, suum Altare, certum onus Missarum, jurisdictioni, & visitationi Archiepiscopi subesse: ideoque esse vere Ecclasiasticam *Rota in Papien. Beneficii* 28. *Januarii* 1754. *§.* 5. *coram Borull.*, etiamsi amovibilis sit, quia nihilominus potestate, habitu, seu aptitudine perpetua est; hoc autem sufficere ad indolem, seu essentiam Capellaniæ Ecclesiasticæ, & Beneficii, *Barbos. Jur. Eccles. lib.* 3. *cap.* 4. *par.* 2. *num.* 70., *Lar. de anniv., & Capell. lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 8., *Azor. Oper. Moral. to.* 2. *lib.* 3. *cap.* 26. *quæst.* 12.

Infert hinc, dictam Capellaniam venire nomine Beneficiorum *Joan. de Selv. de Benef. par.* 1. *quæst.* 3. *num.* 10., *Barbos. de Jur. Eccles. lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 63., *& Piton. de controv. Patr. alleg.* 21. *num.* 9., ut subjiciatur præstationi dimidiorum fructuum erga fabricam Ecclesiæ Metropolitanæ, quos Benedictus XIII. præstari jussit ex omnibus Beneficiis Parochialibus, residentialibus, & mere simplicibus, etiam jurispatronatus sive mixti, sive laicalis; nullo habito discrimine, an beneficia perpetua, vel manualia essent, *Andreas Pitigli tract. de med. annat. benef., & Capell. §.* 6. *num.* 135. *ad* 141.

Advertit insuper, hodiernum Capellaniæ possessorem esse anti-

antiquiorem Sacerdotem ex descendentibus a Georgio Egidii: Fundatorem voluisse, antiquiorem ex his descendentibus Sacerdotem semper præferri: non subesse proinde hodiernum Capellanum arbitrariæ remotioni: hac animadversione magis confirmari perpetuitatis aptitudinem, & in præsentiarum ex qualitate hodierni Capellani in nullo pretio habendam esse amovibilitatis conditionem.

Occurrensque Capellani exceptionibus tuetur, Fabricæ reditum nuncupat. *operariam* non esse patrimonium pro Fabricæ conservatione, ac reparationibus institutum: in alias Ecclesiæ necessitates, seu solemnia erogari, nempe in Sacra Supellectilia, Organa, Campanas, Ministros, aliaque hujuscemodi: Compertum id fieri ex subsequuta post Concilium Romanum observantia: In tota Archidiœcesi semper exactam fuisse post illud mediam annatam; ab anno 1728. ad præsens ex mediis annatis in Fabricæ restaurationem erogata fuisse scuta *3356.*; debuisse prædecessorem Archiepiscopum Borgia sua pietate conferre scuta 1414. ad supplendas Fabricæ indigentias: apertum ideo reddi deesse peculiare Fabricæ patrimonium, quo ejusdem necessitatibus consuli possit.

Addit quoque Operariæ reditus vix ascendere ad annua scuta 130.; hæc vero nequidem a longe paria esse ad necessariam Fabricæ manutentionem. Nam advertit, Ecclesiam esse amplissimam, & non satis apposite constructam in eminentioris Civitatis parte: hinc injuria aeris, ventorum, & pluviarum gratia subire damna: muros fatiscentes esse: Trabes fornicis vetustate, & humiditate corruptas: hyemali tempore, cum pluit, vel ningit, aquas, nivemque in Ecclesiam undique effluere: picturas, aliaque Ecclesiæ ornamenta miserrime corrumpi: Ejusmodi proinde esse statum Ecclesiæ, ut ex litera Benedictinæ Constitutionis præstanda necessario sit media annata, prout revera usque nunc absque querela in tota Archidiœcesi præstita fuit.

Contra inquit Capellanus, duo ex Benedictina Constitutione requiri, ut præstationi mediæ annatæ sit locus: alterum, quod res sit de Beneficio: alterum vero, quod Ecclesia Cathedralis reditibus pro Fabrica sit destituta: utrumque autem in casu deesse: Primum plane, quum res sit de Capellania nulla Ordinarii auctoritate erecta; nam Jannottus Gualterius eam fundavit non tanquam Archiepiscopus Firmanus, sed tanquam persona privata; unde nuncupari beneficium non posse *Amostaz. de Caus. piis lib.3. cap.2. num.9.*, *Garzias de benef. par.1. cap.2. num.95.* Agi præterea de Capellania mere manuali, & ad nutum Patronorum amovibili: id autem omnino repugnare naturæ, & essentiæ Beneficii, & nonnisi improprie, & abusive beneficium esse, *Barbos. de Off., & potest. Episc. lib. 3. cap.5. num.15.* Nullo proinde modo nomine beneficii venire,

re, præsertim in re odiosa, & a juris dispositione exorbitante *Lotter. de re benef. lib.* 1. *quæst.* 7. *num.* 11.

Deesse quoque secundum, quum Fabrica Ecclesiæ Cathedralis suos habeat peculiares reditus: Nam anno 1574. eidem Fabricæ applicati fuerunt a san. mem. Sixto V. reditus alterius Ecclesiæ S. Joannis Terræ Montis Rubiani, itemque pars redituum alterius Ecclesiæ S. Petri in territorio Serviliani. Constat rursus, anno 1712., & 1723. Fabricam Ecclesiæ Cathedralis possedisse LL. 5. Montium, & tres Census, alterum in sorte scut. 200., aliosque duos in sorte scut: 100.; suos semper habuisse Fabricæ Præfectos, & quidem numero plures: suos libros introitus, & exitus; abunde idcirco provisam esse;, nec subsidio mediæ annatæ egere.

Demum advertit, Statutum Firmanum curam, & operam Fabricæ Ecclesiæ committere Civitati: eidem jus eligendi Syndacos, & Præfectos Fabricæ addicere: onus his injungere debitores Fabricæ ad solutionem compellendi, non secus, ac si essent debitores Communitatis, & libros introitus, & exitus retinendi: ita revera usque nunc semper servatum fuisse: Deducit hinc probari Patronatum Civitatis, & ejusdem obligationem reparandi, & conservandi Ecclesiam, & consequenter ex litera Benedictinæ Constitutionis locum haud esse præstationi mediæ annatæ.

Verba Benedictinæ Constitutionis hæc sunt: *Mandamus per totam Italiam, & Insulas adjacentes, ut in posterum provisi de Parochialibus una cum incertis annuum reditum scut.* 100. *monetæ excedentibus, & de Canonicatibus, & Beneficiis tam residentialibus, quam non residentialibus sitis extra Ecclesias Collegiatas cujuscunque valoris existant, teneantur solvere, & respective deponere mediam annatam pro Fabrica Ecclesiæ Cathedralis &c., sive beneficia prædicta liberæ collationis, sive Jurispatronatus mixti, & etiam laicalis fuerint, & ad quemcunque electio, collatio, institutio, & provisio pertineat, sive nimirum ad Metropolitanum, vel Ordinarium, sive ad Capitulum, sive ad alium quemcunque inferiorem, dummodo collationis, institutionis, & provisionis S. Sedis minime existant, aut etiam legitima non vigeret consuetudo solvendi, vel dimittendi fructus sex Mensium, aut similem, non tamen minorem ratam favore Fabricæ, vel Sacristiæ; utroque enim in casu pro Fabrica prædicta nihil solvendum, aut deponendum erit.*

Volumus autem, quod huic nostræ Constitutioni, seu solutioni mediæ annatæ prædictæ minime subjecta existant beneficia illarum Diœcesum, & respective Collegiatarum, in quibus reperitur opus, seu peculiare patrimonium Fabricæ sufficienter instructum; aut onus, seu obligatio reparandi, restaurandi, & conservandi Ecclesias residet penes Communitates Locorum, vel adsunt dictarum Ecclesiarum Patroni, qui nisi reparare, & manutenere velint easdem Ecclesias, earum patronatum amittere debent; quum enim

enim in his satis consultum sit reparationi, & conservationi Ecclesiarum, nolumus aliud superaddere Beneficiatis impendium, quod vergeret in sublevamen eorum, qui de jure tenentur.

De præstatione dimidiorum fructuum erga Ecclesiam Beneventanam egit san. mem. Benedictus XIII. tum in Constitutione incipien. = *Romanus Pontifex IX. Kal. Aprilis* 1724. qua præcedentem Pii II. Constitutionem innovavit, & confirmavit; tum etiam in posteriori Concilio Romano *tit.* 27. Ad facilius itaque intelligendum, qua mente idem Supremus Pontifex eamdem præstationem imperaverit in generali pro Italia, & Insulis adjacentibus Constitutione, referre præstat, quid in dictis aliis dispositionibus edixerit.

In Constitutione incipien. = *Romanus Pontifex* = hæc habet: *Alias siquidem fel. rec. Pius Papa II. Prædecessor noster per quamdam ejus Constitutionem ab eo editam favore Ecclesiæ, & Civitatis Beneventanæ sub datum Mantuæ anno* 1459. *nonis Septembris inter cætera statuit, disposuit, & decrevit, quod omnes primi medii fructus Beneficiorum Ecclesiasticorum pro tempore vacantium Ecclesiæ Beneventanæ [cujus adhuc Archiepiscopus existimus] qui a pro tempore existente Archiepiscopo Beneventano percipiebantur, in reparationem, fabricam, & augmentationem dictæ Ecclesiæ Beneventanæ, juxta ejusdem pro tempore existentis Archiepiscopi, ac unius ejusdem Ecclesiæ Benaventanæ Canonici arbitrium converti debeant. Nos considerantes, præfatam Pii Prædecessoris Constitutionem commodum, utilitatem, & incrementum præfatæ Ecclesiæ Beneventanæ summopere concernere, motu proprio tenore præsentium perpetuo confirmamus, & approbamus.*

In Synodo vero Romana *tit.* 27. hæc habentur: *Quum alias vel Apostolico privilegio, vel consuetudine, vel statuto induci possit, ut fructus quorumcumque Beneficiorum primi anni, immo & duorum, vel plurium ad quinquennium usque Ecclesiarum fabricis reserventur; singulis Italiæ, Insularumque adjacentium Episcopis concedimus [nostræ prout Ecclesiæ Beneventanæ concessit Pius II. & Cathedralem Nolanam in antiqua sua esse consuetudine novimus] ut scilicet in quibuslibet Ecclesiasticis Beneficiis, ab eis, aliisque inferioribus conferendis, dimidios primi anni cujusdam Beneficii fructus sibi respective reservent.*

Plures igitur sese offerunt in hac Causa inspectiones: Perpendendum primum, an amovibilitatis arbitrium Patronis concessum extendatur ad Sacerdotes descendentes a Georgio, & inter eos ad antiquiorem. Joannes Egidii hodiernus Capellanus ab eodem Georgio descendit, neque constat alios ex eadem descendentia adesse Sacerdotes.

Deinde quum mediæ annatæ præstatio locum non habeat, ubi *reperitur Opus, seu peculiare Patrimonium Fabricæ sufficienter instructum*, perpendendum secundo, an Fabrica Ecclesiæ Metropolitanæ hoc peculiari patrimonio fruatur, & num ejus reditus, qui incerti, & voluntarii ex maxima par-

parte afferuntur, ita indigentiæ ipsius Fabricæ consulant, ut ipsa subsidio mediorum fructuum non indigeat.

Postremo quum tunc quoque cesset media annata, quando obligatio reparandi Ecclesias *residet penes Communitates Locorum, vel adsunt dd. Ecclesiarum Patroni*, tertio erit perpendendum, an hic, ubi Firmana Civitas non est in Causa, nec ad eam vocatus est Promotor Curiæ Archiepiscopalis, ratio possit haberi vel de illius Patronatu, vel de reparandi obligatione, vel magis expediat, rem ex prioribus inspectionibus definire.

Dijudicabunt itaque EE. VV.

An debeantur Ecclesiæ Cathedrali fructus dimidii anni, in casu &c.

VITERBIEN. LEGATI. Joannes Baptista Serneri in suo, quod condidit Anno 1691., Testamento, electa sibi Sepultura in nova Ecclesia PP. Capuccinorum Viterbii Patriæ suæ, & eorum novæ fabricæ relictis scutis 100., aliisque scriptis Legatis, hæredem universalem instituit Vener. Confraternitatem, & Confratres Sanctissimi Crucifixi erectam in Ecclesia S. Ægidii Viterbien., ea tamen lege, ut, retentis in sui utilitatem annuis scutis decem, reliqui suæ hæreditatis fructus in certa Opera pia erogarentur. *Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

Præ cæteris autem jussit, ut teneretur = *quolibet anno in perpetuum in festo S. Crucis de mense Maii maritare, vel monachare tot puellas Virgines bonæ, & honestæ qualitatis, & famæ secundum modum, formam, & quantitatem declarandam per infrascriptos suos Executores, mandans ipse Testator, quod non excedant summam scutorum vigintiquinque pro qualibet Dote: Item cum onere, & obligatione subministrandi de omnibus necessariis Ecclesiæ, & Sacristiæ novæ Ecclesiæ Patrum Capuccinorum de Viterbio tam in præsenti, quam infuturum, gravando ipsos hæredes, in quantum fieri potest inquirendi de necessariis in ipsa Ecclesia, & Sacristia, & sine alia mora, & interpretatione illa omnia exequendi, & expendendi: Item cum onere, & obligatione in perpetuum quolibet anno celebrari facere pro anima ipsius Testatoris, suorumque prædecessorum quatuor Anniversaria cum decem Missis parvis, & una Cantata in designatis Ecclesiis* =. Ac demum in suæ voluntatis Executores elegit D. Mutium Bussium suum Cognatum, & alium, seu alios nominandos ab eodem D. Mutio suo arbitrio, & voluntate.

Hæreditas hæc modo in censibus, modo in Locis Montium investita grave inde passa est decrementum; Anno enim 1710., præter quædam stabilia annui reditus scutorum 27. circiter, apud eam non alia supererant, quam Loca Montium 77.. Eo autem anno redimere cupiens Sodalitium onus, seu curam providendi Sacrarium PP. Capuccinorum de omnibus necessariis, habitis Sodalium Comitiis, ducto calcu-

lo

loque annuorum sumptuum in eam rem tempore præterito factorum statuit imposterum quolibet anno exhibere scuta 20. pro utensilibus Ecclesiæ, & Sacrarii, libras 196. Ceræ pro Missis, aliisque ordinariis, & extraordinariis Sacris functionibus, mensuras 24. olei pro lampade, & cados 4. Vini pro Missis, una cum libris septem thuris, & styracis.

Verum quum Anno 1742. bon. mem. Innicus Caraccioli tanquam Sedis Apostolicæ delegatus, liberata hæreditate *dalla distribuzione di quattro Doti*, *che ogni anno dispensa a sorte*, ab ea detraxerit tot Loca Montium reddentia scuta centum, eaque applicaverit Hospitali Expositorum infantium Viterbii; hinc Sodalitium modo conqueritur tam grave hæreditatis decrementum totum verti in damnum Subsidiorum dotalium, petitque, ut pro rata imminutorum fructuum æque imminuatur annua præstatio Sacrario PP. Capuccinorum, vel saltem huic aliquid detrahatur puellis Viterbiensibus addicendum.

Inquit Sodalitium, hæreditatem Serneri tempore obitus Testatoris annua reddidisse scuta 411. 75., inde etiam crevisse ad annua scuta 440., modo vero propter varias Locorum Montium suppressiones, & horum fructuum reductionem, & ob applicationem annuorum scut. 100. favore Hospitalis, solum reddere annua scuta 146. Imminutis propterea hæreditatis fructibus, omnia legata æque minuenda esse, *Leg. Si quis testamento §. Apud Julianum ff. de legat.*, *Leg. Querebantur ff. ad Leg. Falcid.*, etiamsi res sit de Legatis piis *Amostaz. de Caus. piis lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 35., *Olea de cess. jur. tit.* 4. *quæst.* 5. *num.* 19., *Ciarlin. controv.* 166. *n.* 18. *tom.* 2., *Rot. cor. Molines decis.* 450. *num.* 1.

Ab æquitate idcirco abesse, ut totum hæreditatis decrementum cedat damno Subsidiorum dotalium, sed decere maxime, ut illius incommodum æque sentiat Sacrarium Capuccinorum. Non amplius proinde ferendum esse, integros hæreditatis fructus in commodum Sacrarii absumi, puellasque Viterbienses omni dotali Subsidio privari, quas Testator primario respexit, & quarum utilitas bonum publicum respicit, maximoque favore donanda est, *Amostaz. de Caus. piis in spec. cap.* 7. *num.* 1.

Advertit insuper Conventum Patrum Capuccinorum recenter, ipsoque Testatore vivente fuisse extructum: exiguum tunc Religiosorum numerum habuisse, & satisque tunc fuisse præstationem scut. 11. pro omnibus Sacrario necessariis: nunc vero Religiosorum numerum immoderate crevisse, ac annuam requiri præstationem scutor. 90. circiter: Probabile autem non esse, Testatorem de tanto Conventus incremento cogitasse, ac prænoscere simul valuisse tantam hæreditatis imminutionem: Locum esse proinde arbitrio decernendi annuam præstationem juxta

sta-

statum necessitatis Sacrarii, quæ vigebat tempore obitus Testatoris, *Rot. in Camerinen. annuæ præstationis 30. Januarii 1741. §.14. cor. clar. mem. Card. Calcagnino*.

Spernendam demum esse conventionem Anni 1710. utpote destitutam beneplacito Apostolico, quod in omnibus Ecclesiarum, & Confraternitatum Ecclesiasticarum contractibus requiritur, *Guttierez quæst. Can. lib.1. cap.35. num.33.*, *Sperel. decis.155. num. 3.*, *Panimol. decis. 12. num. 33.*, *Rot. coram Bichio decis. 502. num. 2.*, etiamsi contractus inter duas Ecclesias, vel Loca pia ineatur, *Ferrar. Bibliotb. verbo Confraternitas art.6. num.2.*, *& Sac. Congreg. in Terracinen. Capellaniarum. 20. Augusti* 1701.

Contra inquit Syndicus Patrum Cappuccinorum, Testatorem Sodalitio onus injunxisse providendi *de omnibus necessariis Ecclesiæ, & Sacristiæ Patrum Cappuccinorum de Viterbio tam in præsenti, quam in futurum*: hanc expressam voluntatem omnia necessaria comprehendere, nihilque excludere; de omnibus proinde necessariis subministrationem esse decernendam, *Rot. coram Cerro decis. 178. num. 13.*, *& coram Caprara decis.577. num.27.*

Frustra vero recurri ad redituum diminutionem, & subsidiorum Dotalium decrementum; Nam contendit in primis, annuos reditus nunc ascendere ad sc.219.; annua onera non excedere scuta 110.; satis proinde etiam provisum esse dotalibus Subsidiis. Expendit deinde, Legatum erga Sacrarium Patrum Cappuccinorum certum, & determinatum esse de omnibus necessariis: Legatum vero Subsidiorum dotalium ex residuis fructibus relictum fuisse: in jure autem certum haberi, hæreditatis diminutionem non Operibus piis certis, & determinatis, sed reliquis generice, & indeterminate imperatis cedere debere, *Costan. de rat. quæst. 163. num.2.*, *Rot. cor. Molines decis.450. num.8.*, *& 9.*

Præterea advertit, Visitatorem Apostolicum Anno 1742. applicasse annua scuta 100. Hospitali infantium expositorum *liberandola dalla distribuzione di quattro Doti, che ogn'anno dispensa a sorte*: immerito hinc Sodalitium conqueri, si ob redituum decrementum imminuta fuerunt dotalia subsidia, magisque perperam contendi, ut quod expresse ablatum est ex Subsidiis dotalibus damno cedat legati favore Sacrarii Patrum Cappuccinorum relicti.

Concludit proinde nihil auferri posse e Sacrario Patrum Cappuccinorum, quorum Ecclesiam Testator summo studio, ac favore prosequutus fuit, ubi Sepulturam elegit, & ubi Anniversaria in animæ suæ suffragium præstituit. Instat idcirco vel ad formam Testamenti sibi provideri de omnibus necessariis, vel saltem servari oportere conventionem Anni 1710. jam per sexaginta fere annos observatam. Negat demum conventam annuam præstationem excessivam esse; expresseque declarat, nihil sua interesse, an ad formam

Testamenti, vel conventionis anni 1710. annuæ præstationis decernatur traditio.

De Legatis relictis Fratribus Minoribus de Observantia Sancti Francisci decrevit *Sac. Congregatio Fabricæ S. Petri die* 14. *Februarii* 1633. approbante San. Mem. Urbano VIII. quod = *non extinguantur, nec reducantur per compositionem, sed illorum Capitalia, seu sors principalis, vel proprietas absque alia diminutione conservetur semper, & perpetuo ad effectum, ut in usus Romano Pontifici pro tempore existenti benevisos possint applicari, ita tamen ut quamdiu applicationem specialem auctoritate Apostolica fieri non contigerit, hæredes, vel debitores possint libere, si velint, dictis Fratribus dare dicta annua legata per eosdem Fratres recipienda in eleemosynam, non autem per eos exigenda. Probibuit tamen eadem Sac. Congregatio Fratribus supradictis sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, ne audeant, seu præsumant, nec quilibet eorum audeat, seu præsumat per se, nec per alios Syndicos, Ministros, seu Procuratores tam Sæculares, quam Regulares dictas annuas præstationes, seu legata nec judicialiter, nec coram quocunque Judice tàm Ecclesiastico, quam Sæculari Ordinario, vel delegato, nec alias, nisi juxta formam Decreti Congregationis Fratrum Minorum de Observantia S. Francisci Cismontanæ familiæ a SSmo D. N. deputatæ, ab hæredibus, seu quibusvis aliis eorum debitoribus petere.*

Verum idem Urbanus VIII. Anno 1637. die 27. Julii de Legatis, de quibus *per Romanum Pontificem aliter non esset dispositum, nec ejus auctoritate in alios usus jam applicatis*, & in posterum faciendis, ad sedandas animorum perturbationes temperandum rigorem duxit, eosque ad reditus legatorum per modum eleemosynæ recipiendos admisit: = *tenere posse annua, & perpetua legata, vel certos annuos reditus, aut proventus annuos, & perpetuos præfatæ puritati Regulæ consentaneos per modum eleemosynæ, aut pretii, seu mercedis vice, pro Spirituali dictorum Fratrum labore recipiendos, nempe pro Missarum solemnium, privatarumque Sacrificiis, aliisque divinorum Officiorum oneribus, secundum pias Benefactorum seu virorum, aut defunctorum intentiones institutis, sive pro fabricis, & reparationibus Ecclesiarum, sive pro studiis Sacræ Theologiæ, & bonarum disciplinarum, nec non aliis Conventuum utilitatibus, sive pro prædictis omnibus causis, aut aliqua illarum divisim, vel conjunctim, jamdiu prædictos reditus, aut proventus fundatos, & constitutos, vel fundandos, & constituendos super ejusmodi bonis, cujusque naturæ sint.* =

Hinc factum est, ut Judicis Officio nunc hæredes, qui onus habent legatorum, ea per modum eleemosynæ a Fratribus accipienda, præstare cogantur. Idem de legato pro Victu, & Vestitu rescripsit *Sac. Congregatio Boni Regim. die* 12. *Augusti* 1651., 26. *Aprilis* 1678., & 10. *Maji* 1692., de Legato ferculi *Sac. hæc Congregatio in Æsina Legati* 4.
Maji

Maji 1697.; & de oleo, & cera pro usu Sacrarii *in Faventina Legatorum* 2. *Maji* 1697., qua proposito; *An Monasterium teneatur subministrare singulis annis dictas libras* 100. *Olei*, *&* *libras* 25. *albæ Ceræ pro usu Ecclesiæ Cappuccinorum*, rescripsit, *Affirmative*.

Perpendendum ideo, quanti momenti sit conventio Anni 1710.; Licet enim beneplacito Apostolico munita non sit, duo tamen advertenda sunt; alterum, quod res est de conventione inter duo loca Religiosa per sexaginta fere annos servata; Viden. *Rota post Monacell. form. Eccl. tom.*2. *decis.*36. *num.*5.; alterum vero, quod per eamdem conventionem tantummodo generica obligatio ad certam speciem sub eodem genere contentam redacta est. Viden. *Rota in Romana Oblationum* 22. *Januarii* 1725. §. 12., *& seq. coram Calcagnino*.

Quæritur.

An, & quomodo, & in qua quantitate debeatur Legatum Sacrario, & Ecclesiæ PP. Cappuccinorum Viterbii relictum in casu &c.

Die Sabbathi 29. Augusti 1767. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

SApientissimo EE. VV. judicio subjiciuntur septem Causæ, quæ in præteritis Congregationibus resolvi non potuerunt. Earum status transcriptus fuit in foliis dierum 20. Junii, 11. Julii, & 8. currentis mensis, quibus resumptis dignabuntur propositis dubiis respondere.

Sess. 25. cap. 9., & sess. 21. cap. 3. de Reform.

ÆSINA CAPELLANIÆ.
An sit standum, vel recedendum a decisis.

In decisis, & amplius.

Sess. 24. cap. 1. de Reform. Matrimon.

NEAPOLITANA MATRIMONII.
An sit standum, vel recedendum a decisis, in casu &c.

In decisis, & amplius.

Sess. 24. cap. 2. de Reform.

ASCULANA.
An Decretum pœnale Episcopi Asculani sit exequendum, in casu &c.

Ad mentem, Mens est, quod suspenso Decreto pœnali, una simul, & publicè petant veniam ab Episcopo.

FA-

FANEN. COLLEGII STUDIORUM.

Sess. 23. cap. 18. de Reform.

I. *An Episcopo, aliisque Superioribus Collegii Nolphi competant facultates minuendi Lectoribus honorarium, itaut diminutio facta sit servanda, in casu &c.*

II. *An, & quae Cathedrae Lectorum arbitrio eorumdem Episcopi, & Superiorum supprimi, & respective reduci possint, in casu &c.*

III. *An possint eorum arbitrio unicum deputare Lectorem Institutionum Canonicarum, & Civilium, in casu &c.*

IV. *An Episcopus, & Superiores praedicti in locum Lectorum deputatorum ad annum possint exacto anno alios Lectores deputare, in casu &c.*

Ad I. Affirmative ad primam partem, & amplius; in reliquis iterum proponatur. Ad II. Affirmative, exceptis Cathedris Institutionum utriusque Juris, Ordinariae, Medicinae, & Theologiae Moralis, & amplius. Ad III. Esse locum in casu, & amplius. Ad IV. Affirmative, & amplius, & ad Mentem. Mens est, quod Recurrentes non amoveantur, inconsulta Sacra Congregatione.

ROMANA SUBSIDIORUM DOTALIUM.

Sess. 22. cap. 6. de Reformat.

I. *An, & in qua summa, & a quo tempore sint praestanda alimenta in casu &c.*

II. *An, & in qua summa sint constituendae dotes, in casu &c.*

Ad I. Affirmative a die petitionis in mensualibus scutis quinque. Ad II. Affirmative juxta votum Emi Protectoris.

FIRMANA.

Sess. 7. de Reformat. cap. 8.

An debeantur Ecclesiae Cathedrali fructus dimidii anni, in casu &c.

Non proposita, cum sequentibus.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

VITERBIEN. LEGATI.

An, & quomodo, & in qua quantitate debeatur Legatum Sacrario, & Ecclesiæ P.P. Cappuccinorum Viterbii relictum, in casu &c.

Sess. 24. cap. 3. de Reform.

ANDRIEN. Quæ iterato EE. PP. examini in hac Causa subjiciuntur, quum omnia proficiscantur ab iis, quæ definita sunt circa quæstiones principales *diebus* 10. *Februarii* 1759., 26. *Novembris* 1763., *ac* 12. *Maji* 1764., præstat summatim hic referre, quod licet Capitulum Ecclesiæ Cathedralis Andriæ renunciatum fuerit Parochus unicus, eademque Ecclesia unica Parochialis totius Civitatis, & Territorii; contra vero Collegiata Ecclesia S. Nicolai declarata extiterit mera Coadjutrix in administratione Sacramentorum, contextualiter nihilominus responsum fuit, non posse eamdem Ecclesiam Cathedralem totam exercere Curam etiam quoad totalem Sacramentorum administrationem ex se, & in exclusionem Ecclesiæ S. Nicolai; immo locum esse divisioni quoad exercitium Curæ Animarum.

Tanta Collitigantibus ipsis visa fuit æquitas harum resolutionum, ut eas ratas, acceptasque habere non dubitaverint. Admota proinde manu decretæ materiali divisioni, peracta hæc fuit per designationem certarum Urbis Andriæ Regionum, intra quarum fines unaquæque Ecclesia exercere imposterum deberet Animarum Curam: Quumque mandatum præterea fuerit, ut alia interim subscriberentur dubia, quibus de formali divisione quæreretur, placuit Collitigantibus in hic transcriptis convenire: I. *An electio unius, vel plurium Vicariorum pro exercitio Administrationis Sacramentorum in ambitu Ecclesiæ S. Nicolai Coadjutricis sit facienda a Capitulo Ecclesiæ Cathedralis unico Parocho habituali, & ad ejus nutum, in casu &c.* II. *An in associationibus Cadaverum defunctorum in ambitu dictæ Ecclesiæ S. Nicolai, & tumulandorum in quavis Ecclesia sive Saeculari, sive Regulari ejusdem ambitus, interveniente tamen Capitulo Cathedralis, munus Parochi expleri debeat a Vicario dictæ Ecclesiæ S. Nicolai, seu potius a Vicario Capituli Cathedralis, in casu &c.* III. *An, & a quo jus Parochiale sit exercendum in funeribus Cadaverum defunctorum in ambitu Cathedralis, & tumulandorum in dicta Ecclesia S. Nicolai, aut in ambitu ejusdem Ecclesiæ, & tumulandorum in quavis Ecclesia ambitus Cathedralis, in casu &c.* IV. *An, & cui competat dictum exercitium Parochiale; quando Cadavera levanda ex ambitu dictæ Ecclesiæ S. Nicolai sepelienda sint in aliqua ex Ecclesiis filiabus Cathedralis, in casu &c.* V. *An Canonicis, sive Presbyteris, aut Clericis adscriptis servitio Cathedralis, & habitantibus in ambitu dictæ Ecclesiæ Sancti*

cti Nicolai in casu infirmitatis Sacramenta sint ministranda a Vicario Cathedralis, seu potius a Vicario dictæ Ecclesiæ S. Nicolai, in casu &c. VI. *An iisdem decedentibus absque electione Sepulturæ, nec alibi eam habentibus, sepeliri debeant in Ecclesia Cathedrali, in casu &c.* VII. *An Presbyteris, seu Clericis adscriptis servitio dictæ Ecclesiæ S. Nicolai, & habitantibus in ambitu Ecclesiæ Cathedralis in casu infirmitatis Sacramenta sint administranda a Vicario dictæ Ecclesiæ S. Nicolai, seu potius a Vicario Cathedralis, in casu &c.* VIII. *An, iisdem decedentibus absque electione Sepulturæ, nec alibi eam habentibus, sepeliri debeant in dicta Ecclesia S. Nicolai, in casu &c.* IX. *An decedentes in ambitu dictæ Ecclesiæ S. Nicolai ab intestato, aut cum testamento, nulla facta electione Sepulturæ, nec illam gentilitiam habentes in dicta Ecclesia, sepeliri debeant privative in Ecclesia Cathedrali, uti unica Parochiali, in casu &c.* X. *An in associationibus Cadaverum defunctorum in ambitu dictæ Ecclesiæ S. Nicolai, & tumulandorum in eadem Ecclesia, vel in in alia, præter Cathedralem, & ejus Ecclesias filiales, minime interveniente Capitulo Cathedralis, Vicarius dictæ Ecclesiæ S. Nicolai teneatur levare Crucem Parochialem a Cathedrali, seu potius possit uti propria Cruce, in casu &c.* XI. *An Capitulo Cathedralis debeatur quarta funeralis pro omnibus tumulationibus faciendis a d. Ecclesia S. Nicolai, in casu &c.* XII. *An dicta Ecclesia S. Nicolai teneatur contribuere Caballos sexdecim pro singulo Cadavere tumulando in ipsa Ecclesia, in casu &c.* XIII. *An in omnibus processionibus etiam solemnibus, & funebribus explendis a Presbyteris dictæ Ecclesiæ S. Nicolai intra, aut extra proprium ambitum levanda sit Crux Parochialis a Cathedrali, seu potius uti possit propria Cruce, in casu &c.* XIV. *An pro dd. processionibus petenda, & obtinenda sit licentia non tantum ab Episcopo, sed etiam a Capitulo unico Parocho, in casu &c.* XV. *An in pagellis distribuendis ad probationem adimplementi præcepti Paschalis in dicta Ecclesia Sancti Nicolai, ultra titulum dictæ Ecclesiæ Sancti Nicolai, addi debeat alter Coadjutricis Cathedralis cum subscriptione Archipresbyteri, in casu &c.* XVI. *An, & a quo recolligi debeant dd. pagellæ, in casu &c.* XVII. *An Vicarius, sive Vicarii d. Ecclesiæ S. Nicolai quolibet anno adferre debeant Reverendissimo Archipresbytero Vicario Capituli Cathedralis notulam eorum, qui Paschale præceptum non adimpleverint, in casu &c.* XVIII. *An solus Reverendissimus Archipresbyter certiorare debeat Confessariis illos, quibus justis de causis Sacramenta non sint administranda, in casu &c.* XIX. *An soli Archipresbytero competat licentiam dare invalidis, aut aliàs legitimè impeditis adimplendi præcepto Paschali in alia Ecclesia præter Cathedralem, & Coadjutricem, in casu &c.* XX. *An degentibus in districtu dictæ Ecclesiæ S. Nicolai liceat adimplere præcepto Paschali in Ecclesia Cathedrali unica Parochiali, in casu &c.* XXI. *An, & cui jus competat concedendi licentiam aliis Sacerdotibus conjun-*

gendi in matrimonium, & administrandi Sacramentum Baptismi sive in Ecclesia Cathedrali, sive in dicta alia S. Nicolai, sive in quacunque alia Civitatis Andriæ, & sui Territorii, in casu &c. XXII. *An in sola Ecclesia Cathedrali unica Parochiali publicari debeant Excommunicationes, litteræ monitoriales pro rebus deperditis, nec non denunciationes occasione Matrimoniorum contrahendorum, & Clericorum promovendorum, in casu &c.* XXIII. *An in fine cujuslibet anni Vicarius, seu Vicarii d.Ecclesiæ S. Nicolai adferre debeant ad Archivium Ecclesiæ Cathedralis quinque libros Parochiales, in quibus baptizati, confirmati, in matrimonium conjuncti, mortui, ac status animarum fuerint descripti, in casu &c.* XXIV. *An jus administrandi Sacramenta habitatoribus extra mœnia Civitatis Andriæ competat Capitulo Ecclesiæ Cathedralis unicæ Parochialis totius Civitatis, & Territorii, in casu &c.* XXV. *An, & quomodo sit providendum super partitione emolumentorum provenientium ab exercitio Curæ Animarum, in casu &c.*

Proposita hæc Dubia fuerunt prima vice in Congregatione diei 20.*Decembris superioris anni*. Tunc tamen dilationem petente Ecclesia Collegiata rescriptum fuit = *Dilata ad sequentem* =. Et quia designatæ non adhuc fuerant Territorii partes, quæ alterutri Ecclesiæ in futurum subesse debèrent, injunctum fuit, ut daretur dubium ita conceptum: *An, & qui habitantes extra mœnia Civitatis pertineant ad Ecclesiam Cathedralem, vel ad Ecclesiam S.Nicolai.*

Hoc itaque Dubium singulare primario, cœtera deinde jam antea oblata judicium Sac.Congregationis subiverunt die 24. Januarii vertentis anni; ac silentibus Presbyteris Sancti Nicolai, ad Dubium singulare responsum fuit = *Tertiam partem Domorum extra mœnia, & in eis habitantes pertinere ad Ecclesiam S. Nicolai; Reliquas vero duas tertias partes ad Cathedralem, & scribatur Episcopo Tranen. juxta instructionem* = Ad cœtera vero edita sunt sequentia Rescripta. Ad I. *Negative*. Ad 2. *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam*. Ad 3. *Jus ducendi funus spectare ad Ecclesiam tumulantem cum associatione Vicarii alterius Ecclesiæ*. Ad 4. *Quoad Ecclesias in ambitu Cathedralis provisum in tertio*. Ad 5. *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam*. Ad 6. *In Cathedrali, si in ea adsit Sepulchrum proprium, sin minus in Sepulchro Majorum, alias in Ecclesia S. Nicolai*. Ad 7. *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam*. Ad 8. *Ut in sexto*. Ad 9. *Negative*. Ad 10. *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam*. Ad 11. *Audiatur Episcopus*. Ad 12. *Affirmative*. Ad 13. *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam*. Ad 14. *Affirmative in omnibus quoad Processiones extra ambitum*. Ad 15. *Affirmative absque subscriptione Archipresbyteri*. Ad 16. *A Vicario S. Nicolai*. Ad 17. *Negative*. Ad 18. *Negative*. Ad 19. *Competere unicuique intra proprium ambitum*. Ad 20. *Affirmative*, Ad 21.

Com-

Competere unicuomue Vicario respective de licentia Episcopi. Ad 22. *Affirmative iq quoad excommunicationes, & litteras monitoriales, arbitrio Episcopi, in reliquis in utraque Ecclesia respective*. Ad 23. *Servetur solitum*. Ad 24. *Provisum in dubio addito*. Ad 25. *Audiatur Episcopus*.

Elargito utrique Ecclesiæ novæ audientiæ beneficio, Causa hodie reproponitur tam super resolutis, quam super reservatis, circa quæ jura sua deducit quoque Reverendissimus Episcopus. Quumque in allegationibus utriusque Ecclesiæ disputatio de dubio singulari protracta fuerit ad dubium in ordine 24., studio idcirco inserviendi faciliori illius puncti decisioni præstat ordinem a Partibus tentum hic etiam sectari.

Ad primum itaque conqueritur Capitulum Cathedralis de negata sibi potestate deputandi Vicarios exercituros Curam Animarum in Ecclesia S. Nicolai. Repetit enim, illam inesse cuique Parocho habituali ex Sacris Canonibus, Synodo Tridentina, & Constitutione Piana: Sibi autem competere etiam ex stipulatione anni 1328., quo Presbyteros S. Nicolai admisit ad exercitium Curæ Animarum per totam Civitatem, ad tempus sibi bene visum, & cum facultate amovendi ad libitum: ita fuisse ab initio statutam Curæ administrationem amovibilem ad libitum Cathedralis.

Erroneum esse, quod usque tunc translata fuerit Cura actualis in Ecclesiam Collegiatam, quo nomine ea prætendit posse jure proprio deputare sibi Vicarium, qui Curam exerceat: replicat enim, nullibi constare, quod Ecclesia S. Nicolai tunc esset Collegiata: deinde absurdum in jure esse, ut Cura actualis translata dicatur in Collegiatam, quæ veluti corpus intellectuale non potest Curam exercere per se ipsam: Præterea ubi etiam ita fingeretur, nihil adhuc id prodesse posse Collegiatæ, quia de jure habenti Curam actualem fas non est alteri mandare munus sibi commissum.

Contrarium vero defendi non posse ob Vicariorum deputationes peractas anno 1634. tam a Capitularibus Cathedralis, quam ab illis Collegiatæ, quum imperatæ fuerint per modum provisionis ab hac Sacra Congregatione, donec absolveretur controversia inter utrosque Capitulares exorta super Cura Animarum, quam Collegiata sibi adscribere nitebatur a Capitulo independentem. Quare quod provisionaliter tunc temporis servatum fuit, quo in lite erat, an Ecclesia S. Nicolai esset vera Parochialis, exemplo esse non posse hodie, quo definitum jam est, solam Cathedralem esse Parochialem; potissimum quia compromissis eodem anno controversiis judicio Episcopi Franceschini, cum ex hujus laudo Parochialitas adjudicata fuerit Ecclesiæ Cathedrali, dictæ deputationes provisionales brevem durationem habuerunt.

Hinc infertur, nec Collegiatam deputare posse proprio nomine Vicarium pro exercenda Cura animarum, & neque permittendum esse ejus Presbyteris, ut Curam exerceant per se ipsos vel alternatim, vel hebdomadatim, vel per turnum; quum Ecclesiasticæ disciplinæ repugnet, Curam animarum vagari in singulos ex Collegio, vel ex Capitulo, neque id sinere consueverit Sacra hæc Congregatio, quæ perpetuo jussit, ut Curæ exercitio Persona certa præponatur, deputanda ab eo, qui Curam habet habitualem.

Ex his Capitulum sibi addicendum sperat jus deputandi Vicarium. At præterea putat, eum esse debere amovibilem. Advertit enim, Ecclesiam S. Nicolai numquam fuisse Parochialem, neque esse unitam Cathedrali, sed in adjutorium administrationis Sacramentorum adscitam fuisse ab ipsa Cathedrali. Hinc infert, nulla lege caveri, ut hujus generis Ecclesiæ præficiatur Vicarius perpetuus, sed magis ex jure esse, ut ibi ad administrationem Sacramentorum deputetur simplex Vicarius amovibilis ex causa ab Episcopo approbanda, ut semper constet, Ecclesiam non esse Parochialem, & nomine Parochi ibi administrari Sacramenta.

Secus ac contingit, cum res est de Ecclesia, quæ quum antea fuerit Parochialis, postea uniatur vel Capitulo, vel Collegio, vel alii Loco Pio; nam quum ista non recipiat jus administrandi Sacramenta ab Ecclesia, vel Loco Pio, cui unitur, quia ipsamet eo jure jam pollebat ante unionem, in hac utique, fatetur Capitulum, deputandum esse Vicarium perpetuum, quia unio facta potius censetur quoad temporalia, quam quoad spiritualia juxta *Cap. 30. de Præbend.*, *& Concil. Trid. Sess. 7. Cap. 7. de Reform. ubi Barbos. num. 15. 31. & 32.*, *Reclus. de re Paroch. par. prima tit. 4. n. 46.*, & de hujusmodi Ecclesiis loqui *Constit. 47. S. Pii V.*, *& Constitut. 34. S. M. Benedicti XIII.*

At quando agitur, ut hic, de simplici Ecclesia nunquam antea Parochiali, & non unita habenti Curam habitualem, si ea in adjutorium Curæ assumitur pro faciliori Sacramentorum administratione, rationem nullam esse, cur ibi deputetur Vicarius perpetuus juxta sententiam Sacræ Congregationis in *Assisten. Curæ Animarum 15. Novemb. 1709.*, *& 24. Maji 1710.*, *in Ratisbonen Vicariæ 28. Junii 1717. ad 1.*, *in alia Ratisbonen super remotione Vicarii 2. Augusti 1721.*, *& in Lunen Sarzanen Deputationis Vicarii perpetui 21. Aprilis 1742.*

Quod si ita res est inspecta juris dispositione, Capitulum subdit, eo pronius admittendum hic esse, ubi Presbyteris Sancti Nicolai non aliter facta fuit administrandi Sacramenta potestas, quam cum lege amovibilitatis. Additque, ita etiam exigere Sacræ hujus Congregationis resolutiones.

Hæ

Hæ namque quum ipsi qualitatem attribuerint *unici Parochi*, Ecclesiæ Cathedrali prærogativam *unicæ Parochialis*, & Ecclesiæ Collegiatæ titulum *meræ Coadjutricis* in administratione Sacramentorum, everterentur omnes per deputationem Vicarii perpetui, cujus officium est verum beneficium, confertur in titulum, & in omnibus, nomine tantum excepto, veræ Curæ Animarum æquiparatur.

Quin affirmari possit, mentem Sacræ Congregationis fuisse, ut Vicaria esset perpetua, eo quod Ecclesiæ Cathedrali negaverit posse totam Curam exercere per se ipsam exclusa Collegiata, & rursus distingui mandaverit partem Civitatis, in qua Curam animarum exerceret Cathedralis, ab altera, in qua eam exerceret Collegiata. Hæc enim mandasse inquit S.Congregationem, ut majori prospiceret Populi commoditati in receptione Sacramentorum; at ea non esse argumenta constitutæ in Collegiata Vicariæ perpetuæ, quia hæc formalem exigit erectionem cum lege, ut conferatur in titulum, sine quo dari non potest Vicarius perpetuus. A qua re adeo aliena fuit Sacra Congregatio, ut, præservata unicitate Parochialis Ecclesiæ Cathedrali, vix adscripserit Collegiatæ qualitatem meræ Coadjutricis in administratione Sacramentorum.

Ad II. Laudans Cathedralis responsionem ei datam, inquit, merito adjudicatam fuisse ejus Vicario prærogativam explendi munus Parochi in associatione Cadaveris, ad quam ejus Capitulum intervenit, tametsi contingat, agi de funere personæ defunctæ in ambitu Ecclesiæ S. Nicolai, & in quavis Ecclesia ejusdem ambitus tumulandæ; nam interveniente Capitulo totius Civitatis Parocho, non alter porro, quam qui ipsius Capituli repræhesentat qualitatem, gerere potest Parochi munus; præsertim quum is plerumque sit Archipresbyter Vicarius natus Capituli, & consequenter longe dignior, quam sit Vicarius, vel Sacerdos imaginem repræsentans Ecclesiæ S. Nicolai.

Prælationi autem Vicarii Cathedralis in exercitio muneris Parochi obstaculi non esse decretam materialem divisionem exercitii Curæ animarum; Nam per eam nec imminutum fuit jus Parochi, & Parochiæ, quod idem remanet, ac erat antea, penes Capitulum, & Ecclesiam Cathedralem, nec quidquam majoris prærogativæ accessit Ecclesiæ S. Nicolai, quæ etiam post dictam divisionem eadem remanet, ac antea fuerat, mera Coadjutrix in administratione Sacramentorum.

Ad III. Putat Capitulum, vagam nimium ei datam fuisse definitionem, quum per istam non fuerint distincti duo diversi casus in quæsito comprehensi, primus defuncti in ambitu Cathedralis, tumulandi tamen in Ecclesia S. Nicolai, alter defuncti in ambitu hujus Ecclesiæ, ac tumulandi in quavis Ecclesia ambitus Cathedralis.

Quoad primum casum contendit, jus Parochiale a Vicario Cathedralis esse exercendum, quia, quum agatur de ejus Parochiano, tametsi contingat, ut illius Cadaver sit sepeliendum in Ecclesia S. Nicolai, deceat adhuc, ut in ea quoque munus Parochi expleatur a Vicario Capituli Cathedralis, quia quum ipsum Capitulum sit Parochus totius Civitatis, ejus ob id officium vires suas exerere quoque debet in ipsa Ecclesia S. Nicolai.

Quo vero ad casum alterum inquit, rem minorem pati difficultatem: Nam si Cadaver defuncti in ambitu Sancti Nicolai tumulandum sit in aliqua ex Ecclesiis Regularibus Civitatis, munus Parochi non ab altero expleri poterit, quam a Vicariis Cathedralis; quia ex immemorabili consuetudine Cathedralis privativo fruitur jure associandi Cadavera in eisdem Ecclesiis tumulanda, cum privilegio eas ingrediendi cum Stola, & cum obligatione Regularium accedendi ad Cathedralem ad levandum Parochum, quæ quidem prærogativæ Cathedrali adjudicatæ dicuntur per rem ab A. C. judicatam anno 1703., & anno 1740. a Sac. Congregatione Episcoporum, & Regularium. Regularibus autem Ecclesiis exceptis, in ambitu Collegiatæ alias non esse Ecclesias, nisi filiales Cathedralis, de quibus in dubio, quod sequitur, differitur. Concludit itaque Cathedralis utrumque casum peculiarem exoptare definitionem.

Ad IV. reformari postulat editam decisionem: Sex, inquit, esse in tota Civitate Ecclesias filiales: ex his illam tantum S. Andreæ jacere in ambitu S. Nicolai: hanc carere jure funerandi, & fuisse in eodem ambitu comprehensam ad solum Populi commodum: Hinc desumit, Collegiatam non posse in ea exercere jus ullum, sed potestatem omnem ibi competere Cathedrali, si non ex eo, quod ipsa est unica Parochialis, ex prærogativa saltem, quod est Ecclesia Matrix, cujus vices gerere nequit, ut gerit illas Parochi, Vicarius S. Nicolai.

Ad V., & VI. quoque recessum petit a decisis: Ait enim, sententiam Sacræ Congregationis opinantis, Canonicos in alterius Parochiæ districtu habitantes debere Sacramenta excipere a Parocho domicilii, & in istius Parochia sepeliri, procedere in locis, ubi Parochiæ sunt distinctæ; at locum obtinere non posse in Civitate Andriæ, ubi unica est Parochia, eaque est Ecclesia Cathedralis: Hinc sequi, in quavis Civitatis parte habitantes censeri domiciliarios Parochiæ Cathedralis, & ab ista proinde excipere debere Sacramenta, ac in ea sepeliri, quum utraque res sit peculiare, & proprium jus Parochiæ.

Nec obstare, quod Ecclesia S. Nicolai sit Vicaria Coadjutrix cum recenti assignatione certi districtus ab illo Cathedralis distincti, quia Vicaria illi fuit a Cathedrali concessa

sub

sub lege, quod ei salvæ forent omnes prærogativæ: ex his unam esse ministrare ejus Capitularibus Sacramenta, & eorum Cadaveribus sepulturam: Coadjutrici idcirco non licere agere contra voluntatem Concedentis.

Ad VII. inquit, rescriptum editum, quod Presbyteris, Clericisque adscriptis Ecclesiæ Collegiatæ, & habitantibus in districtu Cathedralis Sacramenta in casu infirmitatis ministranda sint ab eadem Cathedrali, consonum esse Concilio Tridentino *sess.* 24. *cap.* 13. *de Reformat.*, Sententiæ, cum qua procedit Sacra Congregatio, communi demum Canonistarum opinioni. At reformationem poscere rescriptum editum quoad VIII., quia inquiens, *Provisum in sexto*, æquiparat casum decessus Clericorum Collegiatæ habitantium in ambitu Cathedralis cum casu decessus Canonicorum Cathedralis habitantium in ambitu Collegiatæ, de quo casu agitur in VI., maximum autem inter utrumque casum intercedere discrimen, ac propterea VIII. Dubio non aliud dari posse responsum, quam *negative*.

Nec etiam juri consonam putat Capitulum resolutionem captam super IX., cum Collegiata careat jure sepeliendi defunctos sine electione Sepulturæ, eamque non habentes gentilitiam, ex pactis conventis anno 1446. perenni observantia roboratis, & sententiis diversorum Tribunalium canonizatis; hisque accedere juris dispositionem, secundum quam Cadavera eorum, qui nec elegerunt Sepulturam, neque hanc habent propriam non alibi sepelienda sunt, quam in Parochiali, qualis non est Ecclesia Collegiata.

Ad X. Dolet Capitulum, factam fuisse Collegiatæ potestatem erigendi Crucem suam in associationibus funerum. Inquit, Vicarium Collegiatæ has agere associationes nomine Cathedralis, quæ etiam post divisum Curæ exercitium est adhuc unica in Civitate Parochialis: Ejus propterea Crucem, non propriam debere Vicarium elevare, dum gerit munus Parochiale, ut est associatio funeris, ad hoc ut agnoscatur, Vicarium gerere vices Parochialis: Quidquid aliter esse forsan possit in aliis functionibus merè Ecclesiasticis.

Sequitur nunc Dubium XI., cujus decisio dilata fuit, ut audiretur etiam Episcopus. Quæritur in eo, cui debeatur Quarta funeraria in tumulationibus faciendis in Ecclesia S. Nicolai. Contendit Capitulum Cathedralis debitam esse sibi, qua unico Parocho totius Civitatis, nitens Constitutioni san. mem. Benedicti XIII. quæ incipit *Romanus Pontifex*. Nec obesse posse prætensionem Rmi Episcopi sustinentis, ipsum semper percepisse Quartam funerum. Ait enim ab ipso probari contrarium, & Episcopum exigere dumtaxat consuevisse in funeribus recognitionem quamdam sub nomine=*Quartiglia*=consistentem in summa obulorum

rum duodecim cum dimidio pro quolibet ducato, & per errorem nuncupatam *Quartam* a Testibus Episcopi.

Contra Reverendissimus Episcopus jus sibi adscribit percipiendi Quartam funebrem ab Ecclesiis tumulantibus, primum ex immemorabili observantia, deinde ex Laudo, seu Concordia anno 1634. inter Cathedralem inita, & Collegiatam Sancti Nicolai, demum ex re judicata anno 1672. à Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium. Titulos hos ex monumentis deducit, quibus utitur ipsum Capitulum Cathedralis, aliaque plura superaddit, quæ in ejus libello EE. VV. perlegere dignabuntur. Collegiata vero favere videtur Episcopo, licet de cætero Quartam nulli deberi sustineat, ut infra adnotabitur.

Ad XII. Obligationem Collegiatæ tradendi Caballos sexdecim pro singulo Cadavere in ejus Ecclesia tumulando repetit iterum Capitulum a pactione conventa in Instrumento anni 1328., additque observantiam ad hæc usque tempora servatam.

Ad XIII. Capitulum præmittit, Ecclesiam S. Nicolai non aliam facere consuevisse Processionem, & quidem intra suum ambitum, quam illam SSmi Corporis Christi *die Lunæ infra Octavam*. Frustraneam propterea hujus Dubii disputationem. At si contingat, ut Collegiatæ fiat potestas alias ducendi, præter illam solitam, processiones, contendit non aliter hoc casu illas agere posse, quam cum elevatione Crucis Parochialis ad conservandum jus Parochialitatis Ecclesiæ Cathedralis, quod per singulas partes totius Civitatis diffunditur.

Hinc ad XIV. Subdit, non consensum solum Episcopi, sed etiam ipsius Capituli petendum esse tam pro processionibus, quas Collegiata ducere velit extra suum ambitum, quam pro illis etiam, quæ limites suos non sint egressuræ; nam ejus quoque districtus Territorium est Parochiale Cathedralis.

Ad XV. Capitulum rogans reformationem captæ resolutionis advertit, ipsum non petere, ut pagellis in Ecclesia Collegiata distribuendis ad probationem præcepti Paschalis adjiciatur subscriptio sui Archipresbyteri, uti *Vicarii*, sed uti *Dignitatis* ipsius Capituli, quo constet, apud ipsum residere curam animarum.

Ad XVI. inquit, ab Anno 1328., quo placuit in Coadjutricem assumere Ecclesiam S. Nicolai, usu fuisse receptum, ut eædem pagellæ recolligerentur ab Archipresbytero una cum Confessariis utriusque Ecclesiæ a Capitulo deputatis: A juris ideo ratione alienum esse, nunc Capitulum privari prærogativa recolligendi una cum Vicario Collegiatæ pagellas in istius Ecclesia distributas, posthabita tam diuturna consuetudine, quæ in materia præeminentiarum venerandam semper habuit auctoritatem.

Ad

Ad XVII. Non modice læsum putat Capitulum jus suum, per hoc, quod Vicarius Collegiatæ renunciatus fuerit non detentus obligatione exhibendi Archipresbytero ipsius Capituli notulam eorum, qui Præcepto Paschali non impleverint: id idem esse, ac edicere, illum omnia Curæ munia independenter a Parocho gerere posse. Quod est absurdum. Congruere magis, Capitulum unicum Parochum scire debere eos, qui reos se fecerint inadimpleti præcepti Ecclesiæ, ut illorum curet punitionem. Exaudiendam proinde urget petitionem suam, quum præsertim hactenus solus ejus Archipresbyter fuerit, qui Episcopo denunciaverit non obtemperantes eidem præcepto, ut eos censuris puniret.

Ex iis, quæ in præcedenti disseruit, consequens esse ait Capitulum, ut recedatur a responso ad XVIII., ne ejus prærogativæ vilescant. Inquit convenire tantum suæ dignitati, ut soli ejus Archipresbytero liceat certiores facere Confessarios de Personis, quibus non sint ministranda Sacramenta; hoc etiam postulare numquam interveniam in Andriensi Civitate consuetudinem.

Consequi etiam, ut corrigatur responsum ad XIX. in ea parte, qua Vicarium Collegiatæ participem facit juris dandi infirmis degentibus in ejus districtu veniam adimplendi in alia Ecclesia Præcepto Paschali, quum similis potestas soli Parocho, non alii, qui gerit ejus Vices, inveniatur indefinite concessa. Contra ad XX. optimo jure constitutum affirmat, ut degentibus in districtu Collegiatæ liceat eidem præcepto satisfacere in Ecclesia Cathedrali, quia hæc est & unica Parochialis, & præterea communis Mater.

Ad XXI. In primis displicet Capitulo rescriptum in ea parte, qua supponitur, solum Episcopum facultatem habere delegandi quosvis Sacerdotes ad conjungendum in matrimonium, & ad alia ministranda Sacramenta; Contendit enim, Concilium Tridentinum *Sess.* 14. *Cap.* 1. *de Reform.*, fecisse facultatem hanc Parochis etiam indiscriminatim communem. Deinde dolet alterius partis Collegiatam facientis comparticipem juris delegandi intra ejus limites; affirmat namque id litteræ ipsius Concilii, & simul consuetudini Civitatis adversari.

Ad XXII. Inquit, rescriptum tribuens Cathedrali potestatem publicandi Excommunicationes, & litteras Monitoriales *arbitrio Episcopi*, & quoad reliqua proclamata facultatem eamdem concedens utrique Ecclesiæ in suo respective ambitu, destruere penitus jus privativum Cathedralis, quum jus hoc apud ipsam semper steterit independens, & indivisum: Hanc consuetudinem non esse immutandam, quum sit præsertim conformis Tridentinæ Synodo *Sess.* 24. *Cap.* 1. *de Reform.*

Ad XXIII. confirmandum petit responsum. Affirmat libros pertinentes ad Curam Animarum totius Civitatis semper custoditos fuisse in Archivo Cathedralis, quum ipsa sit unica Parochialis.

Ad XXIV., & ad *Dubium* singulare plaudit Capitulum edito rescripto quoad Conterraneos, & Populares habitantes in Territorio; Rogat tamen, ut excipiantur Forenses, & exteri causa solius culturæ agrorum ad Territorium accedentes. Ait, istos, qui nullum habent Domicilium, soli Cathedrali subesse tam uti Parochiali, quam uti Ecclesiæ Matrici: potissime quia ita etiam cautum fuit in transactione Anni 1446.

Pro tutiori decisione XXV. placuit Sac. Congregationi audire quoque Reverendissimum Episcopum. Capitulum, quasi quæreretur de solis emolumentis funerum, repetit, eorum partitionem jam factam fuisse, & probatam Anno 1672. a Sac. Congregatione Episcoporum, & Regularium. Episcopus pauca profert super hoc Dubio. Collegiata latius rem tractat relative ad omnia emolumenta Curæ, ut infra pariter adnotatur.

E converso Presbyteri S. Nicolai ad I. propugnant editæ resolutionis æquitatem. Ajunt, opus non esse Vicariis, qui animarum curam exerceant intra fines sibi assignatos; Posse ipsos hoc munus gerere per se, quemadmodum gesserunt huc usque; Id non adversari Curæ habituali, quæ indivisa manet penes Capitulum Cathedralis: Agi de Curæ exercitio, quod dividuum est, & potest præstari a pluribus, atque etiam vel promiscue, vel alternatim, vel alio modo exhiberi valet a Collegio Presbyterorum, qui sint ab Episcopo probati.

Hoc autem Curæ exercitium avelli non posse ab ipsis Presbyteris post constantem plurium sæculorum consuetudinem; Ab Anno 1104. quo Andriam translata fuit Ecclesia Trimodiensis repræhesentata ab illa S. Nicolai, ipsos Curam promiscue exercuisse sine ope Vicariorum æque, ac Presbyteros Cathedralis, excepto triennii tempore, ad quod Anno 1634. utrique suos Vicarios deputarunt, mandante Episcopo Franceschini; Consuetudinem idcirco adeo longævam habere vim legis, ideoque in posterum quoque esse servandam.

Præsertim quia eadem Consuetudo quoad Collegiatam originem habet a titulo, a concessione nimirum Episcopi Desidii, qui dicto Anno 1104., Cathedrali consensiente, attribuit *Ecclesiæ S. Nicolai, suisque Clericis communem animarum Curam* cum Ecclesia Cathedrali. Eidem consuetudini robur accessisse a concordia inter utramque Ecclesiam celebrata Anno 1636., in qua licet principaliter transactum fuerit circa assistentiam a Collegiata præstandam nonnullis solemniis agi consuetis in Cathedrali, specia-

cialiter adhuc cautum fuit, ne quidquam ex reliquis consuetudinibus innovaretur.

Quum igitur Curæ exercitium penes Presbyteros steterit utriusque Ecclesiæ, donec illud promiscuum fuit apud utrosque in tota Civitate, subdunt Presbyteri Collegiatæ, nihil causæ esse, cur hodie diversa exercitii ratio sit invehenda, etiamsi non amplius promiscue, sed cuique Ecclesiæ sint constituti certi fines, intra quos curam debeat exercere; modum exercitii huc usque servatum optime congruere hodierno etiam Curæ statui: Nec censendum esse, Sac. Congregationem imperando divisionem Curæ abrogasse modum exercitii statui etiam nunc diviso consentanei.

His autem non adversari vel Bullam Pianam, vel Tridentinam Synodum; Ajunt enim, illam coegisse quidem undecim Parochos Urbis, ut Vicarium perpetuum deputarent ad exercendam Curam, nihil tamen edixisse, quod instar legis universalis obliget Parochos etiam extra Urbem, proindeque eamdem Bullam non impedire, quominus alibi Curæ exercitium pluribus Presbyteris mandetur in solidum, prout post eamdem Bullam in pluribus Ecclesiis usuvenisse testatur *Scarfanton. ad Ceccoper. addit.* 19. *num.*27. *ad* 29.

Concilium vero Tridentinum magis favere, quam obstare; Nam *Sess.*7. *Cap.*7. *de Reform.* jubet, ut in Cathedralibus, & Collegiatis *per idoneos Vicarios animarum Cura exerceatur*; & *Sess.*21. *Cap.*4. *de Reform.* edicit Rectoribus *sibi tot Sacerdotes ad hoc munus adjungere, quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda, & Cultum divinum celebrandum*: Mentem Concilii propterea esse, ut Parochiani a congruo Pastorum numero regantur: Hunc autem finem pingius obtineri secundum rationem exercitii Curæ habitam in Civitate Andriæ, quum tot ibi adsint Parocho Coadjutores, quot sunt Presbyteri utriusque Ecclesiæ ab Episcopo probati.

Mirantur proinde Collegiatæ Presbyteri, Capitulum urgere deputationem Vicariorum, quasi non sit honestius, & ejus honori magis consultum habere potius Presbyteros omnes utriusque Ecclesiæ exercitio Curæ operam præstantes, quam paucos, vel alterum tantum sibi magis acceptum seligere, qui titulo congruæ pauca emolumenta Curæ reliquis eripiat.

Magisque mirantur, Capitulum eo etiam intendere, ut sibi liceat Vicarios eligere temporaneos, quorum nomen ajunt esse in Ecclesia exosum, ac munus vile, ac mercenarium: Recusare ministerium Collegii nunquam perituri: quærere operam temporarii Presbyteri, qui potius suæ, quam utilitati Ecclesiæ prospiciat, qui nulla observantia a Populo recolatur: Id esse absurdum, absurdissimum, & Ecclesiasticæ disciplinæ omnino repugnans, ut ad-

advertit *Tomassin. in Veter.*, *& nov. Eccl. Disciplin. par.* 2. *lib.*1. *cap.*18. *num.*8. , *& seq.*

Frustraque Capitulum confugere ad quoddam Instrumentum præditum data Anni 1328. , ubi Ecclesia S. Nicolai erecta legitur Vicaria Coadjutrix Cathedralis, pro tempore tamen, *quo placet*, *& placebit dd. Episcopo*, *& Capitulo Cathedralis*. Sustinent enim Presbyteri S. Nicolai, scripturam illam non prius e latebris suis eductam, quam occasione præsentis litis, tametsi antea pluries extitisset illius exhibendæ necessitas: non solum ob id esse suspectam, sed omnes præterea ejus partes apertissimæ falsitatis esse signa.

Plures enim in illius initio nominantur intervenisse ad stipulationem, quam postea in calce appareant subscripti. Nonnulli ex Cathedrali personam agunt & Contrahentium, & Testium. Cernuntur Cruce signati Cantor, tres Presbyteri, & duo Diaconi Cathedralis, quasi litteras non callerent; Notarius asserit in exordio, se subscripsisse pro testibus, qui tamen in calce subscripti conspiciuntur. In pactum deducitur præstatio monetæ non antea cudi cœptæ, quam Anno 1458. Inserta fuit obligatio in forma Cameræ longe post introducta. Datam habet diei 25. Septembris 1328. *Regnante Domino Nostro Roberto gloriosissimo Rege Ungariæ*, cujus Regnum non Roberto, sed Carolo Martellio fratri suo dicitur delatum. Idem Robertus inscribitur *Andriæ Dux*, qui titulus longe post prima vice datus asseritur Friderico Aragonensi; Demum prænominatur Episcopus titulo *Illustrissimi*, qui superiori tantum sæculo tribui consuevit Episcopis.

Post hæc dubitari non posse, quin ejus Scripturæ fides sit respuenda, eamque jam respuisse Sacram Congregationem, dum Cathedrali potestatem negavit exercendi ex se Curam etiam quoad administrationem Sacramentorum in exclusionem Collegiatæ. Hinc autem Presbyteri S. Nicolai deducunt, Sac. Congregationem jam probasse eorum ministerium; Nam vetando, ne a Curæ exercitio excluderetur Collegiata, intelligere debuisse de cœtu ejus Presbyterorum; proinde Cathedralis petitionem deputandi Vicarios pro exercitio Curæ in Ecclesia Collegiatæ eo spectare, ut indirecte eludantur mandata Sac. Congregationis, & ut ipsa Cathedralis sub specie Vicarii ab ipsa eligendi usurpet totalem Curam sibi denegatam.

Concludunt itaque iidem Presbyteri, opus non esse Vicariis, subjungentes, quod si unquam eorum deputatio esset necessaria, Collegiata posset intra suos limites illos deputare; Nam quum ex concessione Episcopi Desidii possit perpetuo exercere Curam, & ex Decreto Sac. Congregationis non valeat excludi, ob id eidem Collegiatæ convenire titulum, munusque Vicarii perpetui, & ideo proprio no-

nomine, & jure Curam sibi inhærere; In exercitio enim Curæ æquam esse veri Parochi, & Vicarii perpetui potestatem: Nunc idcirco posse deputare etiam Vicarios pro Curæ exercitio.

Addit ulterius Collegiata, quod si in hac re luberet etiam provocare ad consuetudinem, præsto esset Vicariorum deputatio per ipsam facta Anno 1634.; hanc vero licet unicam, quum semel tantum se præbuerit illius faciendæ occasio, probare nihilominus, rem esse consuetam: Atque hinc extraneam esse regulam, quod alieno jure agentes non possint aliis rem sibi commissam mandare. Respondet enim, non convenire sibi, quia tanquam Vicaria perpetua Curam exercet non alieno, sed proprio jure, vel saltem posse ex consuetudine sibi deputare Vicarios.

Ad II. Recessum a decisis sibi auguratur Collegiata. Ad hoc enim Dubium transferens assumptum in disputatione superioris præmissum, quod nimirum commissa sibi fuerit Vicaria, seu Cura actualis perpetua, contendit, in associandis intra suum ambitum defunctis, ibique sepeliendis Cadaveribus Parochi munus explendum esse a proprio Vicario, etiamsi associationi interveniat Capitulum Cathedralis: Nam ad Parochum actualem, cujus potestati æquiparatur in omnibus illa Vicarii perpetui, etiam in dicto casu pertinet delatio Stolæ, intonatio Antiphonæ, cum aliis ad associationis ritum pertinentibus.

Nec jure sibi munus hoc arrogare Cathèdralem prætextu honoris eidem debiti, quum non liceat honoris specie aliena jura usurpare. Concedit Collegiata, ut in associandis defunctis Canonici Cathedralis causa honoris præcedentiam, & digniorem locum obtineant, at negat, ipsos se posse immiscere in exercendo munere Parochi: Parochiale munus in associationibus ad eum pertinere, quem defunctus Parochum vivens agnovit.

Minusque addici posse muneris prædicti exercitium Vicario Cathedralis ratione curæ habitualis Capitulo adnexæ; Nam eadem cura habitualis non transfertur in Vicarium, cui nonnisi Cura actualis mandatur. Uteunque propterea Vicarii Cathedralis munere fungatur Archipresbyter, nec eum posse in funere pertinente ratione curæ actualis ad Vicarium Collegiatæ sese ullo modo immiscere, & alienas Pastorales functiones turbare prætextu Curæ habitualis, qua fruitur Capitulum Cathedralis.

Ad III. Ajunt Presbyteri Collegiatæ, quod sicuti Vicarii Cathedralis actualem habent Curam eorum, qui intra limites ipsorum Ecclesiæ decedunt, ita & morientes in ambitu Collegiatæ Curæ ejus Presbyterorum sunt commendati: Hinc sequi, æquum inter utrosque esse etiam debere muneris Parochialis exercitium in funerum celebratione: Proinde quum ipsi non renuant, ut Vicarii Cathedra-

lis extrema pendant officia defunctis in eorum ambitu, & extra istum tumulandis, nec grave illis videri debere, ut quoad defunctos intra eorum limites, tumulandos in Ecclesia Collegiata, ab istius Vicario munus Parochiale expleatur.

Hinc ad IV. Sapientissime, inquiunt, respondisse Sac. Congregationem, *provisum in tertio*; nam sive Ecclesia tumulans sit filialis, sive non, eadem semper redeat ratio addicendi Parocho defuncti muneris Parochialis exercitium in illius funere peragendo.

Ad V., & VII. Parum sollicitos sese præbent Presbyteri Collegiatæ, dummodo quod de V. statuitur, id ipsum decernatur de VII. Inquiunt, nonnullos Jurisconsultos opinari, Canonicis, aliisque Clericis, vel Cathedrali, vel alteri Ecclesiæ cum residentiæ onere addictis, & in aliena Parochia commorantibus in casu infirmitatis præstanda esse Sacramenta ab Ecclesia, cui sunt addicti, sed æquitate plenum agnoscunt responsum Sac. Congregationis, ut Sacramenta ministrentur ab Ecclesia, in cujus ambitu moratur infirmus, quum ex ejus majori vicinitate melius spirituali Infirmi bono consulatur.

Ad VI., & VIII. Quum non dubitet Collegiata, quin exuviæ Clericorum in ea Ecclesia condendæ sint, cui viventes adscripti fuerunt, & in qua dietim sacra audiverunt, sacra fecerunt, & exceperunt continuo Sacramenta, sicuti non renuit, Canonicos, aliosque Clericos Cathedralis vita decedentes in ambitu Collegiatæ sepeliri posse in Ecclesia Cathedrali, ita tuetur, in Ecclesia ipsius Collegiatæ sepeliendos ejus Presbyteros, aliosque Clericos eidem Ecclesiæ addictos, si hos vivere, & mori contingat in ambitu Cathedralis.

Ait enim, non esse peculiare Cathedralis privilegium, ut possit suos Clericos in aliena Parochia degentes tumulare: Simili facultate præditas esse alias etiam Ecclesias Clericos habentes sibi perpetuo addictos; Nam hi ita cum Ecclesia sua conjunguntur, ut cum ea cor unum sint, & anima una. Quare non tam esset acerbum discindere, quos insolubilis sociavit dilectio, quam esset etiam inhumanum denegare Corpus Ecclesiæ, quæ suo imperio, atque Curæ addictum habuit defunctum.

Ad IX. Confirmationem petit Collegiata captæ resolutionis negantis, Cadavera defunctorum in ejus ambitu absque electione Sepulturæ, nec eam habentium gentilitiam sepelienda esse in Ecclesia Cathedrali: Quum enim cura actualis jam sit divisa, non esse, cur Cathedrali liceat tumulare Cadavera defunctorum in alieno ambitu: Jus sepeliendi pertinere ad Ecclesiam, in qua defunctus percipit Sacramenta tum ratione præsumptæ voluntatis ipsius defuncti, tum etiam in remunerationem laboris in Sacra-

men-

mentis ministrandis impensi : Nec post decretam Curæ actualis divisionem Cathedrali prodesse qualitatem unicæ Parochialis, quum hæc quoad ambitum Collegiatæ adscriptum resolvatur in meram Curam habitualem.

Ad X. Monstrandum suscipit Collegiata, æquissimo jure decretum fuisse, in associatione Cadaveris in ejus ambitu defuncti ipsam, non interveniente Capitulo Cathedralis, uti posse Cruce propria. Repetit primum hoc jus elevationis propriæ Crucis a concessione Episcopi Desidii: inquit, hoc privilegio per plura sæcula usam fuisse: morem hunc probasse Anno 1606. Sac. Congregationem Rituum: injuria propterea conari Cathedralem, ea prærogativa privare Collegiatam. Deinde sejungi non posse contendit ab exercitio Curæ actualis intra certos limites sibi concessæ facultatem utendi propria Cruce, quum ea sit jus proprium illius Ecclesiæ, quæ est Parochia defuncti, & jure sepeliendi non caret.

Ad XI. Tuetur, quartam funerariam, nisi debeatur Episcopo ex consuetudine, Cathedrali certe non deberi, quia omnia funeris emolumenta ad actualem Parochum pertinent in remunerationem laboris, quem in administrandis defuncto Sacramentis subivit. Cathedralem vero nihil incommodi ferre quoad Parochianos in ambitu Collegiatæ commorantes: perperam idcirco petere Quartam pro funere defuncti in districtu Collegiatæ, & in istius Ecclesia tumulandi. Quæ vero emolumenta Cathedralis in præteritum accepisse probaverit, inquit Collegiata, præstita fuisse in mercedem non administrationis Curæ, sed incommodi associationis, de qua re hic non quæritur.

Ad XII, Advertitur, præstationem Caballorum sexdecim pro singulo Cadavere tumulando in Ecclesia S. Nicolai non usuvenisse alio titulo, quam ex pactione, quæ continetur in Instrumento anni 1328. Quum propterea ad I. Dubium Collegiatæ Presbyteri monstraverint, scripturam illam esse apocripham, sibi pollicentur recessum a responso edito ad præsens dubium.

Ad XIII., & XIV. Inquit Collegiata, illa ipsa, quæ usum propriæ Crucis sibi abdicunt in Processionibus funebribus, potiori ratione urgere pro elevatione suæ Crucis in reliquis Processionibus; in illis enim Crucis erectionem referri posse ad jurisdictionem, in his ad devotionem. In Processionibus autem ducendis intra ambitum proprium contendit nullius licentia indigere; quum cuique habenti Curam actualem datum sit similes actus gerere tanquam Parochiales. Fatetur non posse Processiones extra suum ambitum protrahere sine licentia; at opinatur, exuberare illam Episcopi jurisdictionem habentis in tota Diœcesi, maxime in materia Processionum, ac proinde cogi non posse ad obtinendam quoque licentiam a Cathedrali.

Ad

Ad XV. Ait, per longam Sæculorum seriem exercuisse munus Coadjutricis Curæ Animarum; conqueritur proinde, nunc primum cogitari de adjicienda ea qualitate in pagellis distribuendis ad probationem præcepti Paschalis: Timendum esse, ne ob eam novitatem deferveat Populi obsequium erga ipsam: Aptius decere, ut in illis inscribatur nomen *Curatæ Ecclesiæ*, vel saltem titulus *Curatæ* adjiciatur alteri *Coadjutricis*, ut omnes noscant, Curam actualem ipsi Collegiatæ insidere. Postea plura cumulat, ut confirmet justitiam rejectæ prætensionis Archipresbyteri Cathedralis subscribendi eisdem pagellis.

Ad XVI. Inquit, rescripto edito conformem esse tum rationem, tum consuetudinem; illam, quia recollectio dictarum pagellarum directe pertinet ad eum, qui actualem exercet Curam Animarum, ut ex eis agnoscat, an quis sit, qui præceptis Ecclesiæ non paruerit; Consuetudinem vero, quia in statu promiscuo tam Presbyteri Cathedralis, quam illi Collegiatæ schedulas recuperare consueverunt, unde diviso nunc Curæ exercitio, proportionatam etiam jurium distributionem esse faciendam.

Ad XVII. Advertitur, Capitulum petendo notulam non parentium præcepto Paschali petere rem a se extraneam, & propterea sapienter rejectam: Capitulum carere jurisdictione illos puniendi; proinde eosdem inobedientes non denunciandos, quam Episcopo, cujus est potestas in illos animadvertendi, & censuris adigendi ad paritionem.

Ad XVIII. Juste dicitur denegata Archipresbytero prærogativa declarandi Confessariis, qui essent publici peccatores, a Sacramentis arcendi: Hos judicio suo declarare consuevisse Episcopum, qui notulam edidit, ut unusquisque Confessarius illius exemplar haberet, proindeque non jure Archipresbyterum hanc sibi arrogare potestatem: Et quamvis antea in more fuerit, ut Archipresbyter accepta notula a Curia Episcopali tradiderit exemplar singulis Confessariis; diviso nunc tamen Curæ Animarum exercitio, magis expedire, ut ii, qui in uno, & altero ambitu digniores sunt, Episcopum adeant, & juxta ejus judicium agant in subditos suos.

Ad XIX. Post divisum Curæ exercitium, Collegiata ait, rectissimum esse rescriptum edicens, competere unicuique intra proprium ambitum arbitrium dandi invalidis, & impeditis licentiam implendi præcepto Paschali in alia Ecclesia præter Cathedralem, & Collegiatam, quia eidem qua Coadjutrici competit quædam veluti jurisdictio in administratione Sacramentorum, ideoque quoad habitantes in ejus ambitu assensum suum requiri, ut Paschali præcepto implere possint in alia Ecclesia:

Ad XX. Ad memoriam revocat Collegiata, ipsam habere Curam actualem, suos limites, suum populum, & fori

pœ-

pœnitentialis facultates, & Capitulum talem habere potestatem, qualem habet quicunque alter Parochus actualis. Hinc infert sibi competere jus ministrandi Populo suo Sacramenta paschali tempore, nec permittendum implementum inCathedrali. Assumptum hoc pluribus probare nititur, quæ EE. VV. consueta sedulitate in libello Collegiatæ perlegere dignabuntur.

Quum Sac. Congregatio ad XXI. competere rescripserit unicuique Vicario de licentia Episcopi jus delegandi aliis Sacerdotibus potestatem conjungendi in Matrimonium, & administrandi Sacramentum Baptismatis, inquit Collegiata, definitionem hanc Sanctioni Tridentinæ Synodi, & consuetudini Civitatis cohærere, proindeque esse omnino confirmandam.

Ad XXII. Ait Collegiata, Sac. Concilium Tridentinum *Cap.3. sess.25. de Reform.* arbitrio Episcopi remittere processum, & sententias Excommunicationum; Episcopi idcirco arbitrium non esse cohibendum, ut Cathedrali tantum committat litterarum Monitorialium, & excommunicationum publicationes, immo, & absurdum esse, ut quando quæritur de rebus in ambitu Collegiatæ deperditis ad revelationem moneantur degentes in ambitu Cathedralis. Petens itaque Collegiata, ut corrigatur prima pars editi responsi publicationem indiscriminatim committens Cathedrali, confirmationem contra rogat secundæ partis, juxta quam jubetur, ut unaquæque Ecclesia Matrimonia denunciet a suis Parochianis contrahenda, & proclamet Clericos promovendos ad Ordines Sacros, quia Concilium Tridentinum utrumque committit exercenti Curam Animarum, ut in *Cap. 5. Sess. 24. de Reform. Matrim.*, *Cap. 5. Sess. 23. de Reform.*

Ad XXIII. Quum Sac. Congregatio rescripserit, *servari solitum*, asserit Collegiata in more hactenus habuisse servandi apud ejus Archivia libros Parochiales ab ejus Presbyteris confectos: Inposterum vero non aliter posse servari, quia Cura exerceri non potest, nisi actualis Parochus eos libros præ manibus habeat, unde sciat, num promovendi, & in Matrimonium conjungendi sint confirmati, sint alteri vinculo alligati, quæ sint oves sibi commissæ, qui rudimentis fidei sint instituendi, & ob alias utilitates in libello Collegiatæ perlegendas.

Ad XXIV., & Dubium singulare inquit Collegiata, jam Sac. Congregationem agnovisse post decretam divisionem Curæ actualis sub divisione venire debere cum parte Civitatis partem etiam Territorii: Sed quum divisio in Civitate facta fuerit per confinia, incohærentem esse illam Territorii factam per domos, & familias. Putat itaque Collegiata, hanc esse ita statuendam, ut conveniat cum divisione facta in Civitate, quum præsertim illa facta per familias

sit

sit incerta, & instabilis ob frequentem ipsarum familiarum vel discessum vel decessum. Alienam vero ab hoc Dubio, quo quæritur de divisione Territorii, inquit esse disputationem de errantibus, & domicilium non habentibus in eodem Territorio; advertit tamen illos adscribendos Ecclesiæ, in qua eis lubet Sacramenta suscipere.

Ad XXV. Conqueritur Collegiata, emolumentis Curæ, quæ percipit Ecclesia Cathedralis, haud proportionata esse illa, quæ obveniunt eidem Collegiatæ. Rationem discriminis ipsa profert in ejus allegatione. Proponit temperamentum redigendi divisionem ad æqualitatem. EE. PP. dignabuntur illud perlegere in scriptis Collegiatæ, & quid juris de eo sit, eorum sapientia decernere. Plura enim a Partibus disputata opus fuit reticere, ne præsens relatio consuetum modum jam prætergressa difficiliorem redderet definitionem quæsitorum, quæ hic in calce subiiciuntur.

An quoad 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24., *& quoad dubium singulare sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.*

XI. An Capitulo Cathedralis debeatur Quarta Funeralis de omnibus tumulationibus faciendis ab Ecclesia S. Nicolai in casu &c.

XXV. An, & quomodo sit providendum super partitione Emolumentorum provenientium ab exercitio Curæ in casu &c.

Sess. 22. de observ., & evitan. in Celebrat. Miss.

FOROLIVIEN. In Cathedrali Ecclesia Forolivien. ad cultum, & venerationem imaginis *B. Mariæ Virginis* nuncupat. *ab Igne* duodecim erectæ sunt Mansionariæ. Non omnium eadem est institutio; nam duæ præbendam possident distinctam sine onere canendi in Organo: aliæ decem præbendam habent communem, & qui eas obtinent, de hac communi præbenda participant ad instar distributionum, ac punctaturis subsunt. Ex his decem præbendis quatuor institutæ sunt a Dominico Raimondi anno 1620. cum reservatione jurispatronatus favore familiæ *Aleotti*. Orta autem deinde controversia inter Promotorem Fiscalem, ac modernos Patronos Aleotti, an ad eas præsentandi esse debeant idonei in Cantu figurato, vel in Cantu Gregoriano, litis diremptio judicio EE. VV. commissa fuit.

Præstat ob id ante oculos fundationem, & erectionem Mansionariarum habere. Anno 1620. dictus Dominicus Raimondi, hærede ex asse instituto Ven. Sodalitio B. M. V. ab Igne dictæ Ecclesiæ Cathedralis, expresse jussit, ut hæreditatis fructus erogarentur *in augendo numero Mansionariorum, qui Mansionarii sint obligati inservire Altari dictæ Beatæ Mariæ Virginis ab Igne in dicta Ecclesia, prout & sicut faciunt ad præsens moderni Mansionarii, & etiam semper, & in omni tempore, & toties quoties occasio se obtulerit, quod San-*

ctissimo

tissima Imago B. M. V. ab Igne quacunque de Causa exponitur, voluit, quod prædicti Mansionarii debeant toto tempore dictæ expositionis stare, & vicissim permanere ad custodiam prælibatæ Beatissimæ Virginis, adeo quod nullo unquam tempore dicta Sacra Imago absque Custodia, & præsentia alicujus eorum remaneat, reservata Episcopo facultate præfiniendi numerum Mansionariorum ex ejus fructibus augendorum, ac dato perpetuo jurepatronatus favore Ludovici Aleotti, ejusque hæredum.

Quumque postea in idem Sodalitium obvenerit altera hæreditas quondam Joannis Francisci Savorelli, Episcopus Foroliviеn. anno 1621. ex utriusque hæreditatis bonis sex Mansionarias erexit *pro sex Mansionariis Musicæ Scientiam callentibus*, cum expressa declaratione, *quod quatuor ex prædictis Mansionariis, seu beneficiis nunc, & quando pro tempore aliqua ex eis vacare contigerit, ad nominationem Domini Simonis Aleotti juxta dispositionem testamentariam prædicti Dominici Raimondi conferri debeant, dummodo Ecclesiasticæ personæ, idoneæ, & habiles ad onus, & munus exequendum nominentur. Reliqua vero duo Beneficia, seu Mansionariæ ex bonis præfati Jo. Francisci Savorelli erectæ ad liberam collationem Ordinarii pertineant.*

Contendit idcirco Promotor Fiscalis, non alios ad Mansionarias posse præsentari, quam Viros peritos in Cantu figurato. Claram inquit esse earumdem erectionem pro sex Mansionariis Musicæ scientiam callentibus: Musicæ autem nomine non cantum Gregorianum, sed figuratum, seù harmonicum venire, *Tortat. tom. 1. in Epist. 8. Hyeron. ad Paulin. cap. 5. Verb. Musicis, Rot. coram Lancet. decis. 493. num. 6, Conc. Trid. sess. 23. cap. 18. de Reform., & Bened. XIV. in Constit. 3. §. 2. tom. 3.*

Idque consonum esse, advertit, tum Synodalibus Sanctionibus onus præscribentibus canendi, Litanias præsertim, in Organo, quod cantui figurato solum convenit, tum demum observantiæ, juxta quam semper examen de Cantu figurato habitum fuit quoad præsentatos a Familia Aleotti.

A Patronis nihil adhuc habuimus. Episcopus in sua informatione *diei 21. Martii 1755.* refert rationum momenta hinc inde deducta, omniaque judicio EE. VV. submittit.

De Musicis concentibus in Ecclesiis habendis varia SS. Patrum, & Doctorum est opinio. Eorum aliqui illos improbarunt, ut *Justinus Martyr. Epist. 10., Cassiod. lib. 5. cap. 32., Leo Pontifex ser. 4. de jejun. septem Mens. & D. Bernardus* his verbis: *Non enim est levis jactura gratiæ spiritualis levitate Cantus abduci a Sacræ Scripturæ sensuum utilitate, & plus sinuandis intendere vocibus, quam insinuandis rebus.* Quod expertus *Sanctus Augustin. Confess. lib. 10. cap. 33.* hæc inquit: *cum mihi accidit, ut me amplius Cantus, quam res, quæ canitur, moveat, pœnaliter me peccare confiteor, ut tunc mallem non audire cantantem.*

Hinc contra musicalem Cantum vehementer invehit *S. Aereldus Abbas Rievallis lib.2. specul.char.cap.23. Unde*, inquiens, *cessantibus jam typis, & figuris, unde in Ecclesia tot Organa, tot Cymbala? Ad quid rogo terribilis ille follium flatus tonitrui potius fragorem, quam vocis exprimens suavitatem? Ad quid illa vocis contractio, & infractio? Hic succinit, ille discinit, alter supercinit, alter medias quasdam notas dividit, & incidit: Nunc vox stringitur, nunc frangitur, nunc impingitur, nunc diffusiori sonitu dilatatur: aliquando, quod pudet dicere, in equinos hinnitus cogitur, aliquando virili vigore deposito in fœmineæ vocis gracilitates acuitur; Nonnunquam artificiosa quadam circumvolutione torquetur, & retorquetur. Videas aliquando hominem aperto ore, quasi intercluso halitu, expirare, non cantare, ac ridiculosa quadam vocis interceptio e quasi minitari silentium, nunc agones morientium, vel extasim patientium imitari. Interim histrionicis quibusdam gestibus totum Corpus agitatur, torquentur labia, rotantur oculi, ludent humeri, & ad singulas quasque notas digitorum flexus respondet. Et hæc ridiculosa dissolutio vocatur Religio, & ubi hæc frequentius agitantur, ibi Deo honorabilius serviri clamatur.*

Alii vero musicalem Cantum laudarunt, & approbarunt, *Clemens Alexand. lib.2. pædag. cap.4. Chrisost. præf. ad psalm* 41. *Amal. Fortunat. lib.3. de Off. Miss. cap.11. Sever. Boet. de Music.* ac rationem dat *S. Basilius homil.1. in psalm.1.*: *Ut auribus permulctis, ac delinitis medio vocum concentu, clam velut aliud agentes sineremus in animos nostros irrepere eloquiorum utilitatem*; vel ut inquit *Pignatel. tom.3. Consult.41. num.6. Lætificat enim Organorum concentus tristes hominum mentes, & supernæ Civitatis insinuat jucunditatem, sollicitat pigros, recreat diligentes, provocat justos ad amorem, peccatores ad compunctionem.*

Synodus vero Tridentina *sess.22. de observan. & evitan. in celebrat. Miss.* hæc habet; *Ab Ecclesiis vero Musicas eas, ubi sive Organo, sive cantu lascivum, aut impurum aliquid miscetur, item Sæculares omnes actiones, vana, atque adeo profana colloquia, deambulationes, strepitus, clamores arceant, ut Domus Dei vere Domus Orationis esse videatur, ac dici possit.* Concilium itaque Tridentinum eas tantum Musicas prohibet, quibus aliquid lascivi, vel impuri miscetur.

Verum Sac. Congregatio in una *Veliterna Cantus* 23. *Februarii* 1715., & 25. *Januar.* 1716., cujus species erat, quod ex dispositione cujusdam Fulviæ Caldensis fundata fuerant quatuor Beneficia in Ecclesia Veliterna, & ad ea nominari *quatuor personas idoneas Veliternas, & canere scientes Cantu figurato, inservientes continuo in Choro, prout Canonici Cathedralis tenentur*: & alia duo Beneficia erecta fuerant in eadem Cathedrali sub invocatione S. Joannis Evangelistæ, ac S. Catherinæ *pro duobus Presbyteris in Cantu etiam figurato peritis.* Quumque Promotor Fiscalis prætensionem excitasset, quod tum Beneficiati Caldenses, tum etiam Beneficiati S. Joannis

nis Evangelistæ, ac S. Catharinæ respective, ex onere in eorum fundatione injuncto, adstricti forent quibusque anni festivitatibus ad organum Musicis modis canere, proposita fuerunt hæc quæsita: I. *An Beneficiati Caldenses teneantur canere Cantu figurato in casu &c. & quatenus affirmative. II. An, quibus festivitatibus, & quo loco, & quatenus affirmative. III. An & qua punctatura, seu pœnis Beneficiati prædicti sint mulctandi, in casu absentiæ. IV. An Beneficiatis S. Catharinæ, & S. Joannis Evangelistæ teneantur canere Cantu figurato in casu &c, & quatenus affirmative. V. In quibus festivitatibus, & quo loco, & quatenus affirmative. VI. An, & qua punctatura, seu pœnis Beneficiati prædicti sint mulctandi in casu deficientiæ.* Sac. autem Congregatio *die* 23. *Febr.* 1715. respondit: *ad I. negative, ad II. & III. provisum in primo. Ad IV. affirmative. Ad V. & VI. arbitrio Ordinarii*; Ac repropofita Causa *die* 25. *Jan.* 1716. sub dubio, *An, & in quibus sit standum, vel recedendum a decisis, sub die* 23. *Febr.* 1715. respondit: *In decisis quoad Caldenses, & quoad Beneficiatos S. Catharinæ, & S. Joannis Evangelistæ recedendum a decisis.*

Rogantur itaque EE. VV. definire.

An Mansionarii, de quibus agitur, teneantur canere in Cantu figurato, seu potius in Cantu Gregoriano, in casu &c.

Die Sabbathi 19. Septembris 1767. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

IN postremo Emorum PP. consessu quinque definitis Causis, quatuor reliquæ fuerunt, de quibus horæ tarditas non permisit, ut æque ferretur judicium. Ex his primæ duæ habentur in folio *diei 8. superioris Augusti*, totidem aliæ in illo *diei 29. ejusdem mensis*. Rogantur itaque EE. VV., his foliis resumptis, perspectissima earum sapientia, ac jurisprudentia nunc declarare, quid juris de eisdem Causis, aliisque, quæ post eas ex ordine hic subjiciuntur.

FIRMANA.

Sess. 7. cap. 8. de Reform. *An debeantur Ecclesiæ Cathedrali fructus dimidii anni, in casu &c.*

Negative.

VITERBIEN. LEGATI.

Sess. 22. cap. 6. de Reform. *An, & quomodo, & in qua quantitate debeatur Legatum Sacrario, & Ecclesiæ P.P. Capuccinorum Viterbii relictam, in casu &c.*

Affirmative ad formam Testamenti, & Conventionis, & amplius.

ANDRIEN.

Sess. 24. cap. 3. de Reform. *An quoad 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24., & quoad dubium singulare sit standum, vel recedendum a decisis, in casu &c.*

XI. *An*

XI. *An Capitulo Cathedralis debeatur Quarta Funeralis de omnibus tumulationibus faciendis ab Ecclesia S. Nicolai, in casu &c.*

XXV. *An, & quomodo sit providendum super partitione Emolumentorum provenientium ab exercitio Curæ, in casu &c.*

Ad I. In decisis, & amplius. Ad II. In decisis, & amplius. Ad III. Dilata, & dentur nova dubia juxta mentem. Ad IV. Dilata, ut ad proximum. Ad V. In decisis, & amplius. Ad VI. Prævio recessu a decisis Affirmative. Ad VII. In decisis, & amplius. Ad VIII. Prævio recessu a decisis Negative. Ad IX. Prævio recessu a decisis Affirmative. Ad X. In decisis, & amplius. Ad XI. Quoad decedentes in districtu Cathedralis Affirmative, quoad reliquos Negative, & quoad Episcopum servetur Decretum Congregationis Episcoporum & Regularium 8. Aprilis 1672., & amplius. Ad XII. XIII. XIV. XV. XVI. In decisis, & amplius. Ad XVII. Iterum proponatur. Ad XVIII. In decisis, & amplius. Ad XIX. Iterum proponatur. Ad XX. In decisis, & amplius. Ad XXI. Iterum proponatur. Ad XXII. In decisis, & amplius. Ad XXIII. Scribatur Episcopo juxta instructionem. Ad XXIV., & ad dubium singulare, in decisis, & amplius. Ad XXV. Unicuique competere emolumenta exercitii Curæ intra proprium ambitum.

FOROLIVIEN.

An Mansionarii, de quibus agitur, teneantur canere in cantu figurato, seu potius in cantu Gregoriano. *Sess. 22. de obser., & evitan. in celebrat. Miss.*

Non proposita, cum sequentibus.

BARCHINONEN. Matrimonium Barcinone secreto contraxit anno 1753. *Nicolaus Ruiz de Turre* insignis militari gradu cum *Elisabeth Ribot* humilioris conditionis puella. Post maritale aliquot mensium contubernium, unde filius in infantia peremptus ortus est, Vir militari ductu primum petere coactus est Gaditanum præsidium, inde in Aphricam appellere ad Civitatem Exilissæ, & postea ad Gades remigrare, ubi anno 1764. moram habebat. Ante discessum vero a maritali consortio collocavit Uxorem in Mona- *Sess. 24. cap. 1. de Reform.*

ste-

sterio nuncupat. *de la Enseñanza* Civitatis Celsonen., cui summa bona fide omnia ad vitam necessaria huc usque subministravit.

Anno autem prædicto 1764. Elisabeth Uxor desiderio capta vestiendi Religiosum habitum, & Regularem professionem emittendi in eodem Monasterio, consensum obtinuit tum a Monialibus, tum a Viro, qui coram Episcopo Gadicensi illum solemniter præstitit, *acciocchè le brame della medesima abbiano la sua debita, e sollecita esecuzione, fin da adesso per allora prometto di fare, ed ora per allora in mano dell'Illustrissimo, e Reverendissimo Monsignor Vescovo di questa Diocesi di Cadice mio Ordinario locale fò voto di Castità, qualora la menzionata mia Sposa entri, e professi in Religione, come ella brama*; ac preces dedit pro facultate Religiosum habitum suscipiendi, & Regularem professionem in eo Monasterio emittendi.

Licet autem Episcopus Barcinonen. suis litteris testaretur, Elisabetham plurima, ac talia præbuisse in decursu triennii suæ vocationis ad vitam religiosam argumenta, ut prudenti dubitationi locus haud relinqui videretur; ac Episcopus Gaditanus quoque testaretur de integritate vitæ, & morum Viri, tamen in Congregatione diei 29. Novembris 1765. proposito dubio: *An, & quomodo liceat Elisabeth Religiosum habitum suscipere, & Regularem professionem emittere*; rescriptum fuit: *Expectet, & ad mentem, & amplius*. Non enim sufficiens visa fuit sola ætas Viri tunc annorum 55. ad vitandum incontinentiæ periculum, nisi remotus ab oculis populi, mundanarum rerum illecebras etiam effugeret. Viden. folium *diei 28. Septembris ejusdem anni*, quo facti species, & quæstio omnis accurate, & disertissime absolvitur.

Altero jam nunc elapso biennio, quum Vir, Serenissimi Regis imperio, sub die 15. præteriti mensis Junii ab oris Gadicensibus cum Cohorte solverit migraturus ad Civitatem Panamacensem in Indiis; hinc mutato rei statu, preces easdem renovat Elisabeth: ait enim, omnia concurrere ex præscripto Sacrorum Canonum requisita, ut unus ex Conjugibus Religionem profiteri valeat, manente altero in sæculo: primo scilicet, istius consensum: Secundo, perpetuum continentiæ votum ab eo emissum: Tertio, defectum periculi incontinentiæ soluti conjugii: Quarto, ejus senilem ætatem, *Fagnan. in lib. 3. Decret. cap. Cum sis 4. de convers. Conjug. num.6.*, *Gonzalez ibidem*, *Anaclet. in Jus Canon. lib.3. tit.32. num.10.*, *Bened. XIV. de Synodo Diœc. lib.3. cap.12. num.11.*

Inquit enim, de consensu Viri, ejusque voto Castitatis, ac probatis moribus plene constare ex actis gestis coram Episcopo Gaditano, & ex recenti ejusdem Episcopi relatione: De ætate vero senili ambigi non posse; nam Vir jam quinqua-

quagesimum septimum annum agit: omnes vero convenire, senilem ætatem incipere ab anno 50. *Faguan. in dicto cap. Cum sis 4. num. 14. vers. Accursius de convers. Conjug*, *Pignatell. Consultat. Canon. tom. 3. consult. 42. num. 35. ad 39.*, *Menoch. de arbitr. lib. 2. centur. 1. cas. 59. num. 1*, *Zacch. quæst. med. legal. lib. 1. tit. 1. quæst. 9. de senect.*, *Gramat. decis. Neapol. 34. num. 4.*

Advertit insuper, senectutem ad rem, de qua sermo est, non tantum ex annorum numero esse spectandam, sed etiam a valetudine, a viribus, ab anteactæ vitæ consuetudine, omniaque judicio, & prudenti Judicantium arbitrio existimanda esse, *Cap. Quoniam num. 3. Ut lit. non cont.*, *Anaclet. lib. 3. tit. 32. num. 17.*, *Pignatell. conf. canon. tom. 3. consult. 42. num. 40.*, *& Rot. post Zacch. dec. 21. num. 25.*, *& decis. 72. num. 9.* Singulis autem recte consideratis, omnem abesse incontinentiæ suspicionem, ac periculum, & Virum inter vere senes esse recensendum; nam per 30., & ultra annos militaribus laboribus, ac curis implicitus fuit; caduca valetudine, & imbecilli donatus est; in ferventiori, & viridiori ætate perpetuo exhibuit continentiæ, ac probitatis specimina; caste vixit tresdecim annos a florida Uxore sejunctus, ac solemne Castitatis votum coram Episcopo emisit: omnia proinde perspicuum, ac prudens suppeditare argumentum, unde excluditur quæcunque incontinentiæ suspicio *Cap. Cum in juventute 14. de præsumpt.*

Insuper advertit, Virum modo ad præsidium Panamacense in Americanis regionibus fuisse missum: ibi consuetam sexennii stationem habiturum fore: facile inde ad aliud sexennium posse ejus officium prorogari, vel in iisdem regionibus Præsidem deligi, aut Ducem alicujus Civitatis, vel saltem nonnisi post octennium, computato itineris spatio, posse contingere ejus reditum in Europam: eidem proinde spem deesse revisendi propriam Uxorem, vel saltem, nonnisi in decrepita ætate eam esse revisuram: Nec obesse, quod arbitrio Principis quandocunque revocari possit; nam id nonnisi rarissime, & ex gravi tantum causa accidere solet; Casus autem insolitos contemnere legibus monemur, *Leg. Nam ad ea ff. de legib.*, *Faguan. in d. Cap. Cum sis, num. 56. de convers. Conjug.*

Demum postulat, ut, si quæ dubietas adhuc superest, [illegible] saltem potestas vestiendi Religiosum habitum in dicto Monasterio, ibique convivendi qua Novitia, suspensa regulari professione, usque quo Sacra Congregatio opportunum ad id evenisse tempus judicabit. Ait enim, consentire Moniales: se jam in ætate 32. annorum constitutam esse: progressu temporis Moniales posse dissentire: interim magis probari mores suos, ingenium, vocationem, melius ipsam experiri austeritatem, onera, & statum regularem: nullumque Viro præjudicium irrogari, cujus jura ante professionem sem-

semper integra, & illæsa remanent, *Leuren. in Jus Canon. de convers. Conjug. quæst.* 875. *num.* 2.

Nec professionis dilationi obesse decretum *Sac. Conc. Triden. sess.* 25. *cap.* 16. *de Regul. & Monial.* Contendit enim, hoc procedere tantum quoad Novitios, non vero quoad Novitias, *Barbos. ad Conc. Trid. d. cap.* 16. *num.* 40., *Sanchez in præcept. Decal. lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 21., *Tambur. de Jur. Abbatiss. disp.* 6. *quæsit.* 6. *num.* 4. *ad* 6., sibique locum non vindicare, ubi professio ex rationabili causa differtur etiam a viris, *Passerin. de Stat. Hom. quæst.* 189. *inspect.* 6. *num.* 152. *tom.* 3., *Tambur. de Jur. Abbatiss. tom.* 3. *disp.* 6. *quæst.* 18. *num.* 2. & 5., *Anaclet. in Jus Canon. lib.* 3. *tit.* 31. *num.* 181., & *Leuren. in For. Canon. tom.* 3. *quæst.* 810.

Episcopus Gadicensis super novis precibus Oratricis hæc habet: *Devo manifestare secondo quello, che hò potuto comprendere, che nel tempo, che il citato D. Niccola stette nella guarnizione di questa Piazza col suo Reggimento, e ricorse a me, per pratticare varie diligenze, che potessero facilitare l'effettuazione degli desiderj, che aveva la Donna Elisabetta, mostrò sempre il suo consenso, ed uniformità con quella, per effettuare il suo pensiere di abbracciare lo stato Religioso, senza aver notata nel detto Don Niccola a tempo di trasferirsi col suo Reggimento a Panamà Regno di America, cosa alcuna, che potesse variare la sua prima determinazione. Rispetto però alla particolarità, se l'enunciato Officiale viverà costante nell'osservanza del voto di Castità, che fece, non è facile supporlo asservitivamente, perchè è impossibile il penetrare la condizione, ed interno dell'animo soggetto all'impulsi della natura umana, ma bensì secondo l'esteriorità del riferito D. Niccola Ruiz della Torre, la sua vita morigerata, la sua astrazzione, e lodevole condotta, colla quale regolò le sue azzioni nel tempo, che si trattenne in questa Piazza, si può sperare, che si osservi fedelmente la promessa da lui fatta.*

Similmente ci dobbiamo persuadere, che la residenza del sudetto nel riferito Regno dell'Indie durerà per alcuni anni: niuno però puol assicurare il numero di questi, che ciò dipende dalla volontà del Rè, e del suo sovrano unico arbitrio, come ugualmente la promozione degli Uffiziali a' Governi, o altri impieghi superiori in quelle Provincie Americane: poiche, sebbene questi casi sogliono succedere, nulladimeno però presentemente niuno potrà assicurare, che succedino rispetto al riferito D. Niccola, nè se gli otto anni, che secondo si suppone consumerà in quel destino, saranno compiti per le ragioni sudette.

Proponitur

An, & quomodo liceat Elisabeth religiosum habitum suscipere, & Regularem professionem emittere, in casu &c.

ME-

MEDIOLANEN., SEU NOVARIEN. In Oppido Granarii, quod situm est in Dioecesi Novariensi a vetustissimo tempore erectum reperitur simplex Beneficium sub invocatione SS. Cosmæ, & Damiani. Hujus Beneficii patronatus per sæculum, & ultra possessus à Familia de Tettonis, postea transiit in Fratres de Mantica, & Cæsarem Borgini, a quorum hæredibus, titulo donationis a Vicario Generali Episcopi Novariensis cum voto Fisci postea confirmatæ, anno 1677. translatus fuit in Jacobum Antonium Sorini. Quumque post hujus obitum contenderent Fratres de Mantica, non obstante eorum donatione, exercere jus nominandi, causa ceciderunt sententia lata anno 1690. ab Episcopo Novariensi, & anno 1692. confirmata a Curia Metropolita Mediolanensi, qua Beneficium adjudicatum fuit Nominato a Familia de Sorinis, quæ postea pacifico jure præsentandi potita fuit, & in ultimo Statu anni 1728. præsentavit Julium Cæsarem Castilloneum.

Sess.23. cap.4. de Reform.

Anno tamen 1745. Franciscus Maria ultimus de Familia Sorini, qui in dicto ultimo Statu præsentaverat, in testamento, quo scripsit hæredem Ven. Hospitale majus Mediolani, de Beneficio ita disposuit: *Che ogni volta, che lo stesso anderà vacante dopo la mia morte debba da detti Priore, e Deputati pro tempore del sudetto Ven. Spedale mio Erede esser sempre nominato il Signor Curato più anziano, che assiste agl'Infermi in detto Ven. Spedale, e così successivamente in infinito*. Deinde, utendo facultate, quam sibi in eo testamento præservaverat, immutans, quæ de Beneficio jam disposuerat, per schedulam anno sequenti conscriptam hæc præcepit: *Mediante la presentanea mia disposizione costituisco un nuovo Signor Parroco, mediante detto Beneficio, e colle di lui rendite, quale dovrà continuamente abitare, come gli altri Signori Parrochi in detto Ven. Spedale da eleggersi dall'Illustrissimi Signori Priore, e Deputati pro tempore, che reggono, e governano detto Pio Luogo l'uno dopo l'altro sino in infinito; e tuttavolta i fondi, che sono del Patrimonio di detto Beneficio, non rendessero un'emolumento uguale, e correspettivo a quello resta presentemente assegnato a RR. quattro Parrochi &c. voglio, ed intendo debbano supplire li prefati Signori Priore, e Deputati colle rendite della mia Eredità*.

Ut primum Priori, & Deputatis dicti Hospitalis delatum est, obiisse mense Augusti anni 1765. Capellanum Julium Cæsarem Castilloneum, ignari prorsus supremæ Francisci Mariæ Sorini voluntatis, quoad institutionem novi Capellani, die 30. Septembris nominarunt Cajetanum Prada in eodem Hospitali Subdiaconum; sed verentes postea de nominationis validitate a præsentatione destiterunt, & Novariensi Episcopo supplicarunt, ut longius ad præsentandum tempus indulgeret. Annuit Episcopus, aliosque

que duos menses concessit ab ultimo quadrimestris die numerandos. Interea vero certiores facti de ultima Francisci Mariæ dispositione in relato Chirographo contenta, preces obtulerunt Summo Pontifici, petentes tum suppressionem Beneficii cum applicatione redituum dicto Hospitali, ut constitui posset quinta Vicaria ad nutum amovibilis cum Cura Animarum, tum prorogationem temporis ad præsentandum, quousque Summus Pontifex Apostolicam dispensationem vel concederet, vel denegaret.

Preces ad Sacram hanc Congregationem remissæ sunt; quæ die prima Februarii *1766.* votum exquisivit tum Eminentissimi Archiepiscopi Mediolanensis, tum Episcopi Novariensis, impertita interim prorogatione termini ad tres menses. Mandatis Sacræ Congregationis illico obtemperans Novariensis Episcopus litteras dedit die 11. Martii. Verum, quum nondum pervenisset relatio Eminentissimi Archiepiscopi Mediolanensis, & Deputati Hospitalis iterum pro Beneficii suppressione, & applicatione institissent, die 31. Maji rescriptum fuit = *Expectetur relatio Eminentissimi Cardinalis Mediolanensis, & citetur Pars.* Superventis postea istius litteris, demandatum fuit *die 9. Augusti*, ut Causa poneretur in Folio citata Parte. Dum autem hæc agebantur, *die 7. Junii 1766.* Novariensis Episcopus Beneficium contulit Comiti Stephano Lupi, qui statim illius possessionem adeptus est. Adversus hanc igitur collationem reclamantibus Deputatis Hospitalis, duo nunc dantur Dubia in calce conscripta.

Contendunt ad I. Deputati, collationem hujusmodi ex jure nullam esse, quum anteverterit Patronorum præsentationem *Cap. Decernimus, & cap. Monasterium 16. quæst. 7. cap. Cum dilectus de Jurepatron.*: Nec sustineri posse ex jure devoluto, nisi doceatur, casum devolutionis extitisse, *Rot. coram Buratt. decis.* 18. *num.* 1., *decis 938. num. primo, & in Calaguritana Canonicatus* 1. *Julii* 1726. *coram Cornelio*; & nisi etiam probetur, Patronos inexcusabili negligentia omisisse intra præstitum tempus præsentationem, *Rot. in Calaguritana Canonicatus* 17. *Junii* 1728. *coram Card. Corio, in Sancti Severini Canonicatus* 3. *Martii* 1747. *coram Cardinali Millino, Sacra Congregatio in Mantuana* 24. *Februarii* 1720.

Tuentur Deputati, nondum elapsum fuisse tempus ad præsentandum a jure communi præstitutum, & ex dispensatione Ordinarii, & Sacræ hujus Congregationis prorogatum. Nam fatentur quidem, Beneficium vacasse die 12. Augusti *1765.*, quo diem obiit supremum Julius Cæsar Castilloneus; sed asserunt, hujusce vacationis scientiam non prius habuisse, quam die *6.* Septembris ejusdem anni, proindeque ab hac tantum die numerandum fuisse tempus ad præsentandum, *Cap. Quia diversitatem de concess. Præbend.*

bend., *Cap. Licet de supplenda negligentia Prælat.*. A die autem 6. Septembris 1765. numerandos esse menses novem, quadrimestre scilicet concessum a jure communi, aliud bimestre ex indulgentia Novariensis Episcopi, ac trimestre ex dispensatione Sacræ hujus Congregationis impertitum; quare præsentandi tempus excurrisse ad diem usque 6. Junii 1766.

Quin imo, neque hac die expirasse, sed cursum temporis remansisse suspensum ex intermedio hujus Sacræ Congregationis rescripto diei 31. Maji, quo demandatum fuit, ut expectaretur relatio Eminentissimi Archiepiscopi Mediolanensis. Tunc enim, inquiunt, assumptam ab hac Sacra Congregatione fuisse Causæ cognitionem, litemque in ea introductam, atque idcirco tam Episcopo, quam Patronis vetitum fuisse aliquid innovare, quum lite introducta terminus non amplius excurrat, *Cyrill. quæst. jur. cap. 3. num. 2.*, *Piton. discept. Ecclesiast. 13. num. 43.*, *Rot. dec. 1029. n. 14. coram Lancetta*.

Concludunt itaque, satis constare de nullitate collationis expletæ die 7. Junii, eamque vitio etiam attentatorum infectam, utpote factam pendente lite in hac Sacra Congregatione, & quum datæ jam essent litteræ Eminentissimo Archiepiscopo Mediolanensi, & Episcopo Novariensi. Nam rescriptum diei 31. Maji *Expectetur relatio Eminentissimi Archiepiscopi Mediolanen.*, *& citetur Pars*, litis pendentiam, & inhibitionem induxerat, *Rot. in cit. S. Severini Canonicatus 3. Maji 1747. coram Millino*.

Quoad II. Dubium inquiunt Deputati, nihil obstare posse, quominus Summus Pontifex illorum precibus indulgeat: Non hic agi de *unione*, aut *translatione* Beneficii ad Hospitale majus Mediolani, cui quidem translationi, & unioni obsisteret Sacrum Concilium Tridentinum *sess. 14. cap. 9. de Reformat.*; agi tantum de applicatione redituum dicti Beneficii pro manutentione quinti Capellani ad illud præsentandi, & instituendi cum lege amovibilitatis, salvis tamen juribus Episcopi, & Curiæ Episcopalis Novarien.. Sustinent, petitionem hujusmodi juris dispositioni non adversari, quo solum casu Apostolica dispensatio difficilius concedi solet.

Putant præterea, eamdem petitionem nulli præjudicium afferre: Non Episcopo Novariensi, ejusque Curiæ; nam Episcopo jus semper erit instituendi Capellanos omnes ad Beneficium nominandos, & conferendi jure devoluto, negligentibus Patronis præsentationem: Non Incolis Granarii, quum firma remanere debeant, ac deinceps accuratissime adimplenda onera quæcunque, præsertim celebrationis Missarum, eidem Beneficio adnexa. Adduntque demum, Apostolicam, quam petunt, dispensationem utilem quam maxime futuram Hospitali, sive pauperibus infir-

mis, eorumque ſpirituali ſaluti, ut ſentit etiam Eminentiſſimus Archiepiſcopus Mediolanen. in ſuis litteris ad Sacram Congregationem miſſis.

Contra vero Promotor Fiſcalis Curiæ Epiſcopalis Novarienſis, & Comes Stephanus Lupi objiciunt primum, Deputatos Hoſpitalis legitimos non eſſe in Cauſa Contradictores, ipſiſque non aliud jus eſſe poſſe, quam reiterandi præſentationem, citato eodem Comite Lupi de Beneficio jam proviſo, ſi in ea ſunt ſententia, quod nondum elapſus fuiſſet terminus ad præſentandum tum, cum Epiſcopus illi contulit Beneficium.

Cæterum ajunt, perperam Deputatos contendere, quod pendente in Sac. Congregatione inſtantia ſuper Beneficii ſuppreſſione, & applicatione redituum non cucurrerit tempus ad præſentandum: Sacram Congregationem nil aliud Deputatis dilationem petentibus tribuiſſe, quam termini prorogationem *ad tres menſes*: his vero elapſis Beneficii collationem ad Epiſcopum fuiſſe devolutam: Hunc autem terminum finem habuiſſe die *6.* Junii, etiamſi fides haberi vellet Deputatis aſſerentibus, ipſos Beneficii vacationem ſecutam die 12. Auguſti ignoraſſe ad diem uſque *6.* Septembris, nam in ea etiam hypoteſi Epiſcopus recte Beneficium contuliſſet die 7. ejuſdem menſis Junii.

Verum nimis ſupinam aſſerunt, nimiumque affectatam eſſe Deputatorum ignorantiam de Beneficii vacatione, quum præſumi non poſſit, ipſis ignotum fuiſſe obitum in Civitate Mediolani ſequutum Beneficiati non ignobilis, & in Eccleſiaſtica dignitate conſtituti, utpote Canonici unius ex Collegiatis Eccleſiæ ejuſdem Civitatis.

Advertunt etiam, ex reſcripto S. Congregationis diei 31. Maji edicente, ut expectaretur relatio Eminentiſſimi Archiepiſcopi Mediolanenſis, fruſtra Deputatos inferre, nihil ab Epiſcopo Novarienſi potuiſſe innovari circa Beneficii collationem ſine nullitatis vitio & attentatorum nota. Ajunt enim, hujuſmodi reſcriptum ex ſtylo Secretariæ tum hujus Sac. Congregationis, tum aliarum Urbis retrotractum fuiſſe ad antecedentem Congregationem diei 31. Maji, etſi ejuſdem Epiſcopi litteræ oblatæ in eadem Secretaria non fuerint, niſi poſt diem 14. ſequentis Junii. Conſtare id aſſeritur tum ex eo, quod in dictis litteris adnotatum reperiatur reſcriptum diei 31. Maji *Expectetur relatio Eminentiſſimi Archiepiſcopi Mediolanen.* = poſtquam in illis ſignatum præcedenter jam fuerat *Nihil tranſeat*; tum ex adjectis reſcripto verbis *citetur Pars*; quod quidem addi non potuiſſet, niſi ante exhibitionem litterarum fuiſſet appoſitum *Nihil tranſeat*. Inſuper ex eo etiam idipſum deprehendi, quod in Regeſtro, ſeu Codice Secretariæ tranſcriptum appareat *Nihil tranſeat* poſt aliud reſcriptum latum ex Audientia SSmi diei 14. Junii in una *Marianen.* ad preces Antonii Fran-

Franceschi. Atque hinc inferunt, non prius fuisse appositum *Nihil transeat*, quam die 14. Junii, notatum tamen in Regestro sub die 31. Maji, ut ad præteritam ejusdem diei Congregationem referretur.

Observant demum, rescriptum injungens, ut expectarentur litteræ Eminentissimi Archiepiscopi Mediolanen., referri nequaquam posse ad prorogationem termini ad præsentandum concessi, cui provisum jam fuerat, sed relationem habere ad priorem petitionis partem respicientem Beneficii suppressionem, & applicationem redituum Hospitali Mediolani; Hoc præsertim desumi ex *Nihil transeat* apposito ad iteratas Deputatorum preces pro ulteriore termini prorogatione. Ex quibus arguitur, tempus ad præsentandum Deputatis concessum revera fuisse elapsum die 7. Junii, ac proinde Beneficii collationem ad Episcopum Novariensem jure devoluto pertinuisse.

Quo vero ad alterum dubium excipitur, Deputatorum petitioni obsistere non solum dispositionem Concilii Tridentini *Sess.* 14. *cap.* 9. *de Reform.*, sed etiam naturam Beneficii, quod quum perpetuum sit, ad nutum amovibile evaderet. Additur, plurimum ex ea lædi jus Episcopi Novariensis, cui Beneficii collatio devoluta est, tum ob nullitatem donationis Patronatus favore Jacobi Antonii Sorini expositæ, tum etiam ob nullitatem confirmationis ejusdem donationis a solo Vicario Generali absque ulla Episcopi facultate anno 1690. exaratæ, tum demum ob extinctam Patronorum lineam, ut Ordinarius Novariensis in sua relatione animadvertit.

Sacrum Concilium Tridentinum *Sess.* 14. *cap.* 9. *de Reform.* hæc habet; = *Beneficia unius Diœcesis, etiamsi Parochialis Ecclesiæ, Vicariæ perpetuæ, aut simplicia Beneficia, seu præstimonia, aut præstimoniales functiones fuerint, etiam ratione augendi cultum divinum, aut numerum Beneficiatorum, aut alia quacunque de Causa, alterius Diœcesis Beneficio, aut Monasterio, seu Collegio, vel loco etiam pio perpetuo non uniantur: decretum hujus Sanctæ Synodi super hujusmodi unionibus in hoc declarando* =. Perpendendum igitur in primis est, an in casu, de quo agitur, hujusmodi dispositio locum habeat.

Præterea inspiciendum est, an datis a Sac. Congregatione litteris sub die 1. Februarii 1766. ad Eminentissimum Archiepiscopum Mediolanen., & ad Episcopum Novarien. *pro informatione, & voto* interdictum interim remanserit Novariensi Episcopo exercitium juris conferendi Beneficium, etiamsi elapsus fuisset terminus Patronis datus ad præsentandum. In una *Asculana Beneplaciti Apostolici* quæstio erat de attentatis ex eo solum, quod lis in Sac. hac Congregatione penderet, in eaque fuisset introducta per similem Epistolam *pro informatione, & voto* Episcopo directam,

ctam. Proposito de hoc dubio die 10. Maji 1755. *An praetensa attentata sint purganda?* rescriptum fuit = *Affirmative per viam nullitatis* =

His opportune prae oculis habitis dignabuntur EE. VV. definire.

I. *An constet de nullitate collationis Beneficii, de quo agitur, ita ut sit circumscribenda in casu &c.*

II. *An, & quomodo Oratorum precibus sit annuendum in casu &c.*

Sess. 24. cap. 12. de Reformat.

ALEXANDRINA. Ad augendum cultum erga Deiparam Virginem, quae veneratur in Parochiali Ecclesia S. Mariae ab Ulmo Civitatis Alexandriae, Canonicus Jacobus Franciscus Pomeranus, eamdem Ecclesiam in Collegiatam erigi mandavit, ibique adesse voluit sex Canonicos, quos onere perpetuae residentiae gravavit, eosque servitio Chori ad divina peragenda officia addictos esse praecepit. Unicuique ex Canonicis Praebendam constituit de propriis bonis, quae accuratè descripsit in dispositione anno 1684. exarata: Rogavitque Episcopum Alexandrinum, ut ex Canonicorum coetu unum seligeret Archipresbyterum Capituli caput, & primam Dignitatem, cui Animarum cura incumberet, eique assignarentur duae ex tribus partibus emolumentorum Parochialium, tertia verò inter caeteros Canonicos divideretur. Verum id expresse cavit, ut si pro erectione Collegiatae aliqua requisita fuisset impensa, tunc Canonicatus in simplices laicales Capellanias converterentur, & Capellanis onus tantummodò inesset residentiae, ac celebrationis trium Missarum qualibet hebdomada.

Nunquam in Ecclesia S. Mariae ab Ulmo fuit erecta Collegiata, & Capellani a longo jam tempore addicti provisionaliter fuerunt Ecclesiae Cathedrali, quotidianum in ea cum caeteris de Capitulo praestantes servitium, quod etiam nunc praestant. Cum tamen nihil de distributionibus Capitularibus participent, & reditus Capellaniarum sint admodum imminuti, postulant idcirco, ut ab onere assidui, & quotidiani servitii subleventur, illudque ad dies tantum festos coerceatur.

Asserunt unicuique ex Capellanis praestitutum a Fundatore fuisse annuum stipendium in ducatonis monetae illius Regionis, respondentibus quantitati scutorum 40. in moneta Romana, eosque insuper Parochialium emolumentorum participes fieri voluisse. Adeo vero fuisse sollicitum, ne quidquam ex assignatis reditibus imminueretur, ut quamvis erectionem Collegiatae in Parochiali Ecclesia S. Mariae ab Ulmo summopere optaverit, eam tamen tunc solum fieri permiserit, quatenus sine ulla impensa potuisset obtineri.

Nunc

Nunc autem Capellaniarum reditus non leviter esse imminutos ob minorem reditum investimentorum, quæ ex veteribus Capitalibus extinctis fuerunt comparata. Ipsamet insuper capitalia in parte consumpta fuisse ex sumptibus litium actarum cum Capitulo Ecclesiæ Cathedralis, & in comparandis necessariis utensilibus occasione Sacrarum supplicationum, aliarumque functionum, quibus cum Capitulo intersunt. Hæc omnia plené omnibus esse perspecta, magisque comprobari Episcopi testimonio, cui de statu Beneficiorum suæ Diœcesis referenti, omninò sit adhærendum *Rot coram Molin. decis.* 161. *num.* 3. *to.* 1., *coram Laucett. decis.* 1220. *to.* 1. *num.* 6., *& in Recent. decis.* 460, *par.* 18. *to.* 1. *num.* 22.

Longe autem impar, & nimis grave servitium ab ipsis præstarit, dum quotidié adesse adiguntur Cathedrali Ecclesiæ nunquam designatæ a Fundatore, qui decori Parochialis Ecclesiæ S. Mariæ ab Ulmo unicé prospexit. Animadvertunt insuper Capitulum Cathedralis, præter sex alios Capellanos, constitui ex octo supra viginti Canonicis Choro inservientibus, ut proindè ex Capellanorum absentia nullum detrimentum Divinus cultus patiatur, & propterea petitæ modificationi etiam ex verosimili Fundatoris mente sit indulgendum, *ad Text. in leg. In obscuris ff. de regul. jur.*, *Altograd. sen. cons.* 89. *num.* 7., *Mantic. de coniect. lib.* 6. *tit.* 11. *num.* 13. Adduntque residentias juxta communem DD. sententiam intelligendas esse causativas, & correspondentes fructuum assignationi, ut ait *Butrius in cap. final. de cleric. non residen. num.* 7., *Rot. coram Bich. decis.* 13. *num.* 8., *& coram Cavaler. decis.* 551. *num.* 6. Atque hinc inferunt, quod cum Fundator onus residentiæ demandaverit, & respectivam congruam, seu stipendium assignaverit, locus esse debeat reductioni, quoties de stipendii diminutione constiterit.

De hodierno statu Capellaniarum, earumque redituum imminutione, Episcopus hæc habet = *Oratorum Capellaniæ recenseri posse videntur inter non pauca in hac Civitate, & Diœcesi nostris temporibus instituta beneficia, quæ titulis quidem grandiuscula sunt, reditu tamen perexigua, & oneribus præter modum gravata, quæ propterea, quoniam ut plurimum eorum onera negliguntur, Clerico non solamen, sed laqueum damnationis evadunt* = Deinde post accuratam rerum omnium relationem, quæ circumfertur, petitæ reductioni annuendum censet hoc modo = *Primo, ut sex Capellani Oratores teneantur residere, ut antea omnibus, & singulis festis diebus de præcepto, quatuor postremis majoris hebdomadæ diebus, & quotiescumque Episcopus Cathedralem Ecclesiam adeat aliquam obiturus sacrarum Functionum. Secundò debeant interesse Processionibus generalibus, & particularibus Ecclesiæ Cathedralis, ut hactenus consueverunt. Tertio, ut quamvis ex privilegio, & erectio-*

ctione duos menses æque ac Canonici a residendo hactenus iis vacare licuerit, inposterum tamen nulla prorsus vacatione fruantur. Quarto, ut octo scuta ad distributiones destinata deinceps fideliter distribuantur iis, qui divinis officiis, & Processionibus sedulo interfuerint diebus festis, aliisque, ut supra, assignatis, ut hoc pacto per pinguiores distributiones solliciti magis reddantur ad munus suum in residendo obeundum. Quinto, ut si augeri contigerit reditus dictarum Capellaniarum usque ad summam quadraginta scutorum monetæ Romanæ, detractis tamen Missarum oneribus, quæ summa juxta praxim hujus Diœcesis, & Institutionum Benedicti fel. mem. PP. XIV. pro his ditionibus anno 1742. emanat. Clerici titulo constituendo par est, integrum sit Episcopo Oratores, vel eorum Successores quotidianæ rursus, ut antea, residentiæ adigere.

Perpendendum, quod Canonici, aliique servitio Cathedralium, aut Collegiatarum Ecclesiarum addicti, singulis diebus Choro interesse debent, & horas Canonicas quotidiè psallere juxta *Text. in Cap. Licet de Præben.*, *in Cap. Inter quatuor*, *& Cap. final. de Cleric. non residen.*, & disponit *Sac. Concil. Tridentin. sess. 24. cap. 12. de Reform.* Verùm sæpius Sac. Congregatio in nonnullis Ecclesiis, attenta præsertim proventuum tenuitate, concessit, ut illarum Canonici, & Capitulares per turnum, sive, ut ajunt, per hebdomadas Choro, & Ecclesiæ inserviant, immo etiam, urgente summa inopia, Chori servitium ad certos dies coerceri permisit, ut sunt exempla in *Cathacen. Servitii Chori 5. Decembris 1699.*, *in S. Severinæ 13. Julii 1725.*, *in Casemar. 30. Julii 1735.*, *& in Tranen. 22. Novembris 1738.*

His igitur perspectis dignabuntur EE. VV. decernere.

An, & quomodo reducendum sit servitium Chori in casu &c.

Sess. 21. cap. 8. & 9. de Reform.

VITERBIEN. CAPELLANIÆ. De natura, & oneribus Capellaniæ fundatæ Anno 1426. a Sernutio Ciccolini sub invocatione Conceptionis B. Mariæ Virginis in Ecclesia Collegiata SS. Faustini, & Jovitæ Civitatis Viterbien. actum est in Congregatione *diei 30. Maji mox elapsi*, qua novem proposita fuerunt dubia = I. *An Capellania fundata in Ecclesia Collegiata SS. Faustini, & Jovitæ Viterbien. a quondam Sernutio Ciccolini sit manualis, & ad nutum Sanctesium Patronorum amovibilis, vel potius perpetua*: II. *An, & quot Missas debeat annuatim celebrare Capellanus dictæ Capellaniæ*. III. *An Capellanus pro tempore dictæ Capellaniæ teneatur ad servitium, & assistentiam Chori in divinis Officiis*. IV. *An administratio bonorum dictæ Capellaniæ spectet privative ad Sancteses, vel potius ad Capellanum pro tempore ejusdem Capellaniæ*: V. *An ad Capellanum spectent omnes reditus pro dote dictæ Capellaniæ a Testatore relicti, seu potius in qua summa sit taxanda annua congrua Capellani*: VI. *An, &*

quis

quis teneatur annuatim solvere Capitulo SS. Faustini, & Jovitæ utensilia Missarum, & in qua summa: VII. *An eidem Capellano, quamvis non invitato, competat jus interessendi una cum Capitulo dictæ Ecclesiæ Collegiatæ associationibus Cadaverum, & funeribus, & respective participandi de eorum emolumentis, & quomodo, & in qua parte, & quatenus affirmative*: VIII. *An Capitulum teneatur reintegrare hodiernum Capellanum de præteritis emolumentis*: IX. *An ad expensas præsentis litis, quoad Capellanum, & Capellaniam, teneatur Capitulum, sive Sanctesses, vel potius sint faciendæ ex reditibus Capellaniæ*.

Rescriptumque fuit:= *Ad* I. *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam, & ad mentem: & mens est, quod resolutio habeat locum pro futuris vacationibus facto verbo cum Sanctissimo*: *Ad* II. *Teneri ad celebrationem Missæ quotidianæ, & amplius*: *Ad* III. *Affirmative, & amplius*: *Ad* IV. *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam, & amplius*: *Ad* V. *Non spectare, nisi congruam ad rationem scut.* 50., *& amplius*: *Ad* VI. *Utensilia esse subministranda per Sanctesses ex fructibus Capellaniæ*: *Ad* VII. *Negative in omnibus, & amplius*: *Ad* VIII. *Negative, & amplius*: *Ad* IX. *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam*=. Viden folium *diei* 4. *mensis Aprilis*, quo late facti species habetur.

Conquestus est Floridus Mancini hodiernus Capellanus de rescriptis editis ad VI., & IX.; ac quoad hæc obtinuit facultatem iterum jura sua deducendi. Silente adhuc Capellano, ac instantibus Capitulo dictæ Ecclesiæ Collegiatæ, ac Sanctesibus ejusdem Parochiæ de prædictis duobus Dubiis repetitur examen.

Regeritur *ad VI. Dub.*, omnes Capellanos ex juris dispositione teneri ad utensilium solutionem, *Amostaz. de Caus. piis lib.* 2. *cap.* 4., *Rot. coram Ansaldo decis.* 487. *num.* 10., etiamsi sacrarium dives sit, *Sac. Congreg. in Camerinen. Utensilium* 9. *Septembris* 1741.: illam demandatam fuisse in pluribus Episcoporum Visitationibus, & tum ab Antecessoribus, tum ab hodierno Capellano præstitam fuisse; in discrimen proinde revocari non posse: Quantitatem vero pro Sacris utensilibus statutam esse *in Synodo Viterbien. tit.* 3. *cap.* 3. *§.* 6. ad ratam unius obuli pro quolibet sacro.

Perperam vero hodiernum Capellanum confugere ad prætensam Concordiam, qua ab Utensilium onere unica solutione scut. 30. se exemisse contendit; advertitur enim, non aliter illam probari, quam Testibus extrajudicialibus, qui de mero tractatu, non de inito contractu deponunt: eam insuper inscio Capitulo, & Sanctesibus administratoribus Capellæ asseri factam cum Fabromurario nullum jus habente eximendi ab Utensilibus: Ac demum utpote beneplacito Apostolico destitutam in nullo pretio esse habendam, *Rot. in Lycien. Associationis, & Immissionis* 4. *Julii* 1755. *§.* 4. *cor. Emo Molino*.

Ad IX. repetitur, litem actam fuisse, ut exequutioni mandaretur Testatoris voluntas, quæ vel temporum injuria, vel Capellanorum studio, vel Sanctesium negligentia despecta fuerat: expensas proinde litis ex reditibus hæreditatis Testatoris Capellaniæ assignatis detrahendas esse, *Rot. in Calaguritana Capellaniæ super sumptibus litis* 4. *Julii* 1732. *§. Certum cor. Millino*.

Additur demum, Capellano assignatum fuisse tantum stipendium annuorum scut. 50., Utensilium vero solutionem, ac expensarum litis refectionem subeundas esse a Sanctesibus Patronis ex residuis Capellæ fructibus: nihil proinde Capellano detractum fuisse, ac injuria, & absque ullo proprio interesse hodiernum Capellanum judicium Sac. Congregationis impugnare.

Quæritur:

An sit standum, vel recedendum a decisis quoad VI., & IX. Dub. in casu &c.

Sess. 24. cap. 3. de Reform.

VITERBIEN. JURIS ELIGENDI. Eadem Capellania, de qua in præcedendi Causa, instituta Anno 1426. a Sernutio Ciccolini cum reservatione administrationis bonorum, ac Jurepatronatus favore Sanctesium curam habentium fontis extructi in Parochia SS. Faustini, & Jovitæ Viterbien:, non levem excitavit controversiam inter Eminentissimum Episcopum, Capitulum, & Parochum Ecclesiæ Collegiatæ, & Parochialis SS. Faustini, & Jovitæ ex una, & Parochianos ejusdem Parochiæ ex altera partibus super jure, & modo eligendi dictos Sancteses. Hinc in Congregatione *diei* 30. *Maji proxime elapsi* quinque proposita fuerunt Dubia: = I. *An, cui, & quomodo competat electio Officialium, vulgo Sanctesium, in Parochia Ecclesiæ Collegiatæ S. Faustini, & quatenus spectet ad Parochianos, & Parochum*: II. *An, & quam vocum ratam habeant sive Parochus, sive Parochiani, & in casu discordiæ votorum, ad quem devolvatur electio*: III. *An, & qua die electio ista facienda, & respective publicanda sit*: IV. *An eadem electio possit ad libitum eligentium fieri anno sequenti sive unius, sive utriusque ex Sanctesibus, qui officium exercuerant anno præcedenti*: V. *An edicta, seu notificationes affixæ ad eligendum Sancteses, & Parochianorum coadunatio cum subsequta electione facta in Conventu Regularium substineantur*. =

Rescriptumque fuit: *Ad* I. *electionem competere Parochianis una cum Parocho*: *ad* II. *Parochum unam tantum vocem habere, cæteras Parochianos, & in casu discordiæ, prout de jure, ad Judices suos*: *ad* III. *In festo SS. Innocentium*: *ad* IV. *Arbitrio eligentium*: *ad* V. *Affirmative* =. Viden folium *diei* 4. *præcedentis Aprilis*, quo integra facti species habetur.

De

De resolutis ad I. II., & V. Dub. queruntur Eminentissimus Episcopus, Capitulum, & Parochus SS. Faustini, & Jovitæ, ac beneficio novæ Audientiæ implorato, postulant, ad I. responderi *prævio recessu a decisis electionem competere Canonicis Curatis, & Capitulo*, vel saltem, *ad D. Secretarium pro concessione litterarum remissorialium ad effectum examinandi Testes super consuetudine eligendi*: ad II. *provisum in primo*: *Ad V. prævio recessu a decisis, Negative*.

De I. inquiunt, ex immemorabili consuetudine Sanctesium electionem a Parochis semper expletam fuisse: id abunde probari ex antea deductis testimoniis Parochorum Civitatis Viterbii, Vicarii Curati Ecclesiæ Cathedralis, viginti Parochianorum aliarum Parochiarum, seniorum Parochianorum Parochiæ SS. Faustini, & Jovitæ: ex retractatione Testium a Parochianis adductorum, & ex Sac. Visitatione Card. Sanctecrucis Anni 1702.; hanc autem vetustissimam, ac immemorabilem consuetudinem religiose esse servandam *Leg. Vetustissima Cod. de jur. dom. impetr., Cap. fin. de consuet.*

Maxime quia nulli juris dispositioni, vel legi scriptæ adversatur, *Rot. cor. Falcon. de union. decis. 6. n. 17., & in Barchinonen. Jurium Parochialium 13. Januar. 1730. §. 10. cor. Aldrovando*; quia agitur de re minimi momenti, *Rot. in Gerunden. Servitutum super bono jure 23. Februarii 1731. §. Nihilominus coram Cincio, & in Salamantina Juris recipiendi servitium super bono jure 13. Junii 1732. per tot. coram Eodem*; & quia demum in materia electionum potissimum locum semper sibi vindicat consuetudo, etsi non immemorabilis, *Rot. in Majoricen. Electionis Procuratoris 10. Maji 1741. §. 6. coram de Thunn, & in Leodien. Juris Eligendi 4. Julii 1766. coram Azpuru*.

Ambigi ideo non posse, virtute immemorabilis consuetudinis jus eligendi Sancteses Parocho una cum Capitulo SS. Faustini, & Jovitæ addicendum esse, quum neminem lateat, eam esse immemorabilis vim, ut etiam quamcunque juris resistentiam vincat: exempla præsto esse in præscribenda vel jurisdictione Episcopali, *Rot. in Ravennaten., seu Ferrarien. Jurisdictionis 28. Junii 1728. §. Pro eo coram Aldrovando*, vel Juribus Regalibus, *Larrea alleg. 69. n. 3., Rosa consult. jur. 12. num. 21.*, vel decimis Parochialibus, In *Rot. in Posnanien. Decimarum 22. Aprilis 1701. §. Ipsis coram Dell'Olmo, & in Pulentina Decimarum coram SSmo decis. 112.* aliisque quamplurimis.

Injuria vero tot testes immemorabilem consuetudinem evincentes de mendacio redargui; Ajunt enim, suspicionem omnem tolli ex eorumdem numero, qualitate, & probitate, illamque adminiculari a Sac. Visitatione Anni 1702. Card. Sanctecrucis. Cœterum ad omnem suspicionis umbram diluendam libenter Testes submittunt formali

examini, tum ut ab injusta nota eximantur, tum ut rei veritas magis magisque elucescat.

Hinc spernendas esse subdunt probationes omnes a Parochianis antea deductas, quum pauci contrarii Testes seducti, ac decepti fuerint, & fere omnes sese retractaverint. Parochos S. Andreæ, & S. Mariæ de Podio nihil de Sanctesium electione deposuisse: nullibi in Sac. Visitationibus Annorum 1622. 1663. 1720. verba haberi de electione Sanctesium a Parochianis habenda: demum unicam electionem Conservatorum Civitatis factam Anno 1611. statum pro hodierna quæstione nunc non posse præbere, maxime quia ea unica electio continet Sanctes aliarum Parochiarum, non illos Parochiæ SS. Faustini, & Jovitæ.

Hinc concludunt ad II. inaniter agi quæstionem de quota vocis Parochianis addicenda, statim ac eis nullum jus electionis competere constat; itemque ad V. arguunt, nulliter Parochianos S. Faustini edicta, seu notificationes ad eligendum affixisse, nulliter se convocasse ad eligendum, ac subsecutam electionem aperto nullitatis vitio notatam esse.

A Parochianis adhuc libellum non habuimus. Proponitur.

An sit standum, vel recedendum a decisis quoad I. II., & V. Dub. in casu &c.

Die

Die Sabbathi 21. Novembris 1767. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

PRima ex infra descriptis Causis refertur in folio diei 29. superioris Augusti; Eam consequuntur aliæ quinque, quas exhibet folium alterum Typis editum pro Congregatione diei 19. proximi mensis Septembris. Quapropter EE. VV. rogantur folium utrumque resumere, & de iisdem causis, aliisque ex ordine postea hic transcriptis sapientissimum de more proferre judicium.

FOROLIVIEN.

An Mansionarii, de quibus agitur, teneantur canere in cantu figurato, seu potius in cantu Gregoriano, in casu &c. — *Sess. 22. de obser., & evitan. in celebrat. Miss.*

Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

BARCHINONEN.

An, & quomodo liceat Elisabeth religiosum habitum suscipere, & Regularem professionem emittere, in casu &c. — *Sess. 24. cap. 1. de Reform.*

Pro gratia admissionis ad Habitum, & Novitiatum, & ad Professionem non admittatur, inconsulta Sac. Congregatione.

MEDIOLANEN., SEU NOVARIEN.

I. *An constet de nullitate collationis Beneficii, de quo agitur, ita ut sit circumscribenda in casu &c.* — *Sess. 23. cap. 4. de Reform.*

II. *An, & quomodo Oratorum precibus sit annuendum in casu &c.*

Ad I. Affirmative, & amplius. Ad II. Negative, & amplius.

Sess. 24. cap. 12. de Reform.

ALEXANDRINA.

An, & quomodo reducendum sit servitium Chori, in casu &c.

Dilata, & firmetur Status.

Sess. 22. cap. 8. & 9. de Reform.

VITERBIEN. CAPELLANIÆ.

An sit standum, vel recedendum a decisis quoad VI., & IX. Dub., in casu &c.

In decisis, & amplius ad utrumque.

Sess. 24. cap. 3. de Reform.

VITERBIEN. JURIS ELIGENDI.

An sit standum, vel recedendum a decisis quoad I. in casu &c.

Dilata, & dentur Literæ Remissoriales, & Compulsoriales.

Sess. 24. cap. 1. de Reform.

LUCANA NULLITATIS MATRIMONII. Fulvia Cæcilia Sinibaldi, post annum ab inito cum Blasio Torre conjugio, domum deseruit maritalem, & querelam in Curia Ordinarii Lucen. instituit de nullitate Matrimonii, quod consistere non posse contendit, quia Blasius ad explenda maritalia munera sit invalidus, & ineptus *ob ejus naturalem, & perpetuam impotentiam*. Quum Vir autem ex his quædam inficiaretur, hinc datis positionibus, ac responsionibus, examinatis Testibus, paratis balneis, ac medelis, corpore mulieris inspecto, aliisque factis experimentis, die 18. Julii 1764. lata fuit sententia definiens, *matrimonium fuisse, & esse usque ab initio nullum, & irritum ob perpetuam, & absolutam impotentiam Blasii.*

Ex notissima *Benedictina Constitutione* Causa venit ad hanc Sacram Congregationem, propositoque, *An sit locus dissolutioni Matrimonii*, rescriptum est die 19. Julii superioris anni 1766. *Dilata, & fiat recognitio corporis Viri*. Ad hanc autem duobus Medicis, & Chirurgis adhibitis, iisque instante Defensore Matrimonii formaliter examinatis, modo res re-

reproponitur, & Fulvia iterum postulat, ut Matrimonium nullum declaretur, & irritum.

Triplicem, inquit, esse impotentiæ speciem: aliam *evidentem*, quæ ex visibili vitio elucescit, ac subitam exposcit matrimonii dissolutionem: aliam *verosimilem*, quæ ex indiciis moraliter certis, utcunque non manifestis resultans, statim locum facit dissolutioni, si juramentum Conjugum, & septimæ manus propinquorum accedat: aliam vero *dubiam*, quæ solis nititur præsumptionibus, & ex ea nonnisi præmisso triennalis cohabitationis experimento matrimonium dissolvi, *Ursay. discept.*13.*n.*31.*par.*1.*tom.*1., *& Constant.vot.ult. tom.*5.*§.*20.

Blasium vero, si non evidenter, morali saltem certitudine esse impotentem: ipsum enim flaccido corporis habitu præditum, toto conjugii tempore ad Venerem ineptum fuisse: in judicio vocatum allegasse dumtaxat spem futuræ potentiæ ope thermalium aquarum; ab his postea abstinere tentasse, & nonnisi cogente Judice illorum subiisse experimentum: in nihilo ex iis validiorem fuisse effectum: denegasse inde, spretis Judicis decretis, sui corporis inspectionem; hac tandem facta jubente Sacra Congregatione, apertum reddi, ipsum ex intrinseco perpetuo vitio inertem esse, & prorsus invalidum.

Ambigi idcirco non posse de impotentia verosimili, & moraliter certa, quam comprobat evidentia facti, certoque unisone affirmarunt Periti numero plures, formiterque examinati, *Rot.ad Ornat.Card.de Luc. decis.*11.*num.*13.*lib.*14. *de Matrimon.* accedente præsertim integra adhuc, & incorrupta Fulviæ virginitate, ac univoca confessione tum utriusque Conjugis, tum septimæ manus Propinquorum, *Mascard.de probat.conclus.*888.*num.*11., *Ann.Robert.rer.judic. lib.*4.*cap.*10., *Ursay.to.*6.*par.*1.*disput.*7. *n.*45., *& Rot.ad Ornat. Card.de Luca d.dec.*11.*num.*16.

Hinc extraneam nunc esse concludit triennalem cohabitationem, statim ac ex Peritorum judicio, ex frustra adhibitis medelis, ex comperta Mulieris integritate, & ex confessione utriusque Conjugis, & septimæ manus Propinquorum constat de verosimili perpetua impotentia, *Pirinch. in Jus Canon. lib.*4.*tit.*15. *sect.*3. §.3. *not.*4., *Rot. post Zacch. quæst. med.legal. dec.*7. *num.*23. Ne alias cum gravi animarum periculo inutile fiat experimentum ejus Viri, cujus ob grandævam 50. annorum ætatem vires magis magisque de die in diem decrescunt, absque spe, quod beneficio temporis robustiores, ac viridiores efficiantur, *Schemier in Jus Canon. lib.*4. *tract.*3. *cap.* 2. *sect.* 2. §.6. *num.*249., *& Rot. d.decis.*11. *lib.*14.*de Matrim.num.*18.*ad Ornat.Card.de Luc.*

Contra inquit Defensor Matrimonii, Conjugii fœdus non aliter, quam concludenter probato perpetuo, & absoluto impotentiæ vitio, dissolvi posse, *Cap.*1. *de frig. & malefic.*, *San-*

*Sanchez de Matrimon. lib.7. disput.*107., *& Rot. post Zacch. quæst.med.legal. decis.7. per tot.* Constare autem ex Peritorum judicio, nullum exterius vitium patere, omniaque rite, recteque a natura conformata esse: deesse proinde certam probationem perpetuæ, & absolutæ impotentiæ, *Augen. Epist. consult. Med. pag.*111., *Zacch. quæst. Med. leg. dec.*14. *num.*4.

Spernenda hinc esse quælibet Peritorum ratiocinia, nullo vitio visibili, nullisque certis signis, ac evidentibus argumentis innixa: nihil concludere Mulieris integritatem, quum certa ex ea non deducatur impotentia Viri perpetua, & absoluta: demum ad naturalem Mariti pudorem, & verecundiam referendam esse eam circumstantiam, quod Periti in actu recognitionis corporis Viri inertem perspexerint, & veluti immortuam ejus partem, *Ann. Robert. de reb. judicat. lib.*4. *cap.*10. *pag.*795. *§. Sed quæ, & Zacc. quæst. Med. leg. lib.*3. *tit. primo quæst.*5. *num.*58. *versic. Verecundia num.* 61.

Hinc ait, omnem abesse probationem impotentiæ vel evidentis, vel verosimilis, & ad summum conjecturalem concipi posse, proindeque esse necessario præmittendam triennalem cohabitationem, *Cap. fin. de frig. & malefic.*, *Ponte de Matrim. lib.6. cap.56. num.*2., *Rot. cor. Seraph. dec.*687. *num.*1., *& cor. Burat. dec.*763. *num.*12.

Matrimonium *unum ex septem legis Evangelicæ Sacramentis a Christo Domino institutis* est plane suapte natura indissolubile. Disjungitur quidem ex impedimento, quod ad illud consumandum in altero ex Conjugibus adfuerit, ac perpetuum, & insanabile sit futurum, ob defectum consensus, sine quo matrimonium esse non potuit, & cujus ratione mulieri dicere licet, *volo esse mater, volo filios procreare, & ideo Maritum accepi; Sed Vir, quem accepi, frigidæ naturæ est, nec potest illa facere, propter quæ illum accepi*, sunt verba Textus *in cap.*1. *de frig. & malef.*

Verum impedimenti probatio aut ab initio certa est ex vitio aliquo, quod corporeis oculis cernitur, atque hoc ex judicio Peritorum irreparabile, ac perpetuum, & tunc nihil ultra expectandum est, ut judicium statim pro nullitate feratur, *Alexand. III. in cap.*2. *&* 3. *de frig. & malef.*

Aut irrelevans ab initio detegitur impedimenti probatio, ac injusta querela, & in hoc casu Sacra Congregatio in ipso litis vestibulo judicium delevit, neque ultra protelandas querelas permisit, ut in *Plocen. nullitatis Matrimonii* 2. *Aprilis* 1745., *in Fanen.* 10. *Febr.* 1755., *& in Reatina* 1. *Febr. anni elapsi*.

Sin vero dubia est probatio, tunc ea experimenta, inquisitiones, & cautiones quæsitæ sunt, quæ rem facerent verosimiliter evidentem, quantum fert humana cognitio. Potissime autem injungi consuevit triennalis cohabitatio, quæ

quæ si deest impotentia certa, nunquam est prætermissa, ut in *Mediolanen. Matrimonii* 14. *Decembris* 1729., *in Sancti Severini Matrimonii* 11. *Januarii* 1738., & 24. *Septembris* 1740., *in Narnien. Matrimonii* 27. *Augusti* 1746., *in Valentina nullitatis Matrimonii* 24. *Augusti* 1754., & *in Amalphitana Matrimonii* 2. *Aprilis* 1757.

Hisce præhabitis, dijudicent EE. Patres assueta maturitate, perpensis Peritorum relationibus, aliisque probationibus inter monumenta Causæ adductis, an impedimentum sat, superque probatum sit, ac dignentur respondere.

An sit locus dissolutioni Matrimonii, in casu &c.

Non proposita, cum sequentibus.

GADICEN. In Cathedrali Gadicensi Ecclesia una fit Massa ex Frumento, Vino, Oleo, aliisque fructibus, qui percipiuntur nomine Decimarum. Hi convertuntur ex specie in pecuniam. Hinc invaluit forsan consuetudo, ut non anno eorum collectionis, sed altero, qui insequitur, distribuantur inter Dignitates, Canonicos, aliosque Capitulares, & si contingat, ut ex his quisquam interim vita decesserit, retracti pretii participes fiant ejus hæredes. *Sess. 24. cap. 12. de Reform.*

At si ipsius pretii pars aliqua venire nequiverit eo anno in divisionem ex impedimento vel non reperti Emptoris, vel non factæ exactionis, aut ex alia causa, iidem hæredes non admittuntur amplius ad comparticipationem ejusdem partis, cui nomen tribui solet fructuum antiquatorum, sed ea postea dividitur inter Capitulares tantùm actu existentes, qui contra obligantur solidum restituere ejus summæ, quæ in antecessum vel excessivé, vel minus rectè fuisset jam distributa, & ab onere contribuendi in restitutionem immunes evadunt hæredes Capitularium defunctorum, qui eam summam percepissent.

Hæc quum sit illius Ecclesiæ inveterata consuetudo, sicuti a Promothore Fiscali Regii Ærarii pluribus ab hinc annis excitata fuit quæstio super nonnullis Decimis novalibus tum contra Gadicensem, tum contra alias Hispaniæ Ecclesias, unde evenit, ut Decreto Judicis ad eam quæstionem delegati suspensa remanserit ab anno 1758. Decimarum perceptio; ita extincta nunc lite jussu Serenissimi Catholici Regis, restitutaque Ecclesiis possessione, ac libertate perceptionis, dubitatio orta est, an Decimarum ab eo anno non distributarum, quarum valor 150. millia

Velionensia Regalia excedit, participes fieri debeant hæredes Capitularium interea temporis defunctorum? Quare Decanus, & Capitulum stante non modica ipsius valoris quantitate, sententiam Sac.Congregationis super infrascriptis quæsitis efflagitant.

Ad primum ajunt, consuetudinem, ut legem servandam esse. Quum ergo mos vigeat in Gadicensi Ecclesia addicendi reditus antiquatos Canonicis actu existentibus, nulla ratione habita de hæredibus illorum, qui tunc inserviebant, quum percipi debuissent; asserunt, hunc custodiendum ad tradita per *Menoch.consil.*349. *num.*15., *Rot.dec.*185. *num.*4.*part.*5.*Recent.*, eo vel maxime, quod juri conformis inveniatur. Fructus enim præteritorum annorum non jam inter antiquos, bene vero inter existentes Canonicos sunt dividendi, *Garz. de Benefic. par.*3. *cap.*2. *num.*429. Idque sine dubio eo magis obtinet, quum reditus pertinent ad communem Massam, & Capitulum collective sumptum, sicuti in præsenti casu contingit, uti ad rem *Calderin.consil.*21. *de Præbend.*

Idque eo argumento confirmant, quod sicuti Canonici Massam habentes communem, oneri subsunt restitutionis emolumentorum, quæ antecessores percepere, si id fieri debere contingat, quin ad eam adigantur defunctorum hæredes; ita æquum sit, ut Canonici tantum efformantes Capitulum sentiant commodum illud, quod eidem Capitulo interea accrescit: qui enim damnum experitur, ad lucrum admittatur ex æquo necessum est, *Rot.dec.*1249.*num.*8.*coram Emerix jun.*

Ad posterum dubium inquiunt, eamdem consuetudinem ad Decimas etiam Novales, de quibus agitur, protendi, quum nulla dispar militet ratio: esse proinde eodem modo distribuendas, non obstante quod fructus antiquatos in valore excedant, quia merum hoc accidens est speciem non immutans. Contendunt enim, judicii rationem ex pervetusta consuetudine juri conformi non ex majori, vel minori quantitate fructuum pendere.

Quum consuetudinis, usûsque longævi non sit levis auctoritas, & plerumque discordiam pariant novitates, ut ait Honorius III. *in Cap. Cum Consuetudinis* 9. *de Consuet.*; ac in civilibus etiam rebus, cum deficit lex, istius suppleat vices, sicuti Tertullianus *in lib. de cor. Milit.* testis est; hinc valde convenit, ut de peculiaribus quoque consuetudinibus, quæ ab antiquo tempore in Diœcesi, ac regione receptæ, & justis de causis tolleratæ, & adprobatæ noscuntur, diligens ratio habeatur, nec adversus eas imprudenter quidquam agatur. Recte proinde Sacra Congregatio anno 1682. die 14. Novembris, sicuti quærebatur, an quædam consuetudo, licet diversæ ab ea, de qua sermo est, speciei, tollerari posset in Civitate Malacitana, ita Episcopo re-

rescripsit, ut de moribus vigentibus in Regno Granatæ, in quo eadem Civitas sita reperitur, se ipsum diligenter edoceret, probe considerans, non esse immaturo, & præpropero Decreto præcidendam consuetudinem alicubi ex rationabili causa communiter receptam, ut testatur *sa. mem. Bened. XIV. de Syn. Diœc. lib.* 11. *cap.* 5. Evidens vero utilitas, vel alia causa subsit necessam est, ut ab eo, quod diu æquum visum est, per novam Constitutionem recedatur, quemadmodum ex verbis *Bened. XI. in Extravag. I. de Privil.* colligere licet.

Illud tamen advertendum, nullam consuetudinem contra legem vel naturalem, vel Divinam positivam posse subsistere, *ex D. Th.* 1. 2. *quæst.* 97. *artic.* 3., *& ex cap. Cam tanto* 11. *de Consuet.*. Quare S. Isidorus *lib.* 2. *de Synon. cap.* 16. *circa med.* miram hanc profert sententiam: *Usus auctoritati cedat: pravum usum lex, & ratio vincat* =, & scite de more S. Augustinns *in Epist.* 14. *ad Januar.*, de ijs, quæ per regiones variantur agens, dicit: = *Nec disciplina ulla in his melior gravi, prudentique Christiano, quam ut eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam, ad quam forte devenerit. Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores esse convincitur, indifferenter est tenendum, & propter eorum, inter quos vivitur, Societatem servandum est*.

Observandum ergo, an ea, de qua in præsentiarum judicium ferendum est, in nullo jus lædat alterius, injustitiamque contineat, vel potius rationi, ac æquitati sit consona: Opportune hic animadverti potest, non agi de de fructibus Præbendarum, & neque de distributionibus quotidianis, quæ pro ratione servitii tribuuntur. De fructibus potius agitur, qui dividuntur ratione Beneficii, nullo prorsus habito respectu ad servitium, & sunt reditus Capitulares, qui æquis portionibus distribuuntur inter viginti Præbendas, ut asseritur in libello porrecto:

His ergo stantibus ab EE. VV. declarandum petitur.

I. *An Consuetudo dividendi inter præsentes fructus antiquatos, seu restitutos servanda sit in casu &c.*

II. *An hujusmodi consuetudo sit servanda quoad Decimas Novales ab Anno* 1758. *suspensas, & deinde exactas in casu &c.*

FULDEN. Cum san. mem. Benedictus XIV. datis 3. nonas Octobris anni 1752. Apostolicis Literis, Abbatialem Ecclesiam Fuldensis Monasterii Ordinis S. Benedicti in Cathedralem, ac Episcopalem erexerit, & pro tempore existentes Monasterii Abbates declaraverit in veros Præsules, & Episcopos, sollicitus de Regulari Capitulo iisdem *Sess.* 24. *cap.* 11. *de Reform.*

assignando, statuit, ut istud ex quatuordecim, vel quindecim Monachis professis ejusdem Ordinis componeretur, videlicet ex Decano, prima, atque unica post Abbatialem Dignitate, cui perpetuo adnexa est Præpositura S. Andreæ prope Fuldam; ex octo Præpositis degentibus in octo Monasteriis, seu Præposituris ejusdem Ordinis a primo dicto tamen Monasterio dependentibus; ac demum ex aliis quinque, vel sex Monachis non Præpositis, quorum unum apud dictum Decanum, reliqui verò cum ipsis Præpositis tanquam illorum Socii, & Commensales respectivè commorarentur.

Ad hoc tamen, ut ipsi Ecclesiæ in Episcopalem erectæ splendidiori decore inserviretur, hanc residentiæ legem dictis Capitularibus imposuit, ut nimirum *quinque ex octo Præpositis alternatim per integrum mensem quolibet anno, reliqui autem quatuor, vel quinque Monachi Capitulares pro tempore existentes, hujusmodi etiam alternatim per integros sex menses [nisi aliter tam quoad octo Præpositos, quam alios Capitulares non Præpositos Monachos præfatos super residentia hujusmodi ab Apostolica Sede dispositum fuerit] eorum respectivè residentiam apud eamdem Ecclesiam adimplere respective teneantur.*

Deprehendit Episcopus, & Abbas Fuldensis hujusmodi residentiæ normam pluribus ex capitibus detrimento esse Monasterio, Præposito, & domestico Regulari Ordini, ac disciplinæ. In sua idcirco Sacrorum Liminum Visitatione anni 1765. preces obtulit Summo Pontifici, ut residendi tempus aliter definire, & ad breviores terminos reducere dignaretur. Incommoda hæc esse dicuntur; nimirum Præpositos haud parum distare ab Ecclesia Cathedrali: Quamvis enim eorum unus jactu dumtaxat lapidis distet, duo autem ex illis itinere unius tantum horæ, duos tamen alios abesse 4. milliaribus Germanicis, 56. Italicis. Rursus, plerasque Præposturarum Ecclesias esse etiam Parochiales, quas licet Præpositi per Socium sui Ordinis ritè approbatum administrent, iidem tamen Præpositi eorum, quæ divinum cultum spectant, potiorem gerunt curam, potioremque Divinorum Officiorum partem in dictis suis Ecclesiis obire solent. Hinc necessario sequi, ait, ut diuturniori Præpositorum absentia, & Divinus in iis Ecclesiis imminuatur cultus, & animarum cura Præpositorum regimini concreditarum negligatur simul cum illa rei familiaris.

Hæc inspectis Præpositorum Personis. Quoad Capitulares verò non Præpositos, qui cum illis commorantur, observandum proponit, præscriptam residentiæ legem plurimum afferre incommodi tum Capitularibus ipsis, Præpositis, ac Præposturarum Ecclesiis ob non modicam a Cathedrali distantiam, & diuturnius absentiæ tempus; tum Monasterio Fuldensi S. Salvatoris, in quod transfertur onus hospitii,

tii, victusque iisdem Capitularibus præstandi, præter non modicam perturbationem domestici Ordinis, ac disciplinæ, quæ eodem in Monasterio Fuldensi servatur.

Subjungit autem, eo etiam non servato residentiæ modo, qui in erectionis Bulla statuitur, semper tamen futuros Capitularium aliquos, qui Fuldensi in Monasterio resideant, ac præsto sint ad quæcumque negotia, interdum etiam subitanea, quæ sint capitulariter tractanda. *Nam primum* inquit *Decanus Capituli continuo fere residet, ae præsens est, quemadmodum & unus, alterve ex Capitularibus non Præpositis, qui una cum Conventus superiore præfato, continuam faciunt residentiam. Deinde qui ex Præpositis sunt proximiores, minusque distant, si quid extra ordinem emergat, facile possunt convocari. Ex vetustis præterea Constitutionibus, quatuor per annum vicibus, singulo nempe trimestri, omnes de Capitulo, nisi qui legitimè impediatur, Fuldam solent, ac tenentur convenire, de rebus statum Patriæ publicum concernentibus potissimum tractaturi. At enim hic eorum Conventus paucorum solet esse dierum, quibus elapsis mox illi ad suas redeunt Præposituras, ne quid in iis negligatur, quod vel ad Dei cultum, vel ad rem pertinet familiarem. Atque hinc in aliquo vero sensu dici potest, Ecclesiam Cathedralem nunquam destitui Capitulo residente.*

Re a Summo Pontifice mandata Sacræ huic Congregationi, hæc Fuldensi Episcopo rescribens, validissimis illum rationibus moveri significavit. Dubia tamen de modo, qui definiendus esset in eadem residentiæ lege imminuenda, eidem commisit Episcopo, ut potiorem aliquam residendi formam, locisque, ac temporibus accommodatiorem inveniret, inventamque, ac accuratè præscriptam ad Sacram Congregationem transmitteret. Episcopus verò respondit, nullam omninò se invenire potuisse certam, constantemque residentiæ formam, ac legem *locis, ac temporibus accomodatam*, quum fieri possit, ut pro temporum circumstantiis, quæ quidem esse non semper eædem solent, attenta præsertim Capitularium illius Ecclesiæ qualitate, diversitate, Locorumque, in quibus commorantur distantia, quæ circa residentiam statui uno tempore contingat, minus fortasse congruent pro alio. Sibi magis opportunum videri ait, *conscientiæ Episcopi, & Abbatis pro tempore existentis rem hanc committere, qui siquidem modum residentiæ tractu temporis fallere perspexerit, alium, quem in Domino expedire censuerit, valeat præfinire, ac vel minuere limites residentiæ, vel etiam ampliare.*

Hæc aliaque ad id spectantia plenissime intelligent Emi PP. ex circumferendo supplici libello Episcopi, & Abbatis Fuldensis.

Datis interim litteris ad Coloniæ Nuntium, ut iis, quorum intererat, auditis, animi sui sententiam hac de re aperiret; Is, omnibus maturè, recteque perpensis æquum sibi maximè

mè videri, respondit, ut precibus Episcopi, & Abbatis deferatur, ejusque prudenti relinquatur arbitrio, atque conscientiæ, residentiæ modum locis, temporibusque accommodatiorem definire, ea tamen lege, ut aliqui ex Capitularibus semper resideant penès Ecclesiam Cathedralem, & Choro intersint, ne eadem Ecclesia Capitulo residente unquam destituatur.

Exploratum est, pluribus ex causis fieri posse, ut residendi onus, quod Dignitatibus, & Canonicis in Cathedrali Ecclesia alias incumberet, vel imminui possit, vel pœnitùs dispensari. Inter cœteras verò ea præcipuè recensetur, quum Canonici addicti sunt Animarum Curæ in locis a Cathedrali dissitis. Quidquid enim esset de jure antiquo, jure recentiori cautum est, ut qui una cum Canonicatu, Parochialem obtinet Ecclesiam, residere teneatur in Parochiali. In id plenissimè quadrant Concilii Tridentini verba *seff. 22. cap.3.* = *Quod si alicui ex prædictis Dignitatibus in Ecclesiis Cathedralibus, vel Collegiatis, de jure, seu con uetudine, jurisdictio, administratio, vel Officium non competat, sed extra Civitatem in Diœcesi cura Animarum immineat, cui is, qui dignitatem obtinet, incumbere voluerit; tu c pro tempore, quo in curata Ecclesia resederit, ac ministraverit, tanquam præsens sit, ac divinis intersit, in Ecclesiis Cathedralibus, ac Collegiatis habeatur* = Id præterea disertis verbis mandavit S. Pius V. in sua *Constit. 65. Cupientes &c.* hac addita ratione: *Cum prima, & præcipua debeat esse cura Animarum. Fagnan. in Cap. Licet de præbendis num. 67., & 121., Gonzalez in reg. 8. Cancell. gloss.6. num.268., Bened. XIV. Instit.107. §. 9. Ceccoper. leg. 2. tit. 11. num.24., & seq.* Id demum declaratum fuisse ab hac Sac. Congregatione referunt *Garz. de Benef. par.3. cap. 2. num. 179., Pasqualig. decis.465. num.2., Fagnan. loc. cit.*, qui præterea addit, proposito dubio: An habens Parochialem, & Canonicatum, excludatur a Servitio Canonicatus, censuisse Sac. Congregationem, non excludi, dummodo omnibus diebus, & horis prius debitis Parochiali inservierit, ut nihil prorsus depereat debito servitio Parochialis.

Quod sibi magis vindicat locum, quoties de iis agitur Canonicis, seu Capitularibus, quos honorarios dicimus, qui scilicet neque ex Ordinis instituto, neque ex lege fundationis, neque ratione Præbendarum, portionumve ad residendum compelluntur. Hi enim, qui Cathedralis stipendiis haud militant, nullosque ex ea fructus percipiunt, ad residentiam cogi non possunt. *Sac. Congregatio in Veliterna 5. Julii 1727., Lotter. de re benef. quæst. 27. num. 30. lib. 3., Seraphin. decis.1452. num. 2., & seq., Scarfanton. ad Ceccoper. lib.1. tit.14. num.9., &* 10. Eo vel magis cum sermo est de Cathedrali Ecclesia, cui Capitularibus; & Canonicis deficientibus, præsto sunt, qui ejus servitio sedulo in-

cum

cumbant, divinisque persolvendis officiis egregiam dent operam, itaut divinus cultus ne minimum quidem detrimentum patiatur. Hac porrò sub clausula Caurien. Episcopo indulsit Sac. Congregatio die 15. Octobris 1580., ut longius vacationum tempus, quam Concilium Trdentinum sanxerat, Canonicis impertiretur, *cum eo tamen, ut provideas ne unquam servitio Chori, qui Dignitates obtinent Canonici, & Portionarii pauciores absint eo numero, qui sibi sufficiens visus fuerit ad tuendum cultum divinum, & Ecclesiæ dignitatem*; ut habetur apud *Garz. loc. cit. num.*413.

Perpendendum est itaque, an hæc locum habeant in Capitularibus Fuldensibus. Hi neque ex Ordinis instituto, neque ex Fundationis lege, neque ratione distributionum ad residentiam adiguntur: Nihil commodi percipiunt a Mensa Cathedralis Ecclesiæ, sed ex Præpositurarum reditibus aluntur, & vivunt. Sunt præterea ex sui Ordinis instituto earumdem Præpositurarum servitio addicti, ibique præsunt non rei tantum familiari, sed Animarum potissimum curæ, divinoque itidem cultui tuendo, augendoque. His demum procul a Cathedrali commorantibus, divinus in ea cultus nullum patitur detrimentum, propterea quod præter Novitios, sex & quadraginta Monachi Professi in eadem Cathedrali Ecclesia horis diurnis pariter, ac nocturnis ex primævo instituto inserviunt Choro, & quo decet ordine, ac decore divina peragunt officia.

Animadvertendum & illud, Capitulorum instituendorum rationem non eam tantummodo fuisse, ut Canonici, & Capitulares in divinis celebrandis officiis occuparentur; Verùm etiam, ut suo consilio, & opera Episcopis in Ecclesiæ regimine opem ferrent. Disciplina hæc ab antiquissimis est ducta temporibus. Quamvis enim nulla essent Cathedralium Ecclesiarum instituta Capitula, præceptum tamen fuit in Concilio Carthaginensi IV. can. 22., *ut Episcopus sine consensu Clericorum suorum Clericos non ordinet*, & can. 23., *ut Episcopus nullus causam audiat absque consensu Clericorum suorum alioqui irrita erit sententia Episcopi, nisi Clericorum sententia confirmetur*.

Institutis autem sæculorum progressu Cathedralibus Capitulis, Ecclesiæ regimini convenire judicatum est, ut Episcopi in Ecclesiæ suæ administratione Canonicorum Cathedralium opera, & consilio uterentur, imò, & in quibusdam ne sine eorum assensu procedere possent. Hinc Alexander III. *Cap. Novit de his quæ fiunt a Prælato sine consensu Capituli* hunc in modum scripsit ad Patriarcham Hirosolimitanum = *Novit plenius tuæ discretionis prudentia, qualiter Tu, & Fratres tui unum corpus sitis, ita quod tu caput, & illi membra esse probantur. Vndè non decet, te, omissis membris, aliorum consilio in Ecclesiæ tuæ negotiis uti, cum id non sit dubium, & honestati tuæ, & Sanctorum Patrum Constitutionibus*

con-

contraire = Eadem rursus eidem rescribit *cap.4. eod.tit.* Hinc etiam Concilium Tridentinum passim mandat Episcopis, ut in negotiis Ecclesiæ definiendis consensum adhibeant, vel consilium Capituli; eamque ob causam *sess.* 22. *cap.* 12. *de Reform.* cætum Canonicorum merito vocari posse ait Ecclesiæ Senatum.

Hinc etiam præ oculis habere præstat Cathedralem Ecclesiam esse minime posse sine Capitulo perpetuo in eadem residente. Ad Capitulum verò constituendum tres saltem Capitulares requiri *leg. Neratius ff. de V. S.*, *gloss. in Clem. quod circa de elect.*, *Navar. leg.* 1. *cons.6. num.*1. *de elect.* Fieri igitur nequit, ut in Cathedrali Ecclesia Capitulum residere censeatur, nisi tres saltem perpetuo in ea resideant Capitulares, qui præsto sint negotiis capitulariter pertractandis, interdum etiam subitaneis, & quæ nullam temporis moram patiantur.

His itaque serio perpensis, dignabuntur EE. PP. suum prodere judicium.

An consulendum sit SSmo pro moderatione Residentiæ in casu &c.

Die

Die Sabbathi 12. Decembris 1767. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

TRes Causæ ex præterita Congregatione decidendæ supersunt, quarum series in postremo Folio transcripta reperitur. Super his igitur, aliisque ex ordine adjectis rogantur Eminentissimi PP. propriam aperire sententiam.

LUCANA NULLITATIS MATRIMONII. *Sess.24. cap.1. de Reform.*
An sit locus dissolutioni Matrimonii, in casu &c.

Dilata, & esse locum experimento cohabitationis triennalis.

GADICEN. *Sess.24. cap.12 de Reform.*
I. *An consuetudo dividendi inter præsentes fructus antiquatos, seu restitutos servanda sit, in casu &c.*
II. *An hujusmodi consuetudo sit servanda quoad Decimas Novales ab anno 1758 suspensas, & deinde exactas, in casu &c.*

Ad I. Affirmative. Ad II. Iterum proponatur.

FULDEN. *Sess.24. cap.2. de Reform.*
An consulendum sit Sanctissimo pro moderatione Residentiæ, in casu &c.

Dilata, & scribatur Episcopo juxta instructionem, non retardata interim exequutione Bullæ Benedictinæ.

Sess. 24. cap. 1. de Reform.

TAURINEN. MATRIMONII. Mandavit anno 1751. die 13. Februarii Archiepiscopus Taurinen. Parocho S. Thomæ ejusdem Civitatis, ut *Joannem Antonium Peyrani filium Pauli, & Annam Mariam Cassinelli quond. Josephi, ambos Taurinenses, Parochianam suam, futuros Conjuges ad invicem per verba de præsenti in faciem S. M. E. desponsaret, ac matrimonio jungeret, dummodo unica pro omnibus in utraque Parochia præcedat denuntiatio*. Denunciationibus peractis die 15. ejusdem mensis celebratum fuit matrimonium in Ecclesia S. Thomæ coram Sacerdote Jo: Baptista Borra, Parocho ejusdem Ecclesiæ assistente.

Post triennium ab inde elapsum, instante Sponsa, quæstio instituta est, an matrimonium hoc coram proprio Sponsæ Parocho initum fuerit? Vario marte pugnatum est primum in Curia Archiepiscopali Taurinen., dein in gradu appellationis ex Apostolico Brevi in Curia Episcopali Vercellen.. Curia Archiepiscopalis pro validitate matrimonii sententiam tulit, contra Episcopalis Vercellen. primam sententiam revocando de nullitate matrimonii judicium dedit. Quæritur proinde de alterutrius sententiæ justitia, instante tantum pro nullitate Jo: Antonio Peyrani, & pro validitate jura tuente matrimonii Defensore.

Inquit Joannes Peyrani, matrimonium initum fuisse coram Sacerdote Borra de licentia Parochi S. Thomæ: hunc neutrius contrahentis verum fuisse Parochum: Matrimonium ideo ex aperta Concilii Tridentini sanctione *in cap. 1. sess. 24. de Reformat.* penitus nullum esse, *Fagnan. in cap. quod nobis num. 3. de cland. desponſ., Gonzalez ad Reg. Cancell. gloſ. 48. n. 30. Corrad. prax. diſpenſ. lib. 8. cap. 3. num. 21., Pignatell. conſultat. 78. num. 1. tom. 5.*

Non controverti, Joannem Peyrani Virum domicilium habuisse in paterna domo, quæ sita est intra Parochiam Sanctæ Mariæ de Platea: Constare autem ex testibus, Annam Sponsam a mense Septembris anni 1750. ad totum annum 1751. diu, noctuque una cum Matre convixisse intra Parochiam SS. Jacobi, & Philippi PP. Augustinianorum: ita deponere Jo. Bapt. Natalem Boetti, Jo: Bapt. Giacchini, P. Jo: Bapt. Cassinelli Sponsæ Patruum, Jo: Cassinelli Sponsæ fratrem, Josephum Galera, Joachim Rocha, Jo: Antonium Arduini, & Hieronymum Costanzi: id ipsum haberi ex libris Parochialibus S. Thomæ, & SS. Jacobi & Philippi, & ex libris quoque Censorum Civitatis.

Falsi accusat contrarios Testes, velut Auctores Matrimonii dolo, & fraude contracti coram Parocho S. Thomæ, ne contraheretur in Parochia SS. Jacobi, & Philippi, qua Sponsi Patruus Vice Parochi munere fungebatur. Advertit autem per brevem diurnam Sponsæ moram in domo Avi sita in Parochia S. Thomæ, Sponsam cum Matre conviventem ab istius domicilio non divertisse, nec novum

con-

contraxisse in Parochia S Thomæ, *Rota in Romana Matrimonii 2.Decemb.1720. §.Nam cor.Gamaches*, *& in confirmatoria 7.Martii 1721. §.Absque cor.Eodem*. Vel saltem eamdem moram utpote fraude paratam pro matrimonio ineundo in hac, de qua agitur, quæstione, esse prorsus spernendam.

Nec obesse commissionem Curiæ Archiepiscopalis directam Parocho S. Thomæ: Ait enim, illius vi Parochum S.Thomæ nec potuisse matrimonio præstare præsentiam jure Ordinario, quum ordinaria ei deesset in Sponsam jurisdictio; & neque potuisse jure delegato, quia mandatum Archiepiscopi, uti præseferens clausulam *Parochianam tuam*, nec novam dans in Sponsos jurisdictionem, excitare tantum potuisset jurisdictionem ordinariam, non novam conferre Parocho S.Thomæ jurisdictionem, *Rota in Romana Matrimonii 3.Julii 1719. §.Nihilominus cor.Corio*.

Apertam hinc concludit esse matrimonii nullitatem, utpote non celebrati coram proprio alterutrius contrahentis Parocho: Nec ulli coactioni locum esse posse, quia matrimonia contra formam Concilii inita nec in sponsalia transeunt, *Rota in Romana Matrimonii 3.Julii 1719 §.Hinc coram Corio*, etiamsi conjugalis actus accesserit, *Sac. Congregatio in una Hieracen. 18.Novemb. 1589.*

Contra inquit Defensor Matrimonii, nonnisi post emensum a contractu matrimonii triennium, detrectante Viro vitæ necessaria præbere, Uxorem querelam instituisse de matrimonii nullitate tanquam initi coram Parocho S. Thomæ, quasi is non proprius fuisset ejus Parochus: constare autem ex processu, Annam Mariam una cum Matre ad mensem usque Septembris anni 1750. domicilium habuisse intra Parochiam S. Thomæ: Non aliter ideo pro matrimonii nullitate respondendum esse, nisi compertissimum fiat, domicilium verè fuisse mutatum, & ad aliam Parochiam translatum, *leg.Non utique*, *leg.Domicilium*, *leg.Ejus §.penult.ad municip.*

Ex ipsis vero testibus examinatis haberi, Sponsam post translatum a Matre mense Septembris anni 1750. domicilium a Parochia S. Thomæ ad alteram SS. Jacobi, & Philippi, semper diurnam moram cum Avo, & Avia paternis habuisse toto anno 1751. in Parochia S. Thomæ, singulisque diebus eamdem Sponsam a prima luce ad noctem usque una cum Avo, atque Avia convixisse: ipsamque Sponsam declarasse, se verum domicilium in domo Avi statuisse: mutationem ideo domicilii factam a Matre non secumferre variationem domicilii Sponsæ, quæ in domo Avi diurnam moram habuit, & cujus domicilium, & familiam de jure sequi tenebatur, *leg. 19. & 24. ff. de stat. homin.*

Descriptiones vero vel Parochorum tempore Paschali, vel Cen-

Censorum Civitatis non percutere tempus præcisum, quod præcessit matrimonium: Et conceptam fraudem commorandi in Parochia S. Thomæ pro matrimonio ineundo, sicque effugiendi Ecclesiam SS. Jacobi, & Philippi haberi tantum ex testibus vel consanguineis, vel familiaribus ipsius Sponsæ, vel causam scientiæ reddentibus de auditu ab ipsa matre, & filia: hos autem pro effectu dirimendi initum matrimonium spernendos esse, *Cap. In litteris de testib., cap. 1. de Consf. & Affin.*

Demum advertit, a Curia Archiepiscopali datum fuisse Parocho S. Thomæ expressum mandatum matrimonio assistendi, hinc concludit, subtilius inquirendum non esse, an Sponsa domicilium adhuc habuerit, vel ne in Parochia S. Thomæ, sed matrimonium semper validum esse, *Fagnan. in cap. Quod nobis de clan l. desponf. num. 55.*, *Card. de Luca de matrimon. disc. 1. num. 1.*, *& Bened. XIV. in tom 2. notif. 88. num. 4.*

Synodus Tridentina hæc habet: *Qui aliter, quam præsente Parocho, vel Sacerdote de ipsius Parochi, vel Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus Testibus, matrimonium contrahere attentabunt, eos Sancta Synodus ad sic contrahendum inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos, & nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit, & annullat &c. Statuitque benedictionem a proprio Parocho fieri, neque a quoquam, nisi ab ipso Parocho, vel ab Ordinario licentiam ad prædictam benedictionem faciendam alii Sacerdoti concedi posse, quacumque consuetudine etiam immemorabili, quæ potius corruptela dicenda est, vel privilegio non obstante*: *Sess. 24. cap. 1. de Reformat Matrimon.*

Sac. Congregatio anno 1573. censuit: *ad Matrimonii validitatem sufficere præsentiam solius Parochi proprii Sponsæ, quando Matrimonium in Parochia Sponsæ contrahitur: Similiter sufficere præsentiam solius Parochi Sponsi, si in ipsius Sponsi Parochia matrimonium contrahatur; lib. 1. Decretor. pag. 125.* Ille autem proprius censetur esse Sponsi, aut Sponsæ Parochus, in cujus Parochia Sponsus, aut Sponsa domicilium habet, vel quasi, *Sac. Congreg. in Mutinen. 18. Novemb. 1702., & Benedictus XIV. in Constitut. Paucis ab hinc 19. Martii 1758.*

Ad acquirendum vero domicilium pro matrimonio ineundo, haud necesse est, quem longo tempore permansisse in aliquo loco, ac animum habuisse nunquam ab illo recedendi; sed sat est, ut unius saltem mensis spatio habitaverit in loco, ubi matrimonium celebratur. Definitiones Sac. Congregationis extant apud *Fagnan. in cap. Significasti de Parochiis*, ubi præsertim hæc habet: *Vir, & Mulier Trajectenses timentes impedimentum a Parentibus, cum ad vicinam Urbem Aquisgranam se contulissent, & ibi aliquandiu morati matrimonium contraxissent, Sac. Congregatio consulta super validitate,*

cen-

censuit, exprimendum tempus, quo contrahentes Aquisgranæ manserunt, quod si fuerit saltem unius mensis, dandam esse decisionem pro validitate. Et *Bened. XIV. in cit. Constitut. Paucis ab hinc: Post hæc necessarium fore censemus nonnihil adjungere, ut in propatulo sit, quidnam requiratur ad quasi domicilium acquirendum. Verum hac in re non alio pacto responderi potest, nisi quod antequam matrimonium contrahatur spatio saltem unius mensis ille, qui matrimonium contrahit, habitaverit in loco, ubi matrimonium celebratur.*

Dummodo tamen idem domicilium dolo, & fraude non fuerit electum animo contrahendi ibidem matrimonium in fraudem Concilii, & veri Parochi. Hinc Sac. Congregatio in una *Romana nullitatis matrimonii* 22. *Februarii* 1631. censuit dandam esse declarationem his verbis: *Vir, & Mulier a loco suæ habitationis absque animo illam relinquendi discedentes, & ad locum alterius Parochiæ solo animo illic matrimonium celebrandi, non autem domicilium contrahendi se transferentes, ubi coram Parocho illius loci matrimonium inter se contraxerunt, supplicarunt per Sacram Congregationem declarari, an hujusmodi matrimonium sit nullum, vel validum. Sacra &c. secundum ea, quæ proponuntur, censuit esse nullum: lib.* 14. *Decret. pag.* 390., *& in Theatina Matrimonii* 13. *Novem*. 1683. *lib.* 33. *pag.* 336., *& in Bovinen. Matrimonii* 7. *Sept.* 1697. *lib.* 47. *Decret. pag.* 416.

Quod vero spectat facultatem matrimonio assistendi ab Ordinario datam alicui non proprio contrahentium Parocho, si id absque dolo, & fraude mandatum sit, sed errore, vel ignorantia, aut simplicitate, matrimonium validum est. Ita *die* 9. *Septembris* 1684. respondit Sac. Congregatio, cui sequens casus a Sacra Pœnitentiaria remissus fuerat: *Fulanus, & Berta matrimonium inter se contracturi statum suum liberum probarunt apud acta Curiæ Episcopalis, instantes subinde juberi Parocho, ut ad trinam denunciationem procederet. Interrogati autem a Notario, quisnam esset eorum Parochus, responderunt [per errorem tamen, & citra contemptum clavium] esse Parochum S. Demetrii, in cujus Parochia jam pridem habitaverant, sed tunc temporis non habitabant. Peractis itaque a Parocho S. Demetrii juxta sibi traditam facultatem denunciationibus, nulloque impedimento detecto, Ordinarius impartitus est solitam licentiam per dictum Notarium extensam sub hac verborum formula:* Concediamo licenza al Parroco di S. Demetrio di poter assistere al Matrimonio tra Folano, e Berta ambedue della sua Parrocchia. *Celebratum proinde fuit coram dicto Parocho, & testibus matrimonium. Sed post aliquod tempus Folanus librum moralem casu legens, invenit communem esse sententiam, quod ad matrimonii validitatem requiritur præsentia Parochi saltem unius ex contrahentibus: Unde consultis pluribus Confessariis, quid sibi agendum esset, suasus fuit, ut una simul cum Berta consensum renovaret coram proprio Parocho, & testi-*

bus.

*bus . At Fulanus , explorata Bertæ voluntate , an casu , quo non esset ipsius Conjux , vellet sibi matrimonio aliter copulari, responsum habuit absolute negativum . Nihilominus habita nuper notitia , quod inter declarationes desumptas ex Bibliotheca Card.Bellarmini , & typis impressas ad Cap.*1. *Sess.*24.*de Reform.matrim. extat infrascripta = Licet non proprius Parochus , sed alius de consensu Episcopi intersit , matrimonium tenet , etiamsi Episcopus credat fuisse vocatum Parochum = Spem aliquam validitatis matrimonii concepit : sed ad omnem dubietatem removendam supplicitor instat declarari : An præfatum matrimonium contractum inter ipsum , & Bertam fuerit validum ; rescripsit : Affirmative .*

At si dolo, ac fraude inductus fuerit Ordinarius , ut alium non proprium Parochum delegaret , tunc pro nullitate matrimonii respondendum esse , late firmat *Rota in Romana Matrimonii* 3. *Julii* 1719. §. *Nihilominus cor. Corio, & in confirmatoria* 11.*Decemb.*1719.§.*Hinc parum cor.Eod.*, & 7. *Martii* 1721. §.*Cumque cor.Gamaches.*

Hisce præ oculis habitis, dignentur EE. VV. perpensis testium dictis, eorumque qualitate, definire

An constet de nullitate Matrimonii, in casu &c.

Negative .

*Sess.*23. *cap.*1. *de Reform.*

CALAGURITANA APPLICATIONIS MISSÆ PRO POPULO . Territorium Oconii, quod spirituali subest jurisdictioni Episcopi Calaguritani , pluribus componitur Pagis . In eis Parochialis extat Ecclesia , ac pro Incolarum numero unus , aut plures commorantur Beneficiati Animarum Curam exercentes . Beneficiati omnes unum constituunt Corpus , unum Clerum , & unam habent Massam ; quamobrem Beneficiati Oconenses appellantur . Dispar tamen inter ipsos invecta est redituum partitio , & juxta diversam fructuum distributionem diversa est etiam Beneficiatorum denominatio . Alii enim appellantur Beneficiati integræ portionis , alij dimidiæ , alii demum quartæ portionis . Ac primis quidem tribuitur portio annua ducatorum 213. de Vellon monetæ hispanicæ ; mediis ducat. 79.; postremis ducatorum 27. Hæc patent tum ex precibus Beneficiatorum , tum ex relatione Episcopi inter monumenta Cleri perlegendis .

Ex vetusta consuetudine in qualibet Ecclesia celebrari , & applicari pro Populo consueverunt una , vel plures Missæ , prout unus , vel plures Beneficiati in unaquaque ex Parochiis residentiam haberent . In Ecclesia namque Matrice duæ qualibet die applicabantur Missæ , in aliis vero Ecclesiis ,

siis, ubi bini, aut tres Beneficiati residebant, una tantum Missa singulis diebus applicabatur; in illis demum Parochiis, ubi unus existebat Beneficiatus, diebus solum Dominicis, & Festis de præcepto fieri solebat applicatio. Verum Beneficiati incerti de applicationis onere, sub conditione semper applicarunt, quatenus scilicet onus sibi inesset ejusdem applicationis.

Anno 1711. Clerus Oconiensis nonnulla condidit Statuta, in quibus, præter cætera, hæc de applicatione Missæ constituit: *Diciamo, e dichiariamo, che ne' luoghi, ove sono due gl' inservienti, siano obbligati a dir Messa pro Populo, tutti i giorni dell' anno; e nei tre luoghi di Orervelo, Ruedas, e San Giuliano, ove non v' è più di un inserviente, soltanto siano obbligati a dir Messa pro Populo tutte le Domeniche, e Feste di precetto, e due giorni la settimana, talche viene obbligato ciascuno delli tre inservienti a dire tre Messe pro Populo ogni settimana.*

Hanc statuti dispositionem, ordinaria tantum auctoritate confirmatam, gravem nimis existimantes Beneficiati, supplicant, ut quacumque consuetudine, aut statuto despectis, præfiniatur applicatio juxta modum præscriptum in Encyclica san. mem. Benedicti XIV. data ad Episcopos per Italiam sub die 19. Augusti 1744. incipien. *Quum semper oblatas.*

Oneris gravitatem ex redituum tenuitate desumunt. Asserunt enim præscriptam fuisse applicationem trium Missarum qualibet hebdomada in Ecclesiis, ubi unus residet Beneficiatus: At si præfici contingat in iisdem Ecclesiis Beneficiatum quartæ portionis, cujus emolumenta non excedunt summam 27. ducatorum illius Regionis, scilicet scut. 14. monetæ Romanæ, certum esse, hanc summam imparem omnino esse pro eleemosyna 156. Missarum, quarum applicatio injuncta illi fuit quolibet anno: Id ipsum contingere, servata proportione, de reliquis Beneficiatis dimidiæ, & integræ portionis: Illos ex reditu scutor. 40. detrahere debere annua scuta 16. pro Missarum eleemosyna: Istos gravari onere 181. Missarum, quarum eleemosyna ex fructibus detrahenda ad annua scuta 18. pertingit. Hisce vero factis subductionibus, aut nihil, aut certe quid minimum superesse in loco, ubi omnia, quæ ad victum necessaria sunt, cariori pretio comparantur.

Congruum proinde esse dicunt, ut juxta modum in enunciata Encyclica præscriptum Missarum numerus minuatur: præsertim quum nullibi constet de antiquiori consuetudine, aut conventione inter Clerum, & Populum Oconiensem: Nec obesse, quod eadem Encyclica, utpote ad Italiæ Episcopos data, censeri debeat edita pro Ecclesiis tantum Italiæ; Animadvertunt enim, erutam illam fuisse ex variis locis Concilii Tridentini, in eaque præfinitam normam, ac regulam in similibus casibus ubique servandam.

Ad-

Addunt, non dissimilem fuisse aliorum Summorum Pontificum mentem in pluribus Decretalibus panditam, nec aliam esse S. hujus Congregationis sententiam.

Concludunt denique, id ipsum præcipue servandum in præsenti casu, ea ratione, quod omnes Beneficiati Oconienses unum constituunt Clerum, qui a Matrice Ecclesia Oconiensi denominationem sumit: Totum vero Territorium uni subesse Parochiali, cui reliquæ Ecclesiæ in adjutorium fuerunt erectæ. Inferunt proinde æquum non esse, ut quælibet ex filialibus Ecclesiis onus subeat, quod ex dispositione juris uni inest Parochiali.

De applicatione Missæ, quantum ad Parochos pertinet, aliqua hic expedit animadvertere. Parochus de jure Divino tenetur Missam pro Populo applicare, ut eruitur ex verbis Concilii Tridentini *sess.* 23. *cap.primo de Reform.*, ibi = *Quum præcepto Divino mandatum sit omnibus, quibus Animarum Cura commissa est, oves suas cognoscere, & pro his sacrificium offerre &c.*; Hinc sequitur, ut quilibet Parochus sive pingues, sive tenues habeat reditus, ad applicationem teneatur, quia non ratione sustentationis, seu congruæ, sed ratione officii Sacrificium pro Populo debet offerre, ut docet *Piringh. in Jus Canon.lib.3.tit.23.num.19.*, *Ferrar.Biblioth. Jur.Canon. verb.Missa artic.3.num.9.*

Et quamvis nonnulli Parochi crediderint, ob nimiam redituum tenuitatem ipsos a quolibet applicationis onere esse exemptos, nihilominus Sac.Congregatio eos etiam teneri declaravit, ut in *Nonantulana* 10. *Maji* 1692., *in Pistorien., & Praten.* 14. *Februarii* 1699.: In qua quidem Causa prodiit Constitutio san. mem. Innocentii XII. incipien. *Nuper* sub datum die 24. Aprilis ejusdem anni, præcedentem Sacræ Congregationis resolutionem confirmans. Indeque factum est, ut inposterum rejectæ fuerint querelæ Parochorum, qui ob eamdem causam tenuitatis redituum aliqualem moderationem efflagitarunt, ut refert *Monacell.to.* 4. *in supplem. ad tom.7.num.*121.

Verum quoad dies, quibus Parochi applicare deberent, ex benignitate Sacræ hujus Congregationis ea olim invecta distinctio est, ut qui pingues haberent reditus, singulis diebus, qui vero tenues, diebus saltem festivis ad applicationem tenerentur, & ita declaratum fuit in *Civitatis Castellanæ* 26.*Augusti* 1628. *in Hydruntina* 13. *Februar.* 1639. *in Romana* 17.*Junii* 1649., *in Clusina* 5. *Julii* 1670., *in Lucana* 10. *Maji* 1681., *in Cremonen.* 20.*Decembris* 1692., *& in Ferentina* 26. *Martii* 1735. Pingues autem reditus tunc dicebatur Parochus habere, quando ex iis posset juxta suam qualitatem commodè se sustentare, licet ultra honestam sustentationem parum, aut nihil superflui superesset; Tenues vero, quum non posset sufficienter, & honeste se sustentare, ut notat *Ferrar.loc.supra cit.num.*10.

Quum

Quum tamen circa majorem, aut minorem redituum quantitatem ad sufficientem sustentationem necessariam non levis in dies oriretur dubietas; idcirco quælibet sublata difficultas est per Encyclicam superius relatam san. mem. Benedicti XIV., in qua hæc habentur: *At vero id Nos unum in præsenti suscepimus decernendum, quando nimirum iidem pro Populo celebrare, & applicare teneantur: Et quamvis compertum habeamus id, quod alias a Congregatione Concilii responsum fuit, Parochum nempe pinguibus reditibus dotatum quotidie pro Populo celebrare, & applicare debere; eum vero, qui uberioribus hujusmodi reditibus non gaudeat, festivis tantum diebus id ipsum præstare teneri; quum tamen pariter Nobis perspectæ sint tum controversiæ super hoc ipso exortæ, nimirum ad quam summam pertingere debeant Ecclesiæ Parochialis proventus, ut pingues, & uberes appellari possint, quoniam pingues minimè habendi sunt reditus etiam copiosi, quibus tamen multiplicia, & gravia sint onera adnexa, tum etiam multorum querelæ adversus hujusmodi decretum, tanquam plus æquo rigidum excitatæ Nobis innotescant:* I*dcirco opportunum censuimus Fraternitatibus vestris declarare, Nobis abunde satisfactum fore, vobisque proinde satis esse posse, dum ii, qui Animarum Curam exercent, Sacrificium Missæ pro Populo celebrent, atque applicent in Dominicis, aliisque per annum diebus festis de præcepto, quum prædicti Dominici, aliique festi dies ii sint, in quibus juxta præceptum Concilii Trident. sess.5. cap.2., & sess.24.cap.4. quilibet Animarum Curæ Præpositus Populum sibi commissum salutaribus verbis pascere debet, docendo ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem &c.*

In præsenti autem casu perpendendum in primis est, an quæ disponuntur in hac Encyclica ad Episcopos Italiæ data, locum habeant pro Ecclesiis etiam extra Italiam. Præstat idcirco expendere, qua ratione motus laudatus Pontifex hanc Epistolam dederit; Rationem vero his verbis ipse exponit: *Quapropter non modo opportunum, verum etiam necessarium duximus Encyclicam hanc Epistolam ad Vos scribere, per quam sublata demum diversarum, in quas Scriptores abierunt, opinionum varietate, constans hujus Apostolicæ Sedis sententia, prædictis de rebus cuilibet innotescat, & Fraternitatibus Vestris quædam veluti norma, ac regula suppetat, juxta quam Synodales, aliasque vestras circa præmissa Constitutiones, Ordinationes, seu Edicta, quorum publicationem Vobis injungimus, dirigere valeatis.*

Ponderandum ulterius, an petitioni Cleri Oconiensis resistat Statutum conditum anno 1711., & ad hæc usque tempora, quod constet, executioni commissum. Episcopus Calaguritanus jussus super precibus a Clero oblatis sententiam suam dicere, ita concludit: *Per tutto ciò dunque, come pure perche il prezzo degli alimenti è notabilmente cresciuto, tengo per gravoso, ed insopportabile il numero delle Messe pro Populo prescritte nello Statuto, e che debba equitativamente ri-*

ridursi in conformità della Costituzione Apostolica citata nelle dette preci.

His igitur opportune præmissis, dignentur EE. VV. decernere:

An, & quomodo sit locus reductioni applicationis Missæ pro Populo, in casu &c.

Non proposita, cum reliquis.

Sess. 14. cap. 7. & Sess. 24. cap. 6. de Reform.

NEAPOLITANA, SEU BOJANEN. Lethaliter cultro vulneratus *Laurentius Mugnani* prope secundam noctis horam diei 15. Maji 1760. in vico appellat. *S. Potiti* Civitatis Neapolis post aliquot menses occubuit, die nimirum 4. Augusti ejusdem anni. De hoc crimine inquisitus fuit *Sacerdos Cosmus Roberto* Bojanen. Diœcesis addictus muneri Capellani in Ven. Ecclesia Regii Nosocomii Incurabilium ejusdem Civitatis Neapolis, qui instante Promotore Fiscali, & consanguineis vulnerati, die 24. ejusdem mensis Maji in loco immuni deprehensus in Carceres Curiæ Archiepiscopalis detrusus fuit. Porrectis autem a dicto Cosmo precibus Sanctissimo D. N. ut loco immuni restitueretur, Sac. Congregatio Immunitatis ex Oraculo Summi Pontificis rescripsit, ut ad ulteriora procederetur in Causa, sed in prolatione sententiæ mitius cum Inquisito, ob ejus extractionem a loco immuni, ageretur.

Magna hinc Actorum moles conflata est, pluresque Testes a Fisco, aliique plures a Cosmo in sui defensionem interrogati fuerunt; Actisque completis, instante Inquisiti Procuratore, lata fuit a Curia Archiepiscopali Sententia, qua ipse damnatus fuit *ad exulandum recto tramite, & exulem permanendum ejus vita durante ab hac Civitate, Diœcesi, & Provincia Neapolitana sub pœna inserviendi ad Opus per quinquennium in casu contraventionis: quoad irregularitatem vero, se abstineat a celebratione Sacrosancti Sacrificii Missæ, & administrando in divinis, ac susceptorum Ordinum exercitio, donec S. Sedem, prout de jure, consuluerit.*

Sententiam hanc nullitatis, & injustitiæ accusat Sacerdos Cosmus, petitque, ut EE. VV., quibus a SSmo D. N. preces remissæ sunt, declarent, sibi jus esse celebrandi Missam, susceptosque Ordines exercendi. Silet Curia Archiepiscopalis, & Cosmus tantum jura sua deducit. Operæ hinc pretium est singula, quæ ex processu eruuntur, quæque inter monumenta causæ non habentur, strictim referre.

Rosa Centanni, alter ex testibus a Fisco examinatis, deposuit, se ipsa cooperante, Sacerdotem Cosmum per aliquot menses pravam habuisse consuetudinem cum Teresia Bertoni in mansionibus *Joannæ Valente*, & *Christinæ Prisco* sitis in Vico S. Potiti: die vero 15. Maji anni 1760., adveniente no-

nocte prope domum dictæ Christinæ reperiisse Sacerdotem Cosmum habitu brevi Ecclesiastico una cum pallio indutum, cultro armatum, & associatum ab altro Ecclesiastico gestante habitum talarem; horum precibus semel, & bis vocasse Teresiam Bertoni: interim prope domum dictæ Chistinæ vidisse Laurentium Mugnani cum duobus Sociis ludentem, qui pluries frustra Theresiam tentaverat: tandem post aliquod tempus venisse dictam Theresiam cum Seraphina Matre, ac circa dimidiam noctis horam omnes ad rem turpem agendam convenisse in domum Christinæ: Postea vero erubescentibus his Sacerdotibus e dicta domo exire, quia prope eam morabantur adhuc Laurentius, & Socii, ut primum isti recesserunt, statim illos exivisse: & post breve tempus auditum fuisse vulnus Laurentio illatum ab eo, qui habitu brevi Ecclesiastico indutus erat, & sociatus ab altero habente vestem talarem; unde statim credidisse, vulneris auctorem fuisse Sacerdotem Cosmum. Hæc omnia concorditer confirmant *Theresia Bertoni*, *Seraphina Theresiæ Mater*, *& Christina Prisco*, quæ præterea testatur, dictos duos Sacerdotes e sua domo discessisse prope secundam noctis horam.

De eadem prava consuetudine Sacerdotis Cosmi cum Theresia testata pariter est *Joanna Valente*, affirmans amplius, dicta die 15. Maji prope dimidiam noctis horam Sacerdotem Cosmum brevi habitu indutum una cum altero Vestem talarem habente ad domum Christinæ accessisse. Nicolaus quoque Verdille asseruit, se eodem loco circa horam cum dimidio noctis ejusdem diei alloquutum fuisse cum Sacerdote Cosmo vestem brevem habente, cui socius erat alter talari habitu amictus.

Joannes Capuanus ætatis annorum 13., & Nicolaus Solicari ætatis annorum 14. deposuerunt, se circa dimidiam noctis horam commoratos fuisse prope domum Christinæ cum Laurentio Mugnani: hunc acriter increpasse reluctantiam, & repugnantiam Theresiæ: postea hanc vidisse una cum Matre ingredientem domum Christinæ: Laurentium arreptis lapidibus sæpius ad fenestram Christinæ curiosius accessisse: inde post aliquod temporis ab ea domo Christinæ exire vidisse duos Viros, alterum habitu brevi, alterum talari Ecclesiastico indutos, hos Laurentium insequi voluisse, audito que postea jactorum lapidum sonitu vidisse utrosque Sacerdotes retrogredientes, & eum præsertim habitu brevi indutum insequentem Laurentium: post audivisse Laurentii vocem de accepto vulnere dolentis, ac eosdem Sacerdotes vidisse citato gradu fugientes.

Demum Januarius Marangio, Anna Fele, & Dominicus Mangrella consonis verbis deponunt, vidisse prope secundam noctis horam quemdam Virum habitu brevi Ecclesiastico, & pallio indutum vulnus infligentem in Laurentium: dicendo: *ne che vuoi da me?* ac subito fugæ se dedisse.

Ipseque demum Laurentius Mugnani vulneratus ita deposuit: *Ritrovarmi così aggravato, offeso, e ferito nel mio petto con colpo di Coltello datomi da un Prete da me non conosciuto, nè se lo vedessi, mi fidarei di conoscerlo, vestito di corto con collaro in collo, e ferrajolo sopra le spalle con Capelli suoi, e Cappello in testa nella sera antecedente al dì, ch'io fui portato in quest'Ospedale sopra la strada Maestra di S. Potito accosto la Bottega di Pizzicarolo a circa le due ore della notte per causa, che il detto Prete vestito di corto assieme con un altro giovane vestito con sottana longa, e ferrajolo uscitone da dentro un basso di una Donna, che si chiama Cristina, che sta in detta Strada di S. Potito, ed io l'andai appresso, e nell'arrivare avanti la Porta della Chiesa di S. Potito, io gli menai certe pietre, e poi mi posi a fuggire dalla parte di sopra verso la Casa mia, e nel fuggire m'avviddi, che venivo inseguito dal sudetto vestito da Prete di Corto, e nell'arrivare ch'io feci accosto del Bancone detto di Bottega di Pizzicarolo, volendo io aprire il portello del Bancone sudetto per entrare, e salvarmi in detta Bottega, fui giunto dal detto Prete vestito di corto, il quale mi afferrò con una delle sue mani, e coll'altra mi tirò un colpo di coltello, che mi ferì nella maniera, che mi trovo.*

Hæc ex testibus Fiscalibus. Sacerdos vero Cosmus in suo constituto fassus quidem est, se causa invisendi Nicolaum Verdille, & Franciscum Minadei Condiœcesanos pluries accessisse ad domum Joanne Valente in vico S. Potiti, negavit tamen illac pertransiisse circa horam cum dimidio noctis dictæ diei 15. Maji: negavit etiam habuisse unquam cum Theresia turpem consuetudinem, arma detulisse, vel rixam ullam habuisse dicta nocte: dixit, se habitu talari semper incessisse: circa initium noctis d. diei 15. se in Nosocomium recepisse, nec ab eodem amplius discessisse. Contestatis demum eidem Sacerdoti depositionibus supradictorum testium, respondit, eos esse omnino falsos, vi, atque metu ad sic deponendum inductos.

Testibus autem a se inductis, & examinatis probare fategit, circa primam noctis horam Nosocomio se restituisse: ab eodem non amplius discessisse: talari habitu juxta solitum indutum tunc fuisse. Sic habetur ex depositionibus *Sacerdotis Antonii Pellìcari* Capellani ejusdem Nosocomii, *Josephi Monti* pariter Capellani, *Silvestri Prata* famuli, & *Dionysii Paulella, ac Seraphini Salvatori* Custodum Nosocomii, quæ inter monumenta Causæ habentur.

Hæc omnia depromuntur ex actis inquisitionis in Curia Archiepiscopali expletis. Nunc vero inquit Sacerdos Cosmus, Curiam Archiepiscopalem absque ullo prævio testium examine statim processisse ad extractionem a loco immuni, & ad capturam contra formam Benedictinæ Constitutionis per plures annos detinuisse recurrentem in squallido, & secreto Carcere devinctum: tandem absque ulla citatione sui Procuratoris, & Promotoris Fiscalis protulisse sententiam

tiam: apertam ideo esse sententiæ nullitatem, *Ubert. de citat. cap.12. num.129.*, *Scac. de Sent.*, *& Re judic. gloss.9. num. 34.*, *& Farinac. in fragm. verbo Excommunicatio num.22.*

Injustam quoque eam undique esse: Nam ex undecim fiscalibus testibus sex fœminas esse, easque pravæ famæ, lenocinium exercentes, nulla fide dignas, *Clar. in prax. Crimin. quæst.24. num.4.*, *Conciol. alleg.84. num.16.*, *& Farinac. de testibus quæst.56. art.10. num.358.*, insuper earumdem depositiones falsas esse, contradictorias, inverosimiles, & suggestivo modo extortas.

Ex cæteris vero quinque testibus duos esse impuberes, penitus spernendos in Criminalibus, *Antonel. de temp. leg. lib.2. cap.3. num.3.*, *Farinac. de test. quæst. 58. num.19.* insuper eosdem impuberes una cum cæteris testibus masculis non deponere, vulnus fuisse illatum a Sacerdote Cosmo, sed ab incerta, & ignota persona habitu brevi Ecclesiastico induta.

Concludit hinc, neutiquam ex testibus Fiscalibus probari, se fuisse illati vulneris auctorem; immo ait, id aperte excludi, nam vulnus illatum fuit prope secundam noctis horam a Viro habitum brevem Ecclesiasticum gestante: Constare autem ex Testibus omni fide dignis, & omni exceptione majoribus, se prope primam noctis horam dicti diei 15. Nosocomii ædes habitu talari regressum esse, & ab eisdem nunquam recessisse: Non ideo esse potuisse auctorem vulneris, sed potius quemdam Crescentium Cola contra quem contumacialis inquisitio habita fuit: id ipsum declarasse Curiam Archiepiscopalem in sua relatione ad Serenissimum Regem.

Perperam ideo intuitu prætensi criminis interdictum fuisse a celebratione Sacri, & a Sacrorum Ordinum exercitio: Maxime quia in qualibet dubietate facti semper contra irregularitatem pronunciandum erat, *Gonzalez in Cap. Significasti num.16. de homicid.*, *Conciol. cons.8. num. 5.*, *Monacell. formul.Eccles. t.3. in præludi. n.156. Rot.dec.80. n.19.par.2. rec.*

Eminentissimus Archiepiscopus post relatam facti historiam ita concludit: *Si EE. VV. petitam gratiam Missæ Sacrificium celebrandi Oratori concedere dignentur, provideant tamen easdem enixe rogo, quod semper firma remaneat pœna exilii ab hac Civitate, & Diœcesi, ea potissimum ratione, quod in hac ipsa Civitate extant tam Parentes, & consanguinei occisi juvenis Laurentii, quam prædicta Mulier Theresia.*

Dignentur itaque EE. VV. decernere.

An Sacerdos Cosmus Roberto teneatur se abstinere a celebratione Missæ, & ab exercitio susceptorum Ordinum in casu &c.

CASALEN. Extat in Ecclesia Parochiali, & Collegiata S. Eusebii Oppidi Blanzatæ Diœcesis Casalen. Beneficium Canonicatus titulo, ac dignitate decoratum, quod anno 1621. fundavit, erigique ordinaria auctoritate curavit pius Sacerdos Dominicus Gorretti. Jus nominandi, & præ-

Sess.22. cap.4. & Sess.24. cap. 12. de Reform.

præsentandi post obitum sui, & Michaelis ejus Nepotis reliquit Nobili Jo. Dominico Gorretto filio quondam Eusebii, & post ejus obitum filiis suis, ac descendentibus Masculis =; *His non extantibus = Luciæ filiæ quondam Antonii Gorretti, & filiabus d. Nob. Jo. Dominici, quæ nunc sunt, & erunt in futurum æqualiter, eorumque descendentibus masculis, & fœminis per stirpes, & in capita; ita tamen, quod existentibus masculis, fœminæ nominare, & præsentare non possint, nec valeant* =. Defectis etiam his, Patronos designavit Præpositum dictæ Ecclesiæ cum duarum vocum prærogativa, aliosque Canonicos, & Capitulum.

De qualitatibus personæ eligendæ primum jussit, ut nominatus, & præsentatus = *Sit, & esse debeat Sacerdos, vel saltem, quod a die adeptæ possessionis dicti Canonicatus ad Ordinem Presbyteratus infra annum promoveri possit, & qui sit de dicto Oppido Blanzati, & de Familia Gorretta, quatenus extet, & de linea masculina, sin minus fœminina*.

Varia per Canonicum adimplenda onera injunxit, nimirum, quod celebrare teneretur, seu celebrari facere unum qualibet hebdomada Sacrum ad Altare majus Ecclesiæ prælaudatæ; itemque unum mensibus singulis, seu duodecim in anno in perpetuum, & hoc in Ecclesia Campestri sub vocabulo S. Jacobi Apostoli; quod pariter unoquoque anno unicum faceret Anniversarium cum Missa in Cantu celebranda, seu Conventuali in emortuali die, vel saltem sequenti, & demum ultra servitium Collegiatæ ad instar aliorum Canonicorum præstandum, jussit: = *Quod teneatur, & obligatus sit coadjuvare M. R. Præpositum dictæ Collegiatæ, qui erit pro tempore, in functionibus Curæ Animarum, assistentia Infirmorum, & precibus, quæ pro tempestatibus imminentibus fiunt, accedente tamen consensu ejusdem D. Præpositi, & dummodo idoneus, & sufficiens ad præmissa, vel aliquod præmissorum exercendum a prædicto Illustrissimo, & Rmo D. Episcopo, & aliis Reverendissimis Successoribus, ut supra reperiatur* =. Noluit tamen ad personalem residentiam teneri, nisi cæteri Canonici ad consimilem adstricti reperirentur, & ita in futurum declarari contingeret.

Hæc quum ita essent, anno 1742. Jo. Fulcherius Beneficii possessor Sac. Congregationi preces obtulit, ut, attenta notabili redituum diminutione, supradescripta onera reducere dignaretur. Requisitus, ut assolet, Ordinarius duxit, posse Oratoris precibus benigne indulgeri = *Præcipue quum ejus petitio reducatur ad simplex exonus assistentiæ præstandæ Parocho in Cura Animarum, præsertim quum Beneficium Parochiale aptum sit ad ferendam impensam pro manutentione Vice-Parochi*.

Instantiam anno sequenti renovavit Orator. Parochus autem licet initio se se opposuisset, postmodum tamen una cum Patronis cuidam declarationi subscripsit, qua Supremi hujus Tribunalis judicio sese remittebat; & in eadem Senten-

tentia permanente Episcopo, die 30. Januarii anni 1745. rescriptum prodiit := *Attenta relatione Episcopi Casalen. . . . benigne commisit eidem, ut veris existentibus narratis Oratorem ab onere dumtaxat coadjuvandi Parochum in exercitio Curæ Animarum pro suo arbitrio, & conscientia gratis eximat*.

Antequam vero rescriptum hoc exequutioni mandaretur, Parochus, Patronique insurrexere contendentes, eam declarationem ab ipsis fraudolenter fuisse extortam, rescriptumque subreptionis, & obreptionis vitio laborare. Super hoc contestata lis extitit in Episcopali Curia Casalen. quæ anno 1748. sententiam edidit declarantem : = *Constare de Causis reductionis; ideoque exequendum esse decretum a Sacra Congregatione Concilii die 30. Januarii 1745. emanatum, ac propterea exonerandum esse, prout exoneramus præfatum Canonicum Fulcherium ab onere dumtaxat coadjuvandi Parochum in exercitio Curæ Animarum, videlicet a præstanda assistentia Infirmis, & a precibus juxta solitum faciendis in imminentibus tempestatibus, excepta tamen illa in audiendis Confessionibus, quam præstare debebit in diebus festivis de Præcepto in Ecclesia Parochiali; firmis nihilominus remanentibus aliis oneribus positis in fundatione, quæ adamussim adimplere tenebitur, & signanter Anniversarii celebrationem quolibet anno juxta mentem fundatoris* =. Sic lite absoluta, Beneficiatus, quod sciatur, sententiæ parere non detrectavit.

Anno 1765. per obitum Canonici Fulcherii præsentatus per Patronos extitit Sacerdos Jo. Dominicus Stiglio loci Blanzatæ. Hæc præsentatio admissa fuit cum solita Clausula : = *Si, & prout de jure &c. & dummodo d. Sacerdos Stiglio reperiatur habilis, & idoneus ad Canonicatum regendum, & gubernandum juxta fundationem, & hactenus solitum* =. Verum contra eam insurrexit alter ejusdem Loci Presbyter Joannes Panante, asserens se qualificatum, & pro præsentato habendum, eo quod, & ipse sit ex passive vocatis, necnon habilis, & idoneus ad onera Beneficii sustinenda, & signanter ad Pœnitentiæ Sacramentum administrandum, cui muneri sit impar Sacerdos Stiglio. Quum autem ageretur de negotio alias a Sac. Congregatione cognito, & definito, ejus notio ad Supremum hunc Consessum delata est. Auditis autem Parocho, Patronis, Sacerdotibus itidem Stiglio, ac Panante cum præfixione termini duorum mensium ad [illegible] deducendum; Supposuit Parochus, obtinenti [illegible] adscriptam fuisse duodecimam partem omnium [illegible]mentorum Parochialium, exceptis illis Baptismatum, ac Matrimoniorum, ideoque, ait, seposito onere a[illegible] Confessiones, nullum aliud ex sententia anni 1748. f[illegible] onus Beneficiato, cujus causa correspectivum assequi debeat adsignamentum, & quamvis professus sit, nolle se in quæstionibus coram Sac. Congregatione habendis immiscere, exposuit tamen Confessariorum necessitatem tum ob modicum eorum numerum, tum etiam ob loci exigen-

gentiam, ac laudibus ornans Sacerdotem Panante, ei se favere manifeste demonstravit.

Patroni contra protestationem emiserunt declarantes, nominationem, ac præsentationem Presbyteri Stiglio esse validas, & legitimas; ac parati ad tuenda tum propria, tum præsentati jura, profitentur, se illius tantum favore assensum cuicunque onerum reductioni præstare. Sacerdos autem Panante utcunque jura sua deducere apud Sac. Congregationem obtulerit coram Ordinario, Ipso tamen absente oportuit, ut subscriberentur Dubia in calce transcripta.

Ad I. itaque Sacerdos Stiglio a Patronis præsentatus inquit, se ad formam fundationis esse qualificatum: Beneficium Sacerdotale esse habitu solummodo; proindeque qualitatem Confessarii in præsentato non requiri ante institutionem. Alias enim esse, ait, qualitates, quæ institutionis tempore sint, oportet; alias, quæ post adeptum Canonicatum ex fundatione accedere debent. Hujus secundi generis existimat esse administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, proindeque sufficere, ut in præsentato concurrat habitu, & potentia ex firmatis per *Fagnan. in Cap. Ut Abbates primo de ætate, & qual., & ord. præf., & Rota decis.76. num.16. coram Eminentissimo Crescentio*. Ipsi autem inesse Confessarii qualitatem habitu, & potentia, negari non posse, semel ac Sacerdos est.

Ad examen vero litteræ fundationis descendens tuetur, duplicem conditionem in fundatione adjectam, cui alligatum est adjumentum Parocho præstandum, videlicet ipsius Parochi consensum, & Beneficiati idoneitatem, reddere Confessarii prærogativam mere accidentalem, & coercere oneris adimplementum ad solum casum idoneitatis, & habilitatis. Insuperque ex verbis illius = *Dummodo idoneus, & sufficiens ad præmissa, vel aliquod præmissorum exercendum &c. reperiatur* = colligit, non esse Beneficiatum cogendum ad Confessiones excipiendas, quum non omnes, sed una, vel altera ex functionibus Curæ Animarum ibi præcipiatur, neque actuale ministerium Sacramenti Pœnitentiæ pernecesse requiratur.

Frustra autem peti argumentum ex sententia edita ab Ordinario Casalen. anno 1748. Misso enim, quod Personam tum temporis Canonici particulariter tangat, sustinet, in radice nullam esse ex defectu jurisdictionis, utpote limites rescripti Sac. Congregationis prætergredientem, ac tanquam inductivam novi oneris in fundatione non expressi nullius esse momenti, quum in arbitrio Ordinarii non sit legem Fundationis alterare, novaque onera Beneficiatis adjicere ex collectis per *Piton. de controv. Patr. alleg. 33. num. 37. Rota decis.224. num.6. coram Buratt.*

Ad II. vero putat, dispensationi locum esse, quatenus EE.VV. affirmativum responsum primo Dubio dandum esse censerent. Varia disputat, ut redituum Beneficii comprobet di-

diminutionem tum ex sententia anni 1748., tum ex eo, quod post dictum tempus graviorem passi sint jacturam, ita ut oneribus ferendis non sint amplius pares. Hinc concludit, quod si Sac. Congregatio ea de causa non hæsitavit Beneficiatum ab onere coadjuvandi Parochum eximere, multo fortius nunc ab audiendis Confessionibus debere exonerare; eo vel maxime, quod se promptum ad alia munia, quæ ex fundatione profluunt, adimplenda exhibeat; nec petita exemptio ullum inferat præjudicium aut Fundatoris voluntati, aut juribus Parochorum.

Subditque attendendum non esse, quod Parochus contra Decessorem Canonicum obiiciebat, ex defectu nempe Confessariorum ipsum non posse tali muneri supplere, quum ex relatione Ordinarii anni 1742. habeatur, Beneficium Parochiale aptum esse ad Vice-Parochum manutenendum, nec constare, quod, immediato antecessore excepto, reliqui Beneficiati in functionibus Curæ Animarum, minusque in Confessionibus excipiendis sese immiscuerint. Rationem proinde non pati, ut Beneficii possessor, cujus reditus tenues sunt, onus subeat controversum, Parochus vero emolumenta huic correspectiva, & plus quam sufficientia percipiat.

Demum addit, expostulatam dispensationem præsumptæ Fundatoris voluntati esse conformem, nec sapere derogationem, immo potius voluntatis interpretationem ad tradita per *Fagnan. in Cap. Significatum num.* 3.. *&* 4. *de Præb.*, vel adeo minimam commutationem præseferre, ut in nullo pretio habenda sit.

Adeo conjunctum in Ministerio Pœnitentiæ est Sacerdotium, ut sine isto Sacramentum administrari non valeat, quemadmodum universa tenuit Patrum auctoritas, & semper docuit Ecclesia, novissime vero Sacrosanta Tridentina Synodus *Sess.* 14. *cap.* 6., *& can.* 10.; Hinc extranea videtur inspectio, utrum instituendus ad Beneficium, de quo præsens est disputatio, teneatur ex lege Fundatoris gaudere Confessarii prærogativa tempore collationis, an vero sufficiat, ut aptus ad eam obtinendam reperiatur intra terminum a jure præstitutum; etenim expresse in fundatione cautum fuit, ut præsentatus vel Sacerdos esset, vel saltem a die adeptæ possessionis infra annum ad Presbyteratus Ordinem promoveri valeret. Fatendum idcirco erit, Fundatorem eam qualitatem in potentia, & habitu solummodo exquisiisse in eo, cui Beneficium adjudicari contigisset.

Qui plane intellectus quam maxime consonus est tum dispositioni Juris Canonici *in Cap. Ut Abbates de ætat.*, *& qualit.*, *& Ord. Præf.* ubi late *Fagnan. n.* 9., *& in Clement. Ut si eod. tit.*, tum etiam Sac. Concilii Tridentini *Sess.* 22. *Cap.* 4. *de Reform.*, *& Sess.* 24. *Cap.* 12. *§. Neminem de Refor.*: In cunctis enim his locis statuitur, ad obtinendum, cujusvis ge-

neris Beneficium, cui Ordo Sacer sit adnexus, necessa haud esse, nisi aliter in fundatione cautum sit, ut quis eo præditus sit in actu collationis, sed sufficere, ut intra tempus a jure præfinitum ad illum evehi possit. Quam sententiam perpetuo sequuta est etiam hæc Sac. Congregatio de hac re sæpius consulta juxta resolutiones, quas loco citato refert Fagnanus.

Illud in præsenti casu ponderandum occurrit, an in Canonicatus assequutione sit præferendus Sacerdos Panante, qui asserens se unice qualificatum provocavit Presbyterum Stiglio a Patronis nominatum, ut de ejus habilitate ad Confessiones excipiendas doceret. In hac tamen inspectione expendere in primis oportet, Testatorem non absolute præcepisse, sed sub certis conditionibus onus coadjuvandi Parochum Beneficiato injunxisse. Deinde ex facto animadvertendum, Sacerdotem Panante affirmasse quidem, sed non probasse, se renunciatum ad Confessiones excipiendas idoneum; Sac. proinde Congregationi de hujus rei veritare non constare, nec innotescere, an id evenerit intra tempus Patronis ad præsentandum concessum, quod multum referret esse compertum.

Insuper quum Presbyter Stiglio Fundatori proximior asseratur, præstat etiam circumspicere, an ipse præferendus sit tanquam a Testatore prædilectus, qui voluit, ut ad Beneficium eligendus, dummodo inveniretur, esset de Familia Gorretta, & de linea masculina, sin minus fœminina.

Quoad secundum Dubium, quum dicatur, Canonicatus reditus diminutionem passos fuisse, perpendendum erit, num ratio aliqua habenda sit de illa emolumentorum assignatione, quam Parochus ex emolumentis Curæ Beneficiato factam supposuit.

Quare EE. VV. prudentiæ, ac justitiæ arbitrandum proponitur.

I. *An Sacerdos Dominicus Stiglio pro obtinendo Beneficio, de quo agitur, teneatur ad audiendas Confessiones in Ecclesia S. Eusebii loci Blanzati, in casu &c. & quatenus affirmative.*

II. *An sit locus dispensationi super dicto onere, in casu &c.*

Sess.24.cap.3.de Reform.

VALENTINA. Quum anno 1763. Vicarius Generalis Curiæ Archiepiscopalis Valentiæ Archiepiscopi nomine visitaverit Ecclesiam Parochialem S. Catharinæ Virg., & Mart. dictæ Civitatis, ac Sodalitium Divinæ Pastoræ erectum in Ecclesia PP. Cappuccinorum extra muros ejusdem Civitatis, Ecclesia Parochialis, cogente Curia Archiepiscopali, procurationis nomine persolvere debuit libras 770. monetæ illius Regni Vicario Generali Visitanti, ac alias libras 104. solid. 4. Secretario ejusdem Visitationis: Sodalitium vero libras 39. & solid. 16.

De

De hac procurationis coacta exactione conqueruntur Parochus, & Clerus Ecclesiæ Parochialis, ac Sodalitii Confratres, eam prorsus indebitam affirmantes: Inquiunt enim ad I. Episcopos, eorumque delegatos pro Visitatione tantum Diœcesis exigere posse procurationem: hanc vero illi vetitam esse pro visitatione Ecclesiarum, vel locorum piorum Civitatis, *Fagnan. in Cap. Venerabilis n. 20. de Cens.*, *Barbos. de pot. Episc. alleg. 73. num. 46.*, *Monacell. form. Eccles. legal. tom.3. tit.2. num.2.*, *Pignat. conf. Can.146. num.56. tom. 9.*, & *Sac. Congreg. in Amalphitana Visitationis 18. Julii 1705.*

Perperam ideo pro visitanda Ecclesia Parochiali S. Catharinæ, ac Sodalitio Divinæ Pastoræ in Civitate Valentiæ sitis, tam ingentem procurationem tum a Vicario Generali, tum a Secretario Visitationis exactam fuisse; Resistentibus præsertim Synodalibus Constitutionibus, quæ dum imperant tantum procurationem pro Ecclesiis, & locis piis Diœcesis, tacite prohibere videntur, ne ulla pro visitandis Ecclesiis, vel locis piis Civitatis procuratio exigi possit.

Frustra vero ab Archiepiscopo opponi vel leges Municipales, vel annale Vicarii una cum duobus Presbyteris incommodum in exigendis rationibus plurium administrationum, quæ inibi exercentur. Advertunt enim, municipales leges respicere tantum legata pia infra annum implenda, immeritoque propterea trahi ad Sacram Visitationem Ecclesiarum, vel locorum piorum: Addunt, Archiepiscopum pingues habere mensæ reditus ad sua munera implenda, atque ideo sumptibus suis debere vel per alium rationes ab administratoribus locorum piorum exigere, *Monacell. form. leg. tit. 1. tom.1. num.11.*, & *Nicol. in flosc. verbo gratis* §. 3.

Hinc ad II. concludunt, non tam restituendum esse quidquid indebite, & injuste contra Sacrorum Canonum, & Synodorum sanctiones exactum est a Vicario Generali, ac Secretario Visitationis, sed insuper hos teneri ad dupli restitutionem juxta censuram *Textus in Cap. Exigit de Cens. in 6. Conc. Trid. sess. 24. cap.3. de Reform.*, *Fagnan. in Cap. Procurationes de Censibus*, *Pignatel. conf.146. num.34. tom.9.*

Nullum adhuc vel a Curia Archiepiscopali, vel a Vicario Generali, vel a Secretario Visitationis libellum habuimus.

Archiepiscopus in sua relatione hæc inquit: *Sed ne ista summa, & alia 770. librarum excessiva videatur, supponere debemus, sub Cura Cleri, & Paræciæ esse quamplures administrationes, in quibus ad effectum sumendæ rationis plusquam unius anni tempus Visitator impendit cum duobus Presbyteris Secretaris ejusdem Visitationis; & quum dignus sit Operarius mercede sua, ideo a Sacris Canonibus, & a Tridentina Synodo Sess.24. Cap.3. de Reform., permittitur tam Visitatori, quam suis Victualia frugaliter, & moderate ministrari, sit tamen in optione eorum, qui visitantur, si malint solvere id, quod erat ab ipsis* an-

antea solvi consuetum, pecunia numerata, an prædicta Victualia ministrare: ne autem frugalitas periret, variis Synodis a nostris Antecessoribus promulgatis, & a S. Sede approbatis Statuta fuit quota, a qua excedi non debet, quæ quidem ab omnibus nemine contradicente observata fuit usque ad tempora præsentia, & hoc quidem constabilitum extat in omnibus Diœcesibus hujus Regni, ne irruant abusus, quod facile esset, si in arbitrio Visitatorum relinqueretur, an in pecunia, vel an prædicta Victualia ministrare, maxime in rationum redditione administrationum, in quibus administratores quum nihil de ipsorum bonis expendant, forsan illi pejus se gesserint, gratiam Visitatoris acquirere quærerent cum illarum gravi detrimento.

Nedum per Sac. Concilium, & Synodos, verum etiam per leges municipales hujus Regni, secundum quarum dispositionem debent Judices Ecclesiastici judicare, quia conditæ intervenientibus Prælatis Ecclesiasticis, & Nuntio Apostolico, habentque vim Canonis Provincialis statutum extat, Visitationem, exequutionemque piarum dispositionum intra annum esse mixti fori, post vero ad Ordinarium privative spectare, & pro rationum examine cuilibet eorum assignati fuerunt duo denarii pro unaquaque libra monetaria, quæ hujus centesima vigesima octava est pars. Enimvero quum Fabricerius prædictæ Ecclesiæ S. Catharinæ solutionem Victualium in Synodis taxatorum resisteret, præcedente alia revisione Officialis ad hoc deputati in nostra Curia, cum injunctione Procuratoris dictæ Paræciæ, fuit injunctum mandatum de solvendo, ut moris est: Sed cum recursus ad Sac. Congregationem fundatur non ex eo, quod Visitator excesserit summam a Synodo taxatam, a lege municipali stabilitam, ab omnibus servatam, sed ut declaretur Visitatorem nihil accipere debere procurationis titulo, vel alio quæsito prætextu eamdem respiciente Visitationem, in quo confunditur spirituale cum temporali, absque dubio parvi pendendus est recursus: nam Visitator nihil Procurationis titulo, vel alio quæsito prætextu accipit, præter quotam assignatam ratione Victualium, & taxatam pro revisione computorum, eamdemque quantitatem, quam Judex laicus accepisset, si in suo Tribunali redditæ fuissent; prout eis liberum erat: & sane quum lege municipali pro unoquoque solutio statuta sit, prorsus a ratione extraneum foret Judici Ecclesiastico denegari, quod Laico permittitur.

Juris dispositione inspecta, nemini dubium est, Ecclesias quoque, & loca pia Civitatis, ubi residet Episcopus, teneri ad procurationem solvendam. Sententia hæc est Honorii III. *in cap. 24. de Censibus*, de quo late *Gonzalez in comment. num.2.*, *& Nicol. de Maistr. de bon.*, *& pæn. Eccles. lib.2. cap.1. fol.174.* Post notissimum nihilominus decretum Concilii Tridentini *sess. 24. cap. 3. de Reform.* interdicens exactionem Procurationum, *exceptis Victualibus, quæ sibi, ac suis frugaliter, moderateque pro temporis tantum necessitate, & non ultra erunt ministranda*, discors fuit Doctorum opinio; an Procuratio deberetur Episcopo Visitanti Ecclesiam Ca-

Cathedralem, aliasque suæ Civitatis, in qua moratur, ubi nullum sumptum subire solet, quum commode possit ad ædes Episcopales reverti.

Verum quæstionem hanc pluries definivit Sac. Congregatio; Nam in una *Castren. Procurationis* 17. *Novembris* 1685. hæc habentur: = *Modernus Episcopus Castrensis comperit, Prædecessores suos in Visitatione Ecclesiæ Cathedralis consuevisse exigere a Capitulo ducatos sex ratione Procurationis, innixos fortasse auctoritati Hostiensis, & Abbat. in Cap. Venerabilem de Censibus, & Genuen. in praxi Cur. Archiep. Neap. cap. 19. juxta antiquam impressionem, eam reddentium rationem, quia Procuratio non solum ob victus necessitatem, verum etiam ratione officii, & in signum subjectionis Episcopo debetur: quia tamen contrarium firmat Piasc. in praxi Episc. part. 2. cap. 3. n. 65. asserens, ita pluries respondisse hanc Sac. Congregationem, ideo anceps, cuinam opinioni sit adhærendum, abstinuit ab exactione, interea supplicans, ab EE. VV. decerni: An Episcopo Ecclesiam Cathedralem, vel alia loca pia Visitanti debita sit Procuratio? Respondit, negative.*

In una *Aliphana Procurationis*, qua Clerus Civitatis solutionem Procurationis detrectaverat antea semper solutam, proposito, *an Episcopo Visitanti Clerum Civitatis Aliphanæ Procuratio debeatur, in casu &c.* respondit die 18. Julii 1705. *negative*.

In una *Polycastren. Procurationis*, qua Clerus Ecclesiæ S. Nicolai Terræ Laureæ, ubi Episcopus degebat, procurationem denegaverat, proposito, *an Episcopus in actu Visitationis possit exigere ab Archipresbytero, & Clericis participantibus Ecclesiæ S. Nicolai Terræ Laureæ procurationem in casu &c.* respondit die 5. Junii 1737. *negative, quatenus Episcopus resideat aliqua parte anni in Terra Laureæ*.

Queritur proindè ab EE. VV.

I. *An pro Visitatione Ecclesiarum, & locorum Piorum Civitatis Valentiæ solvenda sit Archiepiscopo, vel ejus Delegato Procuratio, etiam sub nomine emolumenti, in casu, & quatenus negative.*

II. *An, & in qua summa sit locus restitutioni pecuniarum exactarum, in casu &c.*

AGRIGENTINA DISPENSATIONIS. Postquam Ignatius Radosti Religioni nomen dederat in inclyto Ordine Prædicatorum, atque in ea commoratus fuerat ad aliquod tempus Religionis munia exercendo, motus, ut ipse asserit, suasionibus P. Dionysii Greco Prioris Conventus S. Dominici Terræ Clusæ, qui Patrimonii Sacri Constitutionem promiserat, Professionis nullitatem proposuit in Curia Ecclesiastica Cusanæ, ubi morabatur, & sententiam suis votis conformem obtinuit, cum lege tamen, ut nisi infra quatuor menses de sufficienti Patrimonio fuisset provisus *Sess.* 14. *cap.* 7. & *Sess.* 24. *cap.* 6. *de Reform.*

a ce-

a celebrandis Sacrificiis arceretur. Deinde quum in paterna Domo vitam duceret parum laudabilem, Episcopus Agrigentinus suo Vicario Foraneo injunxit, ut illi injungeret accessum ad Civitatem Agrigenti, & quatenus parere recusasset, ut comprehenderetur, & alligatus transmitteretur. Extrema Ignatii paupertas imparem eum reddidit ad subeundas itineris expensas; quapropter Vicarius Foraneus Clusæ illum per Satellites domi suæ sistere mandavit; Sed Ignatius ut id audivit ira correptus, ac furore succensus ad Conventum Dominicanorum properavit, igneo tormento munitus, & quum incidisset in P. Priorem Greco, quem suum infensum hostem, suorumque malorum causam existimabat, explosο tormento ipsum interfecit.

Criminis atrocitate perterritus profugus discessit, eoque contumace Curia Ecclèsiastica Agrigentina ipsum Censuris irretitum declaravit. Deinde accessit ad Urbem, & a Sac. Pœnitentiaria absolutionem, quoad forum internum reportavit. A die autem patrati homicidii, quod accidit die 4. Augusti 1757. ad hæc usque tempora tum Romæ, tum Venetiis commoratus est, ubi resipiscentiæ, & pœnitentiæ anteactæ vitæ signa præbuit, ut habetur ex Parochorum, aliorumque testium depositionibus, quæ in Summario libelli exhibentur. Pluries interim apud Sac. hanc Congregationem, sed inutiliter supplicavit pro dispensatione ab incursa ex homicidio irregularitate; easdem nunc renovat preces, fusisque lacrymis EE. VV. clementiam humiliter implorat.

Ait, homicidium patrasse in calore iracundiæ: id patere ex ipsamet relatione Episcopi Agrigentini, in qua legitur, ipsum non prius arma sumpsisse, quam post acceptam notitiam demandatæ contra ipsum Capturæ: Omni proinde dignum commiseratione, atque indulgentia, *Fagnan. in Cap. Henr. num. 35. de Cler. pugnan. in duell.*, *Vrsaja discept. 6. part. 2. tom. 1. num. 6.*; Si præsertim ponderetur, Oratorem nunquam antea fuisse inquisitum, aut ulla culpa, vel offensione notatum, & rursus se postea honeste gessisse, aliisque fuisse exemplo, Ecclesiæ inserviendo; quod ad facilius obtinendam dispensationem quam maxime conferre tradit *Vrsaja discept. 5. num. 9. par. 2. tom. 1.*

Plurimi insuper habendam temporis diuturnitatem, quum Orator a decennio in summa egestate, & luctu vitam traducat, omni humana ope, ac solatio destitutus: In hoc autem temporis decursu frequenter apud Sac. Congregationem institisse pro dispensatione, sed semper suam postulationem fuisse rejectam. Rejectionem vero pluries passam, juncta præsertim supplicantis paupertate, faciliorem aperire aditum dispensationi, *Mandos. in prax. sign. tit. absolut. versic. Absolutio ab homicidiis*, *Corrad. in praxi Dispensat. lib. 5. cap. 1. num. 5.*; Accedente potissimum tum permanentia in Urbe a triennio, quæ pro minuenda pœ-

na solet considerari, *Ursaja disc.* 5. *num.* 11. *tom.* 6. *par.* 5., tum assensu præstito a Consanguineis defuncti, qui pacem sponte, libenterque obtulerunt.

Denique animadvertendum proponit, non hic agi de dispensatione indulgenda Clerico ad Ordines promovendo, sed de habilitando jam promoto ad exercitium Ordinum: Hoc autem secundo casu facilius dispensationem concedi, *citat. Ursaja discept. 6. num. 6. par. 2. Fagnan. in Cap. Henric. num. 35. de Cleric. pugnan. in Duell.*, ubi refert, sic fuisse decisum a Congregatione habita coram San. Mem. Paulo V. anno 1613. Nec obstare infamiam ex delicto contractam, quia quum non sit infamia juris, sed facti, quæ ex subsequuta morum, & vitæ emendatione per triennium continuata abstergitur, *Abb. in cap.* 21. *num.* 2. *de accus.*, *Antonell. de Regim. Eccles. lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 17., ita ob lapsum decenii, quælibet a loco patrati homicidii perempta, ac sublata præsumatur criminis memoria, *Rota in Melevitana Pecuniaria* 8. *Februarii* 1751. §. 15. *coram Eminentissimo Elephantutio*.

Hæc pro obtinenda dispensatione proponit Orator; Ad rem autem præstat animadvertere, quod juxta divinum eloquium a Ministerio Altaris arcendi sunt, qui sanguinem humanum fuderunt; *in lib.* enim *primo Paralipomenon* 22. *num.* 8., imperatur Davidi: *Multum sanguinem effudisti, & plurima bella bellasti, non poteris ædificare Domum nomini meo* = & rursus *ibid. cap.* 28. *num.* 3. *Non ædificabis Domum nomini meo, eo quod sis vir bellator, & sanguinem fuderis* =; Similiter legitur *in lib. Exodi cap.* 2. = *Si quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias, ab Altari meo evelles eum* =. Hinc cohærenter Sac. Concilium Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 7. *de Reform.*, ita disponit: = *Cum etiam qui per industriam occidit proximum suum, & per insidias, ab Altari evelli debet; qui sua voluntate homicidium perpetravit, etiamsi crimen id nec ordine judiciario probatum, nec alia ratione publicum, sed occultum fuerit, nullo tempore ad Sacros Ordines promoveri possit.* =

Tenent autem Doctores, Concilium tantum loqui de homicidio voluntario, & per industriam, ut sensit *Barbos. de Offic. Episc. par.* 2. *alleg.* 39. *num.* 49., *Garz. de Benef. par.* 7. *cap.* 11. *num.* 44. *& alii*. Multum vero interest distinguere, an homicidium casuale fuerit, vel voluntarium, juxta distinctionem, quam facit *Glossa in Cap. Sicut §. Consilium*. Ad dignoscendum, an homicidium fuerit voluntarium, vel casuale, perpendi debent circumstantiæ; quas refert *Fagnan. in Cap. Henricus de Cleric. pugn. in duell. num.* 35., ibi = *Sanctissimus remittit supplicationes ad Sac. Congregationem Concilii, quæ præcipue considerare solet, an homicidium commissum fuerit per industriam, seu præmeditate, & per insidias, an vero calore iracundiæ, & in pura rixa, an Occidens fuerit rixæ author, vel provocatus, an Orator esset bonæ conditionis,*

& fa-

& famæ, & an post delictum semper laudabiliter vixerit. =

In præsenti igitur casu examinandæ in primis erunt circumstantiæ, quæ homicidium aut præcesserunt, aut in actu intervenerunt, aut sunt subsecutæ, aliæque in sui exonerationem ab Oratore expositæ. Episcopus Agrigentinus improperat vitæ consuetudinem ab Ignatio actam post discessum a Religione; & quoad inimicitias cum Religioso Priore Græco hæc asserit: = *Del resto a me non costano i motivi, che abbiano indotto il Sacerdote Radosti a commettere cotal eccesso, ma soltanto so per fama, e diceria, che forse l'ucciso Priore P. Dionisio Greco avea promesso d'assegnare il Patrimonio al Radosti, dopo che si sarebbe spogliato dell'Abito di S. Domenico, e che poi non gli attenne la promessa. Per lo che vedendosi ridotto a mendicare il Sacerdote Radosti, si diede al partito di svenciarsi con ucciderlo* =. Notandum Radosti non prius arma cepisse, quam post habitam notitiam demandatæ contra ipsum Capturæ. Hinc inspiciendum erit, an homicidium commissum fuerit in calore iracundiæ, quæ, ut ait *Divus Hieronymus* in Epistola ad Demetrium, *ab omni consilio, & mente deturbat, ut dum irascitur insanire credatur.*

Notandum ulterius, an Orator se purgaverit ab infamia ex delicto contracta. Certum est ex turpi, & inhonesta vivendi ratione infamiam contrahi ad *Text. in Cap. Inter dilectos* 11. *de excess. Prælat.*; Verum si quis per triennium saltem a pristina vivendi norma resipuerit, & probitatis specimen præbuerit, infamia detergitur, ut ex *Can. si duo 35. quæst.6.*, & *Can. nunquam* 14. *dist.* 56. ubi S. Crysostomus, *ad meliora*, inquit, *conversum neququam prior vita commaculat*; & tradunt *Garz. de Benef. par.7. cap.8. num.64.*, *Barbos. de Offic. Episc. alleg.43. num.21.*, *& seq.*

Denique notandum, quod agitur de habilitando paupere Sacerdote ad Ordinum exercitium. Cum promovendis, testatur *Fagnan. in comment. ad Cap. Henricus num.41. de Cleric: pugn. in duell.*, se nunquam vidisse, fuisse dispensatum, nisi forte dispensandus regularem professionem emittere voluisset. Ex *glossa* superius citata *in Cap. Sicut §. Consilium* hæc habentur de homicidio voluntario: = *Si voluntate, quod fit tribus modis, facto, præcepto, & consilio: in quocunque istorum casuum qui committit homicidium non solum non debet promoveri, sed in perpetuum debet deponi.* =

Episcopus Agrigentinus suam Sententiam hac super re non explicat, totumque se remittit clementiæ, ac justitiæ EE. VV., quæ definire dignabuntur.

An sit locus dispensationi ab incursa irregularitate in casu &c:

FINIS.

INDEX

INDEX
CONCLUSIONUM

Quæ in singulis Foliis anni 1767. *sunt adnotatæ*.

 Qui-

C

Nec

F

G

H

Lai-

L

M

Quan-

Q

R


S

T

De

Com-

FINIS.



INDEX RESOLUTIONUM

Quæ prodierunt in Causis anno 1767. *propositis*.

A

B

D

E

F

H

P

Q

R

S

FINIS.

THESAURUS RESOLUTIONUM SAC. CONGREGATIONIS CONCILII

Quæ prodierunt Anno MDCCLXVIII.

Rm̃o P. D.

FRANCISCO XAVERIO DE ZELADA

ARCHIEPISCOPO PETRENSI

SECRETARIO.

TOMUS XXXVII.



ROMÆ MDCCLXVIII.

Ex Typographia Bernabò, et Lazzarini.

SUPERIORUM FACULTATE.

INDEX
ALPHABETICUS CAUSARUM

Quæ in Sacra Congregatione Concilii propositæ fuerunt anno 1768. per Diœceses dispositus.

A

B

C

D

F

Ga-

F I N I S.

Die

Die Sabbathi 16. Januarii 1768. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

IN postremo Eminentissimorum Patrum Consessu quatuor definitis Causis, quinque reliquæ fuerunt, quarum series in Folio diei 12. Decembris 1767. transcripta reperitur. Dignentur igitur EE.VV. illud iterum ante oculos habere, & super his, aliisque, quæ post eas ex ordine hic subjiciuntur, sapientissimum de more proferre judicium.

CALAGURITANA APPLICATIONIS MISSÆ PRO POPULO. *Sess. 23. cap. 7. de Reform.*

An, & quomodo sit locus reductioni applicationis Missæ pro Populo, in casu &c.

Dilata, & scribatur Episcopo iuxta instructionem.

NEAPOLITANA, SEU BOJANEN. *Sess. 14. cap. 7 & Sess. 24. cap. 6 de Reform.*

An Sacerdos Cosmus Roberto teneatur se abstinere a celebratione Missæ, & ab exercitio susceptorum Ordinum, in casu &c.

Non constare de incursu in Irregularitatem.

CASALEN. *Sess. 22. cap. 4., & Sess. 24. cap. 12. de Reformat.*

I. *An Sacerdos Dominicus Stiglio pro obtinendo Beneficio, de quo agitur, teneatur ad audiendas Confessiones in Ecclesia S. Eusebii loci Blanzati, in casu &c. & quatenus affirmative.*

II. *An sit locus dispensationi super dicto onere, in casu &c.*

Ad I. Negative. Ad II. Provisum in primo.

Sess.24.cap.3.de Reform.

VALENTINA.

I. *An pro Visitatione Ecclesiarum, & locorum Piorum Civitatis Valentiæ solvenda sit Archiepiscopo, vel ejus Delegato Procuratio, etiam sub nomine emolumenti, in casu, & quatenus negative*

II. *An, & in qua summa sit locus restitutioni pecuniorum exactarum, in casu &c.*

Non proposita, cum reliquis.

Sess 14. cap.7., & sess.24.cap.6. de Reformat.

AGRIGENTINA DISPENSATIONIS.

An sit locus dispensationi ab incursa irregularitate, in casu &c.

Sess.25. cap.5. de Regularibus, & Monialibus.

TUSCULANA. Cynthia Marchetti, Dominica Asciutti, Margharita Balzani, & Maria Stajner habitu Tertiariarum Carmelitarum indutæ, postquam ad aliquot annos munus obiverunt Magistrarum Piarum in Suburbicario Oppido Arcis Priorum, anno tandem 1762. maluerunt eam Domum, Scholamque deserere, quam se subjicere mandatis, & obedientiæ Regiæ Celsitudinis Eminentissimi Episcopi Tusculani, qui propterea coactus fuit eidem Domui, ac Scholæ alias præficere Magistras pias, quæ nunc ibi moram trahunt, concreditoque officio funguntur, erudiendo, & excolendo in pietate, & bonis moribus ejusdem Oppidi Puellas.

Urbem hinc petentes dictæ Tertiariæ Carmelitæ, ibique novum Magistrarum piarum Conservatorium habentes, quadriennio post preces Sanctissimo dederunt, rogantes, ut dignaretur in hoc novum Conservatorium in Urbe erectum transferre quatuor ll. Montium cum dimidio ex propriis Subsidiis dotalibus Domui Arcis Priorum acquisitorum. Precibus ad Sacram Congregationem remissis, actum est apud eamdem non solum de locis Montium, sed etiam de earum reintegratione ad ipsam Domum dicti Oppidi, ac etiam de stabilibus, & mobilibus eidem Domui acquisitis: Hinc *die 20.Junii proxime elapsi* tria proposita fuerunt dubia: *I. An Tertiariæ Carmelitæ reintegrandæ sint ad Scholam, & Conservatorium Arcis Priorum, & quatenus negative, II. An eisdem restituenda sint asserta bona stabilia, & mobilia, nec non assertæ expensæ factæ in Fabrica Conservatorii. III. An fructus locorum quatuor cum dimidio Montis S. Petri septimæ erectionis transferri debeant in Oratrices, seu potius debiti fuerint, & de-*

bean-

beantur Domui, seu Scholæ Magistrarum Piarum Oppidi Arcis Priorum Tusculanæ Diœcesis. Cum autem, quæ tunc Sacra Congregatio æquitatem sequuta præscripsit, effectu vacua remanserint, res eo perducta est, ut eadem dubia iterato examini subjiciantur, & sint tandem prout de jure definienda.

Ad I. inquit Promotor Fiscalis, noluisse Mulieres ad Scholam Arcis Priorum redire, quæ mens erat Sacræ Congregationis: Ipsas nunquam repulsas fuisse, quatenus animum suum, ut par erat, induxissent ad parendum Episcopo pro tempore, ac Synodalibus Constitutionibus: inanem proinde modo esse de reintegratione quæstionem. Cæterum advertit duo ad reintegrationem requiri, antiquam nempè possessionem, & injustam dejectionem *Can.reintegrandæ 3.quæst.1., cap.2. de restit.spoliat., Rot.in Ferrarien.reintegrationis 1.Decemb.* 1758. *§.2.cor.Ratta.*

Neutrum verò in casu concurrere: Non quidem possessionem, nam eam non habuerunt nisi precariam, quia ab Episcopi arbitrio pendet Magistrarum Piarum deputatio, ac amotio *Ziegler.de Episc. lib.3. cap.23. de jure circa Scholas per tot., & Rot. in Leodien. Jurisdictionis 6.Decembris* 1726.*§.Militat cor. Cincio.* Neque etiam dejectionem; quia dictæ Mulieres proprio facto, propriave culpa sponte recesserunt, non fuerunt injusta coactione ejectæ, *Menoch. de recuper possess.remed.15. num.95., Rot. in Bononien. reintegrationis 6.Junii* 1707. *§.Ratio coram Caffarello, & in Bononien.reintegrationis, seu Immissionis 1.Aprilis* 1726.*§.Porro cor.Crispolto*.

Quin ad injustam coactionem referri possit vel demandata eisdem obedientia Episcopo pro tempore, vel injuncta dimissio habitus Carmelitæ. Advertit enim, Mulieres illas verè Tertiarias non fuisse, utpote non habentes tempore suscepti habitus nec ætatem annorum quadraginta, nec Episcopi licentiam. Contra formam idcircò Apostolicarum Constitutionum illas habitum Tertiariæ Carmelitæ gestare, nulloque propterea Tertiariarum privilegio potiri. Ait insuper, Scholam Arcis Priorum pro Magistris piis, non verò pro Tertiariis Carmelitis erectam fuisse; Synodales Constitutiones præscribere uniforme Magistrarum Piarum institutum: immeritò ideo eas habitum Tertiariarum gestare, quem nec qualitas personæ, nec indoles Scholæ, nec Apostolicæ, ac Synodales Constitutiones permittebant. Demum asserit, ex ipsis Apostolicis Constitutionibus Tertiarias sive collegialiter, sive divisim viventes semper Episcopo subesse, & ob id injustè eas Episcopo pro tempore obedientiam denegare *De Angel.de Tertiar. n.14. & seq., & Be ned.XIV. instit.Eccles.105.num.63.*

De II. Inquit, pro repetendis mobilibus, & stabilibus probandum esse, eorumdem dominium ad eas Mulieres spectare *leg.9. & leg.13. ff. de rei vindic., leg.21. cod. eodem*,

itemque ad repetitionem expensarum Fabricæ Domus Arcis Priorum probandum esse, prædictas Mulieres has expensas fecisse de propriis pecuniis *Mascard, de probat. conclus.* 116. *num.* 1., & *Rot. cor. Lancetta dec.* 628. *num.* 38.

Hanc verò probationem deesse; nam emptio Castaneti facta fuit non favore Mulierum, sed favore Domus Arcis Priorum; dominium ideo eidem Domui fuisse privativè acquisitum, *leg.* 8. *Cod. si quis alteri*: nec de pretio erogato eas conqueri posse, cum ex munificentia Regiæ Celsitudinis Eminentissimi Episcopi jam obtinuerint scuta 50., quæ ex propriis pecuniis erogaverant in emptionem dicti Castaneti. Hortum verò a Rev. Camera eis donatum fuisse intuitu muneris Magistrarum Piarum in dicto Oppido, & *suis in earum instituto Successoribus*. Dominium proinde non ipsis Mulieribus, sed Scholæ, & Successoribus in eadem acquisitum fuisse *Camarel. de Legat. cap.* 8. *quæst.* 8. *num.* 3., & *seq.*

Mobilia verò omnia jam ab ipsis Mulieribus ablata fuisse, nullaque alia in dicta Domo reperta, frustraque idcircò eas repetere, quod jam habuerunt. Cæterum Promotor pollicetur omnia mobilia statim restituere, quæ ad dictas Mulieres revera spectare probentur.

Demum quoad scut. 85. impensa in constructionem fabricæ Domus, ait, ratam scut. 61. retractam fuisse ex arboribus Castaneti ad Scholam spectantis: alia scuta 20. recepta ab eis fuisse titulo eleemosynæ intuitu Loci Pii: reliqua demum scuta 4. ex reditibus a Benedicto XIV. Scholæ assignatis soluta præsumi: Nihil ideo dictas Mulieres de proprio erogasse, nullamque expensarum refectionem eis debitam esse.

Ad III. ait, sæpedictas Mulieres dedisse Sanctissimo preces pro investimento Subsidiorum dotalium favore Conservatorii Arcis Priorum: Pontificem intuitu ejusdem Conservatorii exactionem, & erogationem indulsisse: litteris patentalibus non Oratricum insertum nomen, sed Conservatorii, & Scholæ Magistrarum Piarum Arcis Priorum: Conservatorium hoc, & Scholam adhuc persistere; Quapropter inspecta tum clara Pontificis mente, tum locorum Montium dominio, non ad eas Mulieres illorum fructus, sed ad Conservatorium, & Scholam spectare, *leg. ex diverso*, *leg. ex fundo ff. de rei vindic.*

Nec obesse, quod Subsidia dotalia ad eas Mulieres spectarent: Advertit enim ea exigi nequivisse, nisi inito Conjugio vel spirituali, vel temporali; Neutro proinde, nec etiam num verificato, nullum jus eisdem esse petendi dicta Subsidia, vel ex eorum fructibus se alendi. Qua de re, cum Summus Pontifex Subsidiorum exactionem indulserit favore Scholæ Arcis Priorum, ita quidem, ut illa, si deficeret eadem Schola, non ad dictas Mulieres, sed ad respectiva

Loca

Loca Pia reverti deberent, eorumdem idcircò fructus Magiſtris Piis dumtaxat nunc in dictoOppido Puellas erudientibus deberi, non curata perſonarum mutatione *Bruneman. ad leg. 75. ff. de judic.*, *Rot. in Recent. deciſ.* 58. *num.* 2. *part.* 18. *tom.* 1.

Ex parte dictarum Mulierum nihil adhuc habuimus.

Antiquiſſimus eſt Monialium uſus in Eccleſia, ut tradit *Poſſidius de vita S. Auguſt. cap.*27. *&* 31., ac de earumdem clauſura, mentio habetur etiam in ſæculo quarto. Verum cum nulla generali lege Moniales omnes ad clauſuram obſtringerentur, hinc Bonifacius VIII. labente ſæculo XIII. eam omnibus Monialibus indixit, ut in *cap.periculoſo de ſtat. Regul. in 6.*

Præſcripta ſic omnibus Monialibus clauſura,in lucem prodierunt Tertiariæ ſequentes inſtitutum Regulare alicujus Fundatoris abſque ulla clauſura vel in propriis domibus, vel collegialiter viventes: Has non improbavit Leo X.,immo in ſua Conſtitutione *Num initia 29. Decembris* 1516. §. 20., edixit: *Collegialiter autem viventes, ſeu cum clauſtralibus habitantes, ac Mulieres virginalem, ſeu cælibem, aut caſtam viduilem expreſſo voto, & ſub dicto habitu vitam ducentes, privilegiis, quibus Fratres Ordinis, cujus tertiæ regulæ habitum geſtant, gaudere debeant*, ac poſtmodum anno 1518. declaravit, *ut etiam Mulieres virginalem, ac cælibem vitam ſimpliciter viventes, etiam in Conſanguineorum, & Affinium ſuorum, aut propriis domibus, vel ſeorſim habitantes, privilegiis, & immunitatibus prædictis in omnibus, & per omnia frui, & gaudere debeant.*

Verùm Sanctus Pius V. in ſua Conſtitutione *Cura Paſtoralis*, ita ſtatuit de Tertiariis collegialiter viventibus: *Mulieres quoque, quæ Tertiariæ, ſeu de Pænitentia dicuntur, cujuſcunque fuerint Ordinis, in Congregatione viventes, ſi & ipſæ profeſſæ fuerint, itaut ſolemne votum emiſerint, ad clauſuram præcisè & ipſæ teneantur: Quod ſi votum ſolemne non emiſerint, Ordinarii una cum Superioribus earum hortentur, & perſuadere ſtudeant, ut illud emittant, ac profiteantur, ac poſt emiſſionem, & profeſſionem eidem clauſuræ ſubjaceant: quod ſi recuſaverint, & aliquæ ex eis inventæ fuerint ſcandaloſè vivere, ſeveriſſime puniantur; cæteris autem omnibus ſic abſque emiſſione Profeſſionis, & clauſura vivere omnino volentibus, interdicimus, & perpetuo prohibemus, ne in futurum ullam amplius prorſus in ſuum Ordinem, Religionem, Congregationemve recipiant. Quod ſi contra hujuſmodi hanc noſtram prohibitionem, & decretum alias receperint, eas ad ſic vivendum omnino inhabiles reddimus.*

Ad tollendos verò varios abuſus, ac quæſtiones, Sacra Congregatio anno 1616. generalia edidit Decreta, quibus, quoad Tertiarias non collegialiter viventes conſtituit: *Non autem ad habitum admittendas, & recipiendas eſſe, niſi probatæ vitæ, & bonis moribus præditas, atque in ætate ſaltem 40. anno-*

norum constitutas, quæ de proprio habeant, unde sufficienter vivere possint, & non cum aliis Viris, quam cum Consanguineis, vel affinibus in primo tantum gradu sibi conjunctis cohabitent, & ab Ordinario Loci licentia prius impetrata, qui non aliter eam concedat, nisi de prædictis prævio examine diligenti sibi constiterit, relictis cæteris Tertiariis collegialiter, seu in Congregatione viventibus sub dispositione dictæ Constitutionis S. Pii V.

Hinc eadem Sacra Congregatio in una *Mazarien.*, proposito: *Quæ nam sint conditiones requisitæ, ut Regulares habentes facultatem dandi habitum suæ Religionis Mulieribus non collegialiter viventibus, dictum habitum dare possint, & an examen dictarum facultatum pertineat ad Episcopum*: respondit die 10. Maji 1727. *Examen facultatum concedendi habitum pertinere ad Sedem Apostolicam, examen conditionum quoad Mulieres vestiendas, & licentiam vestiendi pertinere ad Ordinarium, & conditiones vestiendarum esse expressas in decretis generalibus alias editis, & hæc decreta esse omnino servanda.*

Et quoad Tertiarias collegialiter, vel in Congregatione absque solemni voto, & clausura viventes, Sacra Congregatio, resistente S. Pii V. Constitutione, nunquam eas approbavit, sed tantùm tolleravit, injungens omnimodam subjectionem jurisdictioni Ordinarii, absque ulla ejusdem Conservatorii approbatione, ut in *Lauden.* 27. *Maii* 1677., *in Lunen. Sarzanen. Visitationis SS. Liminum* 30. *Januar.* 1723., *& in Januen.* 26. *Aprilis* 1749.

Et quamvis postea Benedictus XIII. in sua Constitutione incipien. *Paterna Sedis* exemerit omnes Tertiarios, & Tertiarias Ordinis Minorum Observantium ab omnimoda jurisdictione Episcoporum, & Parochorum, & in alia posteriori incipien. *Pretiosus* eamdem quoque omnimodam exemptionem indulserit Tertiariis omnibus Ordinis S. Dominici; Nihilominus Clemens XII. in Constitutione incipien. *Romanus Pontifex* 28. Martii 1732. utramque Benedictinam Constitutionem moderatus fuit, omniaque ad pristinum statum reduxit, itaut in posterum supradicti Ordines Regulares earumdem Literarum, & Constitutionum usu, comodo, & effectu penitus carere deberent.

Hisce præhabitis, perpendendum in primis est, an dictæ Mulieres fuerint verè Tertiariæ, itaut privilegiis Ordinis fruerentur, & habitum Tertiariæ gestare possent, quia de nulla constat licentia obtenta a Superiore Regulari, & ab Ordinario Loci, immo habetur Dominicam Asciutti tempore susceptionis habitus vix annos 30., & Cynthiam Marchetti vix annos 20. natas fuisse.

Perpendendum item, an eædem Tertiariæ tanquam viventes in Conservatorio, seu in Congregatione, jure ab Ordinario reprobari possent in vim Constitutionis S. Pii V. incipien. *Cura Pastoralis*: vel saltem, an jure eædem Tertiariæ obedien-

dientiam, & subjectionem denegaverint Episcopo, cui Sacra Congregatio omnimodam jurisdictionem semper commisit super dictis Conservatoriis Tertiariarum nec votum solemne, nec clausuram habentium.

Advertendum item, Benedictum XIV. contemplasse institutum Magistrarum Piarum in dicto Oppido erigendum; eidem instituto assignasse annua scuta *36.*; ipsum institutum exposci a Synodalibus Constitutionibus: Diversum verò esse institutum Tertiariarum, ab illo Magistrarum Piarum, de quo disserit Benedictus XIV. in constitutione incipien. *Quamvis* 30. Aprilis 1749. *§. 21. tom. 3.*

Ad II., & III. dubium advertendum est, Castanetum acquisitum fuisse *ipsi Conservatorio Magistrarum Piarum*: Hortum cessum fuisse tunc stipulantibus Magistris piis *pro se, suisque in earum instituto Successoribus*: Loca Montium empta fuisse *ad favorem Conservatorii Magistrarum piarum Terræ Arcis Priorum*. Ambigi idcirco non posse videtur, eorumdem dominium non ipsis Tertiariis, sed ipsi Conservatorio, & Scholæ, quæ adhuc extat, acquisitum fuisse, *leg.* 1. 3. *&* 8. *Cod. si quis alteri, & leg. si ex ea Cod. de rei vindic.*

Idque procedere, etiamsi postmodum personæ dicti Conservatorii mutatæ fuerint, ut docet *Alfenus in l. 76. de judic.*, ibi = *Proponebatur ex his judicibus, qui in eamdem rem dati essent, nonnullos causa audita excusatos esse, inque eorum locum alios esse sumptos, & quærebatur, singulorum Judicum mutatio eamdem rem, an aliud judicium fecisset? Respondi non modo si unus, aut alter, sed etsi omnes Judices mutati essent, tamen & rem eamdem, & judicium idem, quod antea fuisset, permanere. Neque in hoc solum evenire, ut partibus commutatis eadem res esse existimaretur, sed & in multis cæteris rebus: Nam & legionem eamdem haberi, ex qua multi decessissent, quorum in locum alii subjecti essent: & Populum eumdem hoc tempore putari, qui ab hinc centum annis fuisset, cum ex illis nemo nunc viveret: itemque navem, si adeo sæpe refecta esset, ut nulla tabula eadem permaneret, quæ non nova fuisset, nihilominus eamdem navem esse existimari. Quod si quis putaret, partibus commutatis aliam rem fieri, fore ut ex ejus ratione nos ipsi non iidem essemus, qui ab hinc anno fuissemus, propterea quod, ut Philosophi dicerent, ex quibus particulis minimis consisteremus, hæ quotidie ex nostro corpore decederent, aliæque extrinsecus in earum locum accederent. Quapropter cujus rei species eademconsisteret, rem quoque eamdem esse existimari.*

Tota hinc inspectio eo reducitur, an dictæ Mulieres repetere possint, si non ipsas res, pretium saltem erogatum in acquisitionem. Præstat autem in primis advertere, an erogatum pretium liberè, & pleno jure ad easdem spectaret, ita ut pro repetitione agere possint: Præstat item distinguere, an dictæ Mulieres sponte, vel justa coactione discesserint a dicta Schola, nam tunc sibi imputare deberent, si re-

si recesserunt, vel recedere debuerunt, nullumque ex proprio arbitrio, vel culpa compendium consequi par esset; an vero per injustam coactionem Scholam deserere debuerint, & tunc iniquum esset, ex alterius culpa earumdem juribus præjudicium irrogari, & propriis emolumentis spoliari.

Dignentur EE. VV. singulis assueta justitia, æquitate, & prudentia perpensis, definire

I. *An Tertiariæ Carmelitæ reintegrandæ sint ad Scholam, & Conservatorium Arcis Priorum in casu &c.*

II. *An eisdem restituenda sint asserta bona stabilia, & mobilia, nec non assertæ expensæ factæ in fabrica Conservatorii in casu &c.*

III. *An fructus Locorum quatuor cum dimidio Montis S. Petri septimæ erectionis transferri debeant in Oratrices, seu potius debiti fuerint, & debeantur Domui, seu Scholæ Magistrarum Piarum Oppidi Arcis Priorum Tusculanæ Diœcesis in casu &c.*

Sess. 23. cap. 16. de Reform.

ROMANA SUBSIDIORM DOTALIUM. Joannes Baptista Cimini Romanus in suo testamento, quod condidit anno 1682. hæredem ex asse scripsit Ecclesiam S. Antonii inclytæ nationis Lusitanæ sub expresso onere, quod omnes suæ hæreditatis fructus erogarentur in tot Subsidia Dotalia scutorum 50. pro pauperibus, & honestis puellis in Domino nupturis *con dichiarazione, che non possano servire per matrimonio temporale, essendo il mio desiderio, che s' impieghino i miei sudori per quelle pure Verginelle, che eleggeranno per loro Sposo il nostro Redentore Gesù Cristo.*

Modum inter cætera præscripsit electionis puellarum: voluit enim eligi puellas centum a Deputatis Ven: Congregationis S. Antonii: ex his in Urnam positis tot per sortitionem extrahi puellas, quot ferrent hæreditatis fructus ad Subsidium scut. 50. singulis dandum, onerando conscientiam Deputatorum Congregationis *ad aver mira di nominare le Zitelle più bisognose, e nelle quali concorra maggiormente la gloria di Dio, e suo servizio: dichiarando, che la mia intenzione è, che a quest' opera siano ammesse così le Romane, come le forastiere, che abbiano i requisiti di esser timorate di Dio, ed onorate*: Ac demum omnia subjecit, ut promptæ executioni mitterentur, protectioni Emi, & Revmi Decani Sacri Collegii Cardinalium, cui quoque jus esse voluit annuam distribuendi dotem pro Puella monacanda.

Sedula Eminentissimi Decani, & Protectoris Ven. Ecclesiæ vigilantia, singulis annis, juxta piam Testatoris voluntatem Puellarum extractio facta fuit: Et quum forte contigisset, ut pleraque Subsidia Dotalia electis Puellis sorte assignata remanerent penes ipsam Ecclesiam, vel ob electæ Puel-

Puellæ prædecessum, vel ob contractas in sæculo nuptias; hinc Sacra Congregatio anno 1722. benignè ad vicennium indulsit, ut eadem Subsidia non soluta, quæ nuncupantur *recadentiæ*, erogarentur in extinctionem æris alieni ob Fabricam Ecclesiæ contracti; quo extincto anno 1742. facultatem concessit collocandi eadem subsidia, seu *recadentias* in Locis Montium, vel Censibus, ut ex eorum fructibus numerus Subsidiorum dotalium deinceps augeretur, utque cuicumque futuræ hæreditatis diminutioni occurreretur.

Optantes Nobiles Puellæ Gratia, & Violantes Moura ex Patre Lusitano monasticam vitam amplecti, preces dederunt Sanctissimo Domino Nostro, ut sibi dos congrua concederetur ex cumulo recadentiarum. Precibus ad Sac. Congregationem remissis, auditoque tum Eminentissimi Protectoris, tum Deputatorum Ecclesiæ voto, licet rejectæ fuerint Oratricum preces sub die 20. Septembris 1766., iis tamen iterum propositis in Congregatione diei 24. Januarii anni elapsi, rescriptum fuit = *pro gratia pro scut. 300. pro qualibet detrahen. ex fructibus extantibus, & deinde ex recadentiis* =

Quum autem quantitas hæc impar foret ad habitus monastici susceptionem; hinc instantibus iisdem Oratricibus, Sacra Congregatio necessitatem congruæ dotis secuta rescripsit die 24. Februarii proximè elapsi = *pro gratia augmenti in summa liquidanda coram Domino Secretario*. Inspecto proinde tum jurato testimonio Abbatissæ Monasterii S. Luciæ Reatis, quo Oratrices se Deo vovere statuerunt, tum unisona Relatione Episcopi Reatini, liquidatio facta fuit in scutis 696. pro qualibet; Unde Sacra Congregatio die 4. Aprilis proximè effluxi, *censuit per litteras Apostolicas in forma Brevis Eminentissimo Protectori committi posse, ut ex supradictis fructibus hæreditatis Cimini extantibus, & deinde etiam ex recadentiis summam scut. 696. unicuique ex Oratricibus ad præmissum effectum suscipiendi habitum monasticum, si, & postquam Regularem emiserint professionem in dicto Monasterio S. Luciæ Reatis pro suo arbitrio, & prudentia, gratis applicare possit, & valeat*.

Ubi primum vero Eminentissimus Protector, & simul Administrator dictæ Ecclesiæ S. Antonii certior effectus est de ejusmodi gratiæ concessione, pro suo vigilantissimo zelo preces Sanctissimo D. N. dedit rogans, ut eamdem revocaret gratiam tanquam injustam, pessimi exempli, & se, ac Deputatis insciis clam extortam. Precibus idcirco ad Sacram Congregationem remissis, nunc de ipsius gratiæ justitia, & validitate quærendum est.

Inquit Eminentissimus Protector, Testatorem origine, & domicilio Romanum fuisse: Subsidium scut. 50. tantum in partem dotis pauperibus, & honestis Puellis concessisse: ele-

electionem dedisse Deputatis Ven. Ecclesiæ: onus injunxisse pauperiores eligendi: ac demum præscripsisse, ut singulæ Puellæ statuta die una simul ad Sacram Ædem D. Antonii convenirent, ibique Sacro assisterent, Sacra Synaxi reficerentur, ac preces pro se, suaque Uxore, ac Consanguineis funderent: tam piam idcirco Testatoris voluntatem non esse intervertendam, ut universa jura tum divina, tum naturalia, tum civilia præscribunt, *l.* 1. *Cod. de sacrosan. Eccles.*, *Auth. de nupt. tit.* 1. *column.* 4.

Irritandam propterea esse gratiam a Sororibus de Moura subreptam: per hanc enim apertam, ac gravem fieri eversionem voluntatis Testatoris: præjudicium irrogari cæteris Puellis ope ejusdem Subsidii se Deo dicare cupientibus: ablatam fuisse Deputatis Ven. Ecclesiæ Puellarum electionem ipsi concreditam: privari Testatorem suffragio, ac precibus a Puellis statuta die pro se, suisque Consanguineis fundendis; Gratiam proinde adeo injustam, ac præjudicialem nullo modo esse servandam, maximè quia novitatem sapit usque nunc inauditam, ac pessimi exempli futuram, quum deinceps vel Protectores, vel Deputati similem gratiam facile sint impetraturi in grave præjudicium Testatoris, Puellarum, ac Deputatorum successorum.

His addit, apud Sorores de Moura deesse qualitates a Testatore præscriptas; hunc voluisse Subsidium dari pauperibus Puellis, ac jussisse, ut eligerentur pauperiores, onerata in id Deputatorum conscientia; Patrem vero Oratricum congruo patrimonio ditatum esse: magno famulatu uti; dotem tradidisse alteri filiæ nuptæ pluribus millibus scutorum constantem: paupertatem idcirco deesse, tam enixè, & primario a Testatore contemplatam, vel saltem eamdem merè voluntariam esse nullo benigno auxilio juvandam.

Nec Lusitanam conditionem Sororibus de Moura prodesse. Advertit enim, Testatorem tum origine, tum domicilio Romanum fuisse: Puellas omnes sive Romanas, sive exteras æquè vocasse, ac eo tantum consilio Ecclesiam S. Antonii Nationis Lusitanæ præelegisse, ut tutius, & securius sua voluntas executioni demandaretur: Nullo ideo in pretio habendam qualitatem Lusitanam, ac absurdum esse, ut concredita Lusitanis fides defraudetur in gratiam Puellarum illorum Nationis.

Perperam vero opponi, gratiam fuisse elargitam ex recadentiis, de quibus Testator non disposuit. Ait enim, non rem esse de Subsidiis solutis inde ad Ecclesiam reversis, sed de Subsidiis, quæ tantum impropriè nuncupantur *Recadentiæ* nunquam a deposito fructuum hæreditatis avulsis: hæc autem sequi indolem Subsidiorum dotalium, & iterum esse distribuenda, prout revera usque nunc, deficiente Aposto-
lico

lico indulto, iterum Puellis electis distributa fuerunt.

Nec mirum esse, Subsidia hæc, vulgo *Recadentias*, conversa fuisse in extinctionem æris alieni ob fabricam Ecclesiæ contracti: Advertit enim, Testatorem maximo studio prosecutum fuisse Ecclesiam S. Antonii: in hac sepulchrum elegisse, ac erexisse Capellaniam: Necessitate ideo urgente, ex verosimili Testatoris voluntate Ecclesiæ necessitati occurri debuisse: Nec item mirum esse, dictas Recadentias non iterum distribui, sed Apostolico indulto in investimenta collocari, hæc siquidem non in utilitatem Ecclesiæ, vel Deputatorum, sed Subsidiorum dotalium consentaneè ad Testatoris voluntatem verti, tum ut numerus Subsidiorum dotalium augeatur, tum ut hæreditatis diminutioni occurratur.

Contra Sorores de Moura inquiunt, gratiam jam datam, & concessam esse: Nec dubitari posse vel de potestate, vel de voluntate concedentis: non quidem de potestate, quum a S. Pontifice per organum Sac. Congregationis data fuerit, non de voluntate, quum, re pluries mature discussa, omnibus auditis, ac perpensis fuerit concessa.

Eam vero undique æquitati, ac Testatoris voluntati consonam esse, nullique præjudicialem esse propugnant. Ajunt enim, Testatorem nihil de hisce recadentiis disposuisse: Oratrices nobiles Romanas ortas ex Patre Lusitano, & in grandæva ætate constitutas, congrua dote destitutas esse: paratas jam esse Monasterium ingredi, sed ob dotis defectum removeri, ne votum adeo pium adimpleant: nihil ideo magis æquitati, ac Testatoris voluntati consonum esse, quam ut dictæ recadentiæ erogentur in Causam nuptiarum in Domino tantopere a Testatore exoptatarum.

Nec absurdum id esse; Nam quum eædem recadentiæ ex Apostolico indulto alias fuerint erogatæ in dissolutionem æris alieni Ecclesiæ, nunc vero in investimenta collocentur pro Capitalibus hæreditatis servandis; potiori jure applicari debuerunt non extraneis operibus piis, a Testatore non contemplatis, sed monachandis pauperibus nobilibus puellis juxta Testatoris votum, quibus solus congruæ dotis defectus impedit, quominus Monasticum habitum assumant.

Injuria hinc gratiam redargui velut contrariam Testatoris voluntati, eversivam ordinati multiplici, & præjudicialem cæteris puellis: Testatorem nihil de hisce recadentiis dixisse: Nullam igitur ejusdem voluntatis commutationem fieri. Multiplicum non fuisse a Testatore præscriptum, & satis jam augmento subsidiorum consultum esse diminutioni Capitalium ex præteritis, & in posterum futuris recadentiis: Gratiam demum nihil detrahere subsidiis dotalibus a Testatore injunctis, & nulli idcirco præjudicialem esse.

Nihil vero reticitum, vel suggestum fuisse, quod obreptionis, vel subreptionis vitio gratiam afficiat: Fuisse tantum narratum, Testatorem nihil de hisce subsidiis dixisse: alias fuisse erogata in æs alienum Ecclesiæ dissolvendum: nunc cumulari in multiplicum a Testatore non præscriptum: Oratrices pauperes esse: optare nubere in Domino, & congrua Dote destitui: hæc autem omnia undique veritati consona esse; Nec de paupertate ambigi posse ob congruam dotem datam a Patre alteri filiæ nuptæ, quum eadem dos relicta eidem filiæ fuerit ab Avo paterno, & congrue a Patruo aucta.

Perperam demum notari gratiam nullitatis, uti concessam inaudito Eminentissimo Protectore, & Deputatis Ven. Ecclesiæ. Ajunt enim, Eminentissimum Protectorem non semel, sed bis votum suum submisisse judicio Sac. Congregationis: auditos ab eodem fuisse Deputatos de precious Oratricum plene edoctos: non itaque furtim, & secreto gratiam fuisse extortam, sed auditis omnibus interesse habentibus post maturam rei in Sac. Congregatione discussionem.

Notissima est, & ab omnibus recepta de hisce subsidiis dotalibus distinctio, quod ubi dotes solutæ non sunt, vel quia puellæ ante matrimonium decesserunt, vel quia justis de causis subsidio dotali privantur, sint istarum loco aliæ subrogandæ, quibus dentur; *Rota coram Burat. decis.* 500. *n.* 5. ob eam fortasse rationem, quia tunc nominatio dicitur non habuisse effectum, ideoque opus sit, Puellas habere eas pecunias, ut Testatoris voluntas impleta dicatur.

Ubi vero dotes jam datæ revertuntur, postquam solutæ fuerunt, nempe quia mulieres sine filiis perierunt, & tunc ad Loca pia redeunt, nec amplius distribuuntur, *Rota in Romana Electionis puellarum* 27. *Novembris* 1624., quam refert *Constant. Vot. decis.* 298. *num.* 12., quod tamen intelligendum est, nisi aliud a Testatoribus cautum sit, vel peculiari lege statutum, aut legitima consuetudine firmatum fuerit.

EE. PP. assueta clementia, ac æquitate dijudicent.

An gratia sustineatur, in casu &c.

Seß. 23. cap. 18. de Reform.

CIVITATIS PLEBIS LEGATI STUDIORUM. Irrevocabili inter vivos donatione Ludovicus Manni anno 1621. donavit Communitati Civitatis Plebis scuta 2010. in censibus investienda, quorum reservatis sibi quoad viveret fructibus, post sui obitum ratam scutorum 100. assignari jussit = *Per sovvenimento a due Giovani*, *acciò possino studiare* = aut Perusiæ, aut Romæ, vel pro majori illorum commodo, & utilitate *in altro studio*, quod petentibus proximioribus Consanguineis concessisset Communitas, & Consilium, reliquum vero eorumdem fructuum, quos ascende-

re

re posse putavit ad annua scuta 150., erogari in subsidia dotalia Puellarum. Plura autem accurate disposuit de Iuvenibus, quibus legatum esset tribuendum, & de modo, quo electio fieri debuisset. Ac primo quidem præferri voluit Descendentes a capite Familiæ Manni, quibus Legati subsidium ad septennium, aliis de eadem familia, sed non descendentibus ad sexennium; Extraneis vero ad solum quinquennium præstari mandavit.

Voluit deinde = *Che li sopradetti Giovani della Famiglia mai per verun tempo passino per voti, ma alla semplice domanda di ciascheduno di essi colli sudetti Requisiti, e condizioni s' intenda eletto, ed approvato, e gli si paghino li sudetti sovvenimenti, essendo però essi Giovani atti, e capaci per studiare in quanto all' ingegno, e non all'età, e alla dottrina, a giudizio del Maestro di Scuola pubblico di detta Città, e del Seminario pro tempore, o da altri da deputarsi, come meglio parerà a detta Communità, e Consiglio* =. Et in concursu demum plurium disposuit. = *E se fossero più concorrenti sia preferito il Discendente dal predetto Capo, e se dal medesimo discendenti, il più atto, se giudicati pari, il più povero; se pari di povertà, il maggiore di età, e così si osservi in tutti gli altri tanto della Famiglia, quanto estranei da nominarsi, ed eleggersi, come sopra.* = Excluitque Episcopum pro tempore, ejusque Vicarium a quolibet jure, quod solum apud Communitatem, ejusque Consilium manere jussit.

Anno 1728. Episcopus Civitatis Plebis legatum hujusmodi applicavit Seminario Episcopali, & applicationem confirmari curavit per Breve S. M. Benedicti XIII., nec profuit Communitati reclamare adversus applicationem, & subreptionis, ac obreptionis vitium opponere adversus Breve; nam judicio Sac. Congregationis decreta fuit illius executio, injuncto onere Seminario *alendi, & educandi nedum binos Juvenes a Donatore volitos, atquè prælatos, verum etiam alios duos, tresve Juvenes nominan. a generali, & publico Consilio Civitatis.*

Contigit anno 1765., ut alter ex d.Seminarii locis vacaverit, seseque Electoribus obtulerint Dominicus Salvatori, & Angelus de Angelis, uterque petens alteri præferri. Magistratus vero Civitatis, & Caput Familiæ Manni Dominicum prætulere, Angelo postposito. Quare is ad Vicarium Generalem convolavit, qui indicto utriusque examine, magisque idoneo renunciato ab Examinatoribus eodem Angelo, die 6. Aprilis proxime præteriti sententiam edidit, qua electionem factam a Magistratu, & Capite Familiæ Manni irritam dixit, dictumque Angelum ad fruitionem loci præferendum pronunciavit. Ab hac Sententia provocavit Dominicus, qui sua jura judicio Sac. Congregationis submittit, duobus exhibitis dubiis in calce recensendis.

Ad I. tuetur, electionem sui favore factam fuisse ab iis, qui-

bus

bus jus eligendi a Donatore collatum fuerat. Hinc prælationem ex hoc tantum sibi debitam esse contendit, *Rot. in Recent. decis.* 176. *num.* 1. *par.* 19. . *& in Civitatis Castellanæ Electionis* 3. *Februarii* 1727. §. *Ex testamento coram Cornelio*. Nec obesse, quod post sui admissionem factam in secundo Scrutinio, deventum fuerit ad tertium, in quo paria convenerunt tam favore sui, quam favore Angeli suffragia; patet enim, post sequutam semel electionem, quæsitumque electo jus prælationis non amplius Electoribus licuisse obesse Electo, *Amostaz. de Causis piis lib.*4.*cap.*12. *num.*52., *Innocentius III. in Cap. Quia propter de elect.*, *& Gregorius IX. in Cap. Publicato eod. tit.*

Addit, ipsum sequuta jam electione excludi nequaquam posse, nisi probetur irrationabile Magistratus judicium, *Gonzal. ad Reg.* 8. *Cancell. gloss.* 4. *num.*126., *Rot. coram Ansaldo decis.* 429. *num.* 19. . Id autem non solum non probari, sed immo electionis validitatem magis confirmari ea animadversione, quod Donator intuitu proximiorum donationem facere professus est. Ipsum proximiorem esse, proindeque merito præferendum non virtute tantum præsumptæ majoris affectionis Donatoris ad *Text. in Leg. Publius* §. *primo ff. de condit.*, *& demon.* . Sed multo magis ob explicitam ipsius Donantis dispositionem, *Mantica de Conject. lib.* 8. *tit.* 12. *num.* 15., *Rota in Hortana Beneficii* 1. *Junii* 1708. §. *Hinc coram Priol.* . Maxime quia agitur de vocatione directa, quæ non indigebat Magistratus electione; nam Donator quoad proximiores jussit, ut *alla semplice dimanda di ciascheduno di essi s'intenda eletto, ed approvato*, ipsumque idcirco habere immediatam a Donante vocationem, & ob id esse præferendum, *Piton. discept.*12. *num.* 12., *Rota in Civitatis Castellanæ Canonicatus* 12. *Martii* 1714. §. *Conciliari cor. Scotto*.

Nec Angelo quidquam prodesse majorem comparative ad ipsum Dominicum idoneitatem, de qua Vicarius Generalis, & Examinatores ab eo deputati retulerunt. Animadvertit enim, rem hic non esse inter duos æque proximiores, quos inter Donans majorem considerari voluit idoneitatem, sed quæstionem esse inter duos de Familia, quorum unus proximior est, alter remotior. Inter hos autem solum habendam esse rationem de proximioritate, quam Donans primario respexit, & idoneitati prætulit.

Cæterum ubi etiam de idoneitate sermo institui vellet, subdit Dominicus, nihili habendam esse habilitatem Angelo attributam ab Examinatoribus, quos Vicarius Generalis pro libito elegerat. Advertit enim, Donantem certos constituisse Examinatores, nempe Præceptorem publicum Civitatis, & alterum Seminarii, qui de idoneitate cognoscerent. Horum proinde judicium, oportuisse, ut

hasc

hac in re inquireretur, nec ut extraneis committeretur experimentum. Judicium vero utriusque Præceptoris tum Civitatis, tum Seminarii ipsi Dominico favere, atque utrumque de majori illius idoneitate testari. Idoneitatem idcirco ex istorum testimonio esse metiendam.

In omnem vero casum supplicat Dominicus, ut demandetur novum Examen in Urbe. Ipse promptum se exhibet ad novum experimentum coram Examinatoribus ab EE. VV. destinandis. Hoc modo magis compertam fore utriusque concurrentis idoneitatem. Proximiori autem a Donante vocato, & prædilecto denegari non posse, ut novum subeat periculum, eique licere non unum tantum, aut alterum, sed tertium etiam examen exposcere, antequam contra ipsum feratur judicium, *Rot. cor. Merlin. decis.*146., *& decis.*64. *num.*14. *cor. Ansaldo*.

Ad II. vero sustinet, Donantem tres fecisse Juvenum Classes, primam eorum, qui ex Capite Familiæ Manni descenderent, alteram eorum, qui essent de eadem Familia, sed a Capite non descenderent, tertiam Extraneorum: Primis autem per septennium, mediis per sexennium, postremis per quinquennium legati commodum reliquisse. Ipsum comprehendi in secunda Classe; id non controverti, & patere ex schemate genealogico; Arceri proinde non posse ab exequutione legati pro tempore a Donatore præfinito.

Jura Dominici satis resultant ex ejus libello, qui circumfertur. Videndum de ipsius proximioritate, & an sola sufficiat ad assecutionem legati. Videndum etiam de idoneitate, num sit in pretio magis habendum testimonium Præceptorum Civitatis, & Seminarii editum pro Dominico, quam judicium Examinatorum, & Vicarii Generalis pro Angelo prolatum. Videndum denique, an deveniendum sit ad novum examen in Urbe. Sacra Congregatio in una *Isclana Parochialis* 23. *Julii* 1718. novum examen demandavit ad preces cujusdam Sacerdotis, qui in concursu ad Parochialem ab Examinatoribus fuerat reprobatus.

His autem præcognitis, superest, ut EE. VV. ea, qua assolent, prudentia, & maturitate dijudicent:

I. *An, & cujus favore sit locus admissioni, in casu &c.*

II. *An, & ad quod tempus perdurare debeat admissio, in casu &c.*

ROMANA SEU PORTUEN. CAPELLANIÆ. Pia Mulier Agnes de Paulis anno 1712. hæredem in usufructu testamento instituit Antonium Serbaroli Virum suum, in proprietate vero Ven. Hospitale S. Joannis de Deo Urbis

*Sess.*22.*cap.*6.*& Sess.*25. *cap.*12. *de Reform.*

bis cum onere erigendi in Terra Cæfani ejus Patria Nofocomium alterum fecundum proprium inftitutum, & ubi dictum Hofpitale id renueret, contulit Viro poteftatem *di poter iftituire, e nominare altro Luogo Pio in luogo del fudetto a fuo arbitrio, ed elezzione, e con tutti quelli pefi, che al medemo parerà, e piacerà.*

Veritus fuit Antonius Serbaroli de oneris implemento, utens idcirco facultate fibi collata in teftamento, quod fcripfit anno 1722., juffit in hoc cafu, ut hæres effet *della fudetta Eredità la Cappella delle Anime del Purgatorio da me eretta nella Chiefa Parrochiale della Terra di Cefano, con che però in effa fi debba eriggere una Cappellania, e fare, che in effa il Cappellano debba celebrare in fuffragio dell' Anima della fudetta quondam Agnefe de Paulis, e mia quel numero di Meffe, che determinarà l' infrafcritto mio Effecutore Teftamentario, il quale abbia ancor la facoltà di nominare a fuo arbitrio il Cappellano ad nutum amovibile, con quefto però, che facendofi Sacerdote Ludovico Serbaroli mio Nipote, quefto debba preferirfi, e nominarfi Cappellano con il medefimo pefo di celebrare le medefime Meffe. L' erezzione poi di detta Cappellania intendo, che fi abbia a fare ò col confenfo dell' Ordinario, o d' altra perfona, che di raggione farà neceffaria, e con quelle formalità neceffarie, ed opportune, che fi richiedono per quefto effetto, fenza che il medefimo Ordinario per detto confenfo, ò altro poffa acquiftarci jus alcuno &c. L' Effecutore poi Teftamentario di tutta la fopradetta mia difpofitione nomino il Signor Felice Collina.*

Defuncto Antonio Serbaroli, Fratres S. Joannis de Deo illicò adepti funt poffeffionem hæreditatis Agnetis de Paulis, quam ad annos decem pacifice detinuerunt fine erectione Nofocomii. Porrectis itaque a Populo Cæfani precibus San. Mem. Benedicto XIV., ut executioni mandaretur fuprema Voluntas vel Agnetis, vel Antonii, iifque Sac. Congregationi remiffis, quum reditus hæreditatis Nofocomio erigendo effent impares, hinc propofito die 20. Decembris 1732. Dubio = *An, & quomodo fit confulendum Sanctiffimo circa petitam commutationem Voluntatis Agnetis de Paulis* = refponfum fuit *Negative, & quatenus Fratres infra duos Menfes non adimpleant, fervetur difpofitio Antonii Serbaroli, injuncto tamen Capellano onere celebrationis, & applicationis Miffæ quotidianæ; nec non coadjuvandi Parochum in Cura Animarum, prævia approbatione Emi Ordinarii. Quo vero ad redditionem rationis de fructibus perceptis ad Emum Epifcopum, prout de jure, & amplius in omnibus* =. Placeat EE. VV. folium illius diei refumere, quod eft *in Thefaur. Refolut. Tom. 5. pag. 329.*

Onus hujufmodi coadjuvandi Parochum in cura Animarum ægrè tulit Ludovicus Serbaroli primus Capellanus ab Antonio nominatus, fupplicem proinde obtulit libellum S. Congregationi poftulans Refcripti reformationem quoad dictum

onus

onus; Verum succubuit die 19. Septembris 1733., ejusque precibus responsum fuit = *Lectum, & servetur decretum diei 20. Decembris 1732.* = Quare erecta cum Ordinarii approbatione Capellania sub duplici onere, tum scilicet celebrandi, atque applicandi Missam Quotidianam; tum etiam coadjuvandi Parochum in Cura Animarum, illaque a Ludovico dimissa, hæredes Antonii alterum Capellanum nominarunt Sacerdotem Paulum Copparini, *qui, prævio examine, habilis, & idoneus ad Curam Animarum repertus*, die 7. Septembris 1744. ad illam auctoritate Emi Ordinarii fuit institutus, & confirmatus cum honoribus, & oneribus ad formam erectionis.

Anno 1754. vacata iterum Capellania, cum de ejus Jurepatronatus certarent tum Fratres de Narduccis, qua Patroni Capellæ Animarum Purgantium, tum fratres de Serbarolis, qua hæredes Antonii, per modum provisionis Eminentissimus Episcopus Capellanum nominavit Sacerdotem Thomam de Narduccis, prævio examine ad Curam Animarum idoneum repertum, ejusque favore novæ datæ sunt Episcopales literæ duplici etiam expresso onere *in omnibus, & per omnia ad formam fundationis, & erectionis hujusmodi Capellaniæ*. Absolutaque interim quæstione de Jurepatronatus per Sententiam Episcopalis Curiæ illud adjudicantem Liberato, Gregorio, Joanni, & Bernardino fratribus de Narduccis, ipsi, amoto Sacerdote Thoma, in novum Capellanum nominarunt Bernardinum alterum eorum fratrem in Minoribus Ordinibus tunc constitutum, hac adjecta Clausula = *Con che però detto Signor Bernardino sia tenuto adempire tutti, e singoli pesi, ed obblighi contenuti, ed espressi nell'Istromento d'erezzione di detta Cappellania*.

Quoniam vero Bernardinus ad Sacros Ordines promoveri non poterat titulo hujus Capellaniæ, quia est ad nutum amovibilis, supplex idcirco adiit Sac. Congregationem Episcoporum, & Regularium pro facultate Majores Ordines ejus titulo suscipiendi, *e fra tanto permettergli, che possa da un Sacerdote, da approvarsi dal suo Ordinario, far supplire alli pesi della medema Cappellania*. Eadem vero Sac. Congregatio, audita prius relatione Emi Ordinarii die 19. Julii 1765., preces Eidem remisit, ut veris existentibus narratis, supplicantis votis annueret; *dummodo in casu impedimenti suppleat per alium ab Eodem Emo approbandum, & reperiatur idoneus adjuvandi Parochum in Cura Animarum*. Hinc Emus Episcopus virtute dictarum facultatum eamdem Capellaniam Bernardino ad ejus Vitam concessit cum omnibus honoribus, & oneribus, speciatim vero *Parochum in Cura Animarum coadjuvandi*; & is ita institutus, & confirmatus Capellaniæ possessionem, *omniumque jurium, honorum, & onerum* die 6. Augusti supradicti anni apprehendit.

Rebus ita se habentibus, enunciati Capellaniæ Patroni, Liberatus scilicet, Gregorius, Joannes, & Bernardinus preces Sac. huic Congregationi porrexerunt, ut onus Capellano injunctum coadjuvandi Parochum in Cura Animarum delere, atque abrogare dignaretur. Petitis hujusmodi, cui Communitas, & Archipresbyter Terræ Cæsani contradicunt, judicio EE. VV. modo subjicitur.

Ac primo quidem contendunt Fratres de Narduccis, hoc, de quo agitur, onus fuisse impositum ex duplici, & quidem manifesta subreptione decretis Judicum vim adimente, *Stychius Jurid. Dissert. vol. 7. disput. 13. cap.1. num.37.*, *Rota in Neapolitana Arrendamentorum* 11. *Aprilis* 1755. §. *In coram bon. mem. Borrul.*. Primam eruunt ex eo, quod in Causæ discussione anni 1732.nulla mentio habita fuerit de Jurepatronatus Capellaniæ, quod si compertum habuisset Sac. Congregatio, haud certe Capellano imposuisset onus coadjuvandi Parochum, Patronis inferens præjudicium, quo Sac. hæc Congregatio nihil magis abhorret, *Faguan. in Cap. Cæterum num.*18., *& seq. de rescript.*, *Rota coram Molin. decis.*782. *num.*17., *coram Tanar. decis.* 157. *num.* 7., *& in Melevitana Erectionis Collegiatæ* 24. *Aprilis* 1741. §. 28. *cor. clar. mem. Card. Calcagnino*.

De præjudiciis autem satis constare, quum res sit de Capellania mere laicali secundum voluntatem Antonii Serbaroli. Nam is primo exclusit Ordinarium ab institutione danda Capellano, expresse cavens = *senza che il medesimo Ordinario per detto consenso, o altro possa acquistare jus alcuno* =: Eam ergo esse laicalem, non Ecclesiasticam; nam hæc etiamsi de jurepatronatus, sine Ordinarii collatione, vel institutione obtineri non potest, *Piton. de controv. Patron. allegat.*34. *num.*20., *Amostaz. de caus. piis lib.*3. *cap.*13. *n.*4., *Rota coram Seraphin. decis.*611. *num.*4.. Deinde Exequutori testamentario facultatem dedit = *di nominare a suo arbitrio il Cappellano ad nutum amovibile* =. Ecclesiasticam vero Capellaniam perpetuam esse debere, *Rota coram Cavaler. decis.* 639. *num.*8., *Nullius, seu Orbeveten. Capellaniæ* 3. *Februarii* 1741. §. 6. *coram Canilliac*, *& Prænestina Legati pii* 21. *Aprilis* 1749. §.7. *cor. Lana*.

Inquiunt, non obstare, Antonium mandasse, ut erectio fieret = *col consenso dell'Ordinario, o di altra persona, che di ragione sarà necessaria, e con quelle formalità necessarie, ed opportune, che si richiederanno per quest'effetto* =. Nam primo inscitiæ ipsius Antonii tribuunt, quod in erectione Laicalis Capellaniæ Ordinarii auctoritatem requisiverit, ut notatur *in Addit. ad Ferrar. in Bibliothec. Jur. Canon. tom.* 2. *Verbo Capellania num.* 5., *Rota in cit. Prænestina* §. 8. *coram Lana*. Deinde non absolute Ordinarii consensum expostulasse, sed indeterminate = *o il consenso dell'Ordinario, o di altra persona, che di ragione sarà necessaria* =.

Ex

Ex his inferunt, gravissimum irrogatum fuisse damnum Patronis non solum erectione Capellaniæ Ecclesiasticæ, sed adjectione etiam oneris coadjuvandi Parochum in Cura Animarum: Potuisse prius Patronos Capellaniam laicalem pro se retinere, vel ad eam nominare Laicos etiam infantes, immo etiam fœminas, quum satis sit, quod Missæ per alium celebrentur, *Gonzalez in Comment. ad reg. 9. Cancell. gloss. 5. n. 26., & seq., Lotter. de re Benef. lib. 1. quæst. 5. num. 59., & seq., Rot. in Hispalen. Capellaniæ 29. Novembris 1726. §. Aut coram Calcagnino*: Hæc non amplius facere posse per erectionem Capellaniæ Ecclesiasticæ, & adjectionem oneris coadjuvandi Parochum in Cura Animarum, prævia Ordinarii approbatione.

Immo in hypotesi, quod Antonius voluisset Ecclesiasticam erigere Capellaniam, subdunt, gravissimum nihilominus præjudicium Capellano illatum esse per impositionem oneris coadjuvandi Parochum. Onus hujusmodi Capellaniæ Ecclesiasticæ haud inesse, nec ex sui indole, nec ex voluntate ejusdem Antonii; Nam ipse nihil aliud voluit, quam ut Capellanus = *debba celebrare quel numero di Messe, che determinerà l'infrascritto mio Essecutore testamentario* =. Ex quibus verbis apparere dicunt, quod Patronus simplicem etiam Clericum præsentare potuerit, quum demandata non sit Capellano celebratio Missarum *per se ipsum*: Capellaniam poinde conferri potuisse cuicunque personæ vix prima Tonsura insignitæ, *Rigant. in Comment. ad reg. 24. Cancell. §. 5. num. 67., Card. de Luc. de Benef. par. 7. cap. 1. num. 28., & seq., Rota coram Merlin. decis. 825., coram Molin. decis. 1311. num. 22.*. Ex onere autem coadjuvandi Parochum in Cura Animarum Capellaniam Sacerdotalem evasisse, & Sacerdotem a Patrono præsentatum pendere ab approbatione Ordinarii, & Patrono detrimentum venire.

Alterum vero subreptionis vitium ex eo inferunt, quod anno 1732. nulla fuerit habita ratio de conspicuis Parochiæ reditibus ascendentibus ad scuta 280., qui si cogniti fuissent Sac. Congregationi, potius utique conservata Capellaniæ libertate Parochum obstrinxisset ad adjungendum sibi Sacerdotem in adjutorium Curæ. Onus hujusmodi ex dispositione *Conc. Tridentini Sess. 21. cap. 4. de Reform.* ad Parochum primario spectare, & solum in alios transfundi, quando Parochiæ reditus non suppetant, *Fagnan. in Cap. Ad audientiam num. 4., & seq. de Eccles. ædif., Amostaz. de Caus. piis lib. 5. cap. 3. num. 33., & seq., Rota in Lucana Unionis 3. Junii 1707. §. Salarium coram Priolo, & in Vasionen. Augmenti Servitii Parochialis 12. Junii 1733. §. fin. cor. Calcagnino*.

Sed quatenus etiam hæc abessent subreptionis vitia, nihilominus sustinent, ab hoc onere Capellanum liberandum esse pro-

propter secutam imminutionem redituum Capellaniæ, quos nec pares esse ajunt eleemosynæ Missæ quotidianæ. Anno enim 1732., asserente ipsa Communitate Cæsani, & Peritis consentientibus, reditus bonorum, oneribus haud detractis, ascendisse ad scuta 185. 50., & deductis oneribus ad scuta 121. 50.; Nunc autem reditus hujusmodi non solum ex culpa, sed ex dolo etiam primi, & secundi Capellani maximum passos fuisse decrementum, ut ex pluribus documentis, & ex ipsa relatione Emi Ordinarii constare asserunt: Hinc necessario sequi, ut ex hoc uno Capite sublevari debeat Capellanus ab onere coadjuvandi Parochum: Onus enim impositum censeri *rebus sic stantibus*, ac proinde mutato notabiliter rerum statu, idem onus corruere, *Henric. del Coc. in tract. de clauf. rebus sic stantibus*.

Frustra vero objici, onus fuisse hactenus a singulis Capellanis acceptatum. Ajunt enim, Capellanos nullo modo potuisse facto suo Patronis præjudicium inferre, *Rota coram Emerix Jun. decis.* 1195. *num.* 10.; Et frustra etiam opponi, quod Patroni illud acceptasse videantur; Nam hodiernum Capellanum nominarunt cum hac lege: = *Con che però il detto Signor Bernardino sia tenuto ad adempire tutti, e singoli pesi, ed obblighi contenuti, ed espressi nel sudetto Istromento di Erezzione della Cappellania* =. Inquiunt enim, unum dumtaxat ex Patronis, nomine cæteroquin suo, & procuratorio quoad alios eo modo hodiernum Capellanum nominasse: Cœterum nihil eorum contineri in mandato Procuræ; quin immo in eo relationem expresse fuisse habitam ad sententiam Curiæ Episcopalis, qua Familiæ de Narduccis adjudicatum fuit *jus nominandi Capellanum in omnibus, & per omnia ad formam testamenti Antonii Serbaroli*. Satis autem esse, quod alii Patroni onus, de quo agitur, non acceptaverint, ut jure adversus illud reclamare valeant, non obstante nominatione hodierni Capellani ab eorum Procuratore facta, quæ ejus oneris acceptationem importare videatur, quum certum sit, Procuratorem nullum mandanti inferre potuisse præjudicium, *Rota in Interamnen. Censuum* 10. *Januarii* 1738. *§. fin.*, *& in Tuscanen. Nullitatis Exequutionis* 4. *Junii* 1751. *§.*7. *cor. Canilliac*.

Postremo tandem loco observandum proponunt, in Terra Cæsani non duo tantum, sed quinque nunc adesse Sacerdotes excipiendis Fidelium Confessionibus satis aptos.

Contra vero Communitas Castri Cæsani in medium profert plenissimam rem judicatam a triginta, & quinque annis religiosissime observatam a tribus successivis Capellanis, quin immo, & ab hodierno Capellano acceptatam. Miratur, quod Clericus Bernardinus de Narduccis de hoc onere minime ignarus, post acceptam cum eo Capellaniæ possessionem, post impetratam a Sac.Congregatione Episcoporum,

rum, & Regularium facultatem Sacros Ordines ejus titulo suscipiendi, post assumptum dictum onus coadjuvandi Parochum, post tot acta solemnia, promissionesque illud adimplendi, contra factum trium Antecessorum, & præsertim Ludovici Serbaroli, qui cum tali onere Capellaniam erexit, valeat hodie ejusdem oneris deletionem petere, & restitutionem in integrum efflagitare: Hanc autem etiam rite, recteque agenti in hisce circumstantiis denegari, *Cap. Quoad Consultationem de re judic.*, *Scacc. de Sent.*, *& re judic. lib.1. cap.4. num.25.*, *Rota decis.158. n. 27. par.12. Recent.*

Addit, rei judicatæ tantam vim esse, ac pondus, ut jus inter Partes immutabile constituat, *Leg. Eleganter §. Si quis potest ff. de condit. indebit*, *Bald. consult. 215. lib. 3.*, *Rota in Recent. decis.58. num.6. par.8.*; Quin immo nec ipsius Principis admittat rescripta, ut Constantinus Augustus respondit Proculo, *Leg. 3. Cod. Sententiam*: Id etiam verificari de rescriptis Sac. hujus Congregationis a Partibus acceptatis, & in judicatum transactis, ut disertissimis verbis dixit *Rota decis.672. tom.3. par.1. num.1. cor. Molines*.

Præterea inquit, neminem posse adversus rem judicatam insurgere, qui non doceat de jure petendi illius moderationem, *Gloss. in Cap. Veniens 1.*, *& ibid. Abbas num.4.*, *Dec. num.8. de testibus*, *Rota coram Seraphin. decis. 1029. num. 1.*, *decis.1395. num.5.*, *& decis.93. num.3. par.4. tom.2. Recent.* Hoc deesse Fratribus de Narduccis; Nam Antonius Serbaroli hæredem reliquit bonorum Agnetis de Paulis *la Cappella dell' Anime del Purgatorio da se eretta*; Felici autem Collinæ, cui suæ voluntatis exequutionem commiserat, facultatem contulit cum *di fare tutto ciò, che potessi fare io medesimo*, tum etiam *di nominare a suo arbitrio il Cappellano ad nutum amovibile*. Quum vero Felix morte sublatus ante Capellaniæ erectionem iisdem facultatibus uti non potuerit; hinc infert, Sac. hanc Congregationem, cui incumbit pias defunctorum voluntates exequi, defecto Exequutore designato, matura rerum cognitione ex mente Agnetis, & Antonii Serbaroli prospexisse non modo temporalibus, sed etiam spiritualibus Cæsanensium auxiliis, quæ Fratres S. Joannis de Deo in suis Nosocomiis præstant; Sedulo etiam considerasse tum satis uberes dictæ Capellaniæ reditus, tum majus spirituale commodum a Cæsanensibus percipiendum ex Parochi coadjuvatione in Cura Animarum; atque idcirco non commutando, sed interpretando Agnetis, & Antonii voluntatem Capellaniam eo modo erigi mandasse, quo, si temporalibus Subsidiis Cæsanensi Populo subveniri non poterat, spiritualibus saltem, iisque potioribus provideretur.

Hinc contendit, Fratribus de Narduccis nullum jus esse petendi oneris abrogationem: Non jure proprio, & tanquam

in Jurepatronatus a Fundatore institutis, quum id nulla humana ratio suadere possit: Neque uti hæredibus Ludovici Serbaroli, qui Capellaniæ erectioni operam ministravit; nam sicuti iste se, suosque Successores ad implementum oneris obstrinxit, ita eodem onere premantur Fratres de Narduccis, quibus nullum jus convenire potest, quod eorum Author non habuit. Affirmat, Ludovicum rogasse quidem, ut onus coadjuvandi Parochum tolleretur, sed Sac. Congregationem preces rejecisse, atque ex hoc facto ipsum intellexisse, suum amplius non esse, oneris abrogationem exposcere.

Addit, Antonium Serbaroli non plene declarasse voluntatem suam; Felicem vero Collinam Testamenti exequutorem, cui plenior commissa fuerat declaratio, morte præventum opus perficere non potuisse. Quod si in hoc casu ipse Ordinarius mutare potuisset fundationis qualitates, salvo jure præsentandi, *Rota decis.* 54. *num.* 13. *par.* 14. *Recent.*; multo magis facere id potuit Sac. Congregatio, quæ plenissima pollet auctoritate; maxime quia onus appositum jus Patronorum non lædit, quin immo quum, augeat divinum cultum, nullamque Beneficio servitutem imponat, sed illius servet libertatem, ex intervallo etiam adiici potuisset, *Abbas in Cap. Cum dilectus*, *Garzias de Benefic. par.* 7. *cap.* 15. *Lambert. de Jurepatron. lib.* 2. *quæst.* 4. *art.* 4. *Rota cor. Seraphin. decis.* 1414. *num.* 1.

Nec rite sustineri posse, immutatum fuisse rerum statum ab anno 1732. quo Sac. Congregatio hujusmodi onus adjecit; Constare enim asserit Cæsanenses incolas, qui tunc viginti septem supra quadringentos numerabantur, adauctos nunc fuisse, & sexaginta supra quadringentos numerari: Duos Sacerdotes tantum in Pago assidue degere, quorum alter Parochus est, alter a Communitate conductus pueris erudiendis dat operam. Si qui vero alii sint Sacerdotes, eos vel rusticationis causa veris, & Autumni tempore ibidem morari, vel ita morari, ut liberum eis sit recedere, nec æquum esse eos cogere, ut hoc onus ferant. Ex hoc fieri, ut quemadmodum anno 1732. expositum fuit, binos Sacerdotes vix posse spiritualibus Cæsanensium commodis satisfacere, ita idipsum hodie merito posse affirmari.

Eumdem quoque esse, dicit, statum mensæ Archipresbyteralis, itaut illius reditus impares æque sint alendo Coadjutori in Cura Animarum: Hos reditus iisdem coalescere prædiis, & majori etiam pensione gravari; Nam anno 1732. gravabantur pensione scut. 70. nunc vero premuntur annua pensione scut. 92. Prædia autem, quæ olim uberes præbebant fructus, sex ab hinc annis segetes negant, aliosque fructus.

A vero denique distare, ita fuisse imminutos Capellaniæ reditus, ut vix eleemosynæ Missæ quotidianæ sufficiant. Si enim

enim ita res se haberet, idipsum Bernardinus Narducci duobus abhinc retro annis proposuisset, quando diuturna lite jus præsentandi sibi asseruit, & ad illam se nominari impetravit, ut pro titulo esset Sac. Ordinationis. Exploratum autem est, ne minimam quidem de redituum imminutione tunc prosiliisse mentionem.

Deinde constare, inquit, ex inquilinorum testimonio, domos Cæsani sitas, quæ prius locabantur scutis 56. 50. modo reddere annua scuta 48. 50., quæ persolvuntur Liberato de Narduccis bonorum Capellaniæ pro Bernardino Capellano Administratori: Constare etiam ex Peritorum judicio, Vineam, quæ alter est ex fundis Capellaniæ, licet modo recisa sit, & ad Olivetum redacta, ex herbis adhuc tantummodo æstivis, & hyemalibus reddere anuua scuta 48. Constare demum tum ex arundinetis, tum ex aliis prædiolis, tum ex domo Agnetis de Paulis Romæ sita, detractis etiam scutis 30. pro solutione Census annua percipi scuta 60. circiter, quæ superioribus addita summam circiter scutor. 159. conflant. Ex his si demantur scuta quinque pro quolibet centenario, ut semper censuit Sacra Rota, immo etiam decem pro restaurandis domibus, aliisque bonis, superesse annua scuta 140. & ultra, quæ Capellani honestæ substentationi abunde sufficiunt.

Nec obesse, qui in oppositum afferuntur Testes: nam vel imperitos esse reggerit Communitas, vel non satis sibi constantes, quum alias contrarium affirmaverint: Experimentum de rerum omnium veritate, & redituum quantitate facili negotio haberi posse, si Edicta affigantur, quibus Oblatores ad conducendum vel in locationem, vel in Emphyteusim Capellaniæ bona alliciantur: Ex oblationibus manifestum fieri, qui sint Capellaniæ reditus, & num satis pares dici possint sustentando Capellano, cui onus sit Parochum coadjuvandi in Cura Animarum. Quod si licitatores non confluant, ipsa Cæsani Communitas promptam se exhibet ad suscipiendam perpetuam administrationem bonorum Capellaniæ, & congruam Capellano persolvendam, quæ Vicario Coadjutori amovibili sit satis ad honestam sustentationem secundum morem in finitimis Pagis, locisque servatum, vel ab EE. PP. decernendam, quorum arbitrio pendet Vicarii congruam definire, *Navar. de orat. miscell. 62.*, *Gonzalez ad reg. 8. Cancell. gloss. 15. num. 39.*, *Garzias de Benef. par. 11. cap. 5. num. 230.*, *Barbos. in collect. DD. in Concil. Trident. sess. 24. de Reform. cap. 17. num. 17.*

Si quæstio foret instituenda de natura Capellaniæ ab Antonio Serbaroli imperata, dubium non esset, quin intellexerit Capellaniam mere laicalem instituere. Etenim secundum regulas, quæ a Doctoribus passim traduntur ad interpretandam mentem Testatoris, qui Capellaniam aliquam erigendam mandaverit, manifeste patet, eas omnes in præsenti

ſenti caſu verificari, quæ pro aſſerenda Capellania mere laicali ab omnibus firmiſſimæ exiſtimantur.

Et quamvis ille voluiſſe videatur conſenſum Ordinarii in erectione Capellaniæ, unde inferri ſolet ad illius qualitatem Eccleſiaſticam, ex verbis tamen poſtea additis, aliiſque argumentis facile dignoſcitur, illius mentem fuiſſe, ut ſimplex erigeretur laicalis Capellania excluſo quovis jure Ordinarii. Hinc verba de iſtius conſenſu loquentia referenda magis ſunt ad quamdam rei Eccleſiaſticæ curam ei commiſſam, quam ad veram Eccleſiaſticæ Capellaniæ erectionem, ut monet *Garzias de Benef. par.1.cap.2. num.108., Scarfant. ad Ceccoper. par.3. addit. 14. num. 22., Panimoll. For. Eccleſ. deciſ.21. num.24., Rota poſt Card. de Luc. ad mat. Jurispatr. in Mantiſſ. deciſ.5. num.15., & deciſ.112. num. 5. par.3. diverſ., & in Recent. deciſ.254. num.2. par.2.*

Aliena itidem a præſenti examine videretur inſpectio, num oneri a Sac. Congregatione adjecto cauſam dederit rei alicujus per ſe gravis interveniens reticentia. Nam propoſita tunc temporis controverſia, in medium prolatæ fuerunt teſtamentariæ tabulæ tum Agnetis de Paulis, tum etiam Antonii Serbaroſi, ex quibus percipi potuit, & Capellaniæ qualitas, & ejus quoque Patronatus: ac præterea actum fuit de reditibus tum Menſæ Archipresbyteralis, tum bonorum Operis pii erigendi, ut liquet ex folio tunc exarato.

Inſpectio igitur ad id reduci videtur, an juſta interceſſerit cauſa, cur adjiceretur Capellano onus coadjuvandi Parocho in Cura Animarum. Quoad hoc animadvertendum eſt, Sac. Concilium Tridentinum *Seſſ.21. cap.4. de Reform.* de Sacerdotibus Parocho in Cura Animarum adjungendis hæc decreviſſe: = *Epiſcopi etiam tanquam Sedis Apoſtolicæ delegati in omnibus Eccleſiis Parochialibus, vel baptiſmalibus, in quibus Populus ita numeroſus ſit, ut unus Rector non poſſit ſufficere Eccleſiaſticis Sacramentis miniſtrandis, & cultui divino peragendo, cogant Rectores, vel alios, ad quos pertinet, ſibi tot Sacerdotes ad hoc munus adjungere, quot ſufficiant ad Sacramenta exhibenda, & cultum divinum celebrandum* =. Idque propriis Parochorum ſumptibus, ut directis verbis ſancivit etiam Bonifacius VIII. *Cap. Paſtoralis de Clerico ægrotante, vel debilitato in 6.* = *Præſenti quoque adiicimus Sanctioni, ut Coadjutores hujuſmodi de proventibus Prælatorum, in quorum aſſumuntur auxilium, ſumptus recipiant moderatos* = Sic *Abbas hic in ult. not., Joan. And. in cap. fin. num.12., Fagnan. in cap. de Rectoribus de Cler. ægrot. num.8.*

Jure autem cautum eſt, ut quoties tot Parocho reditus non ſuppetant, ex quibus Capellano ſtipendium præſtare poſſit, Communitas teneatur hujuſmodi ſtipendium conferre, ut notat *Barboſ. ad Concil. Trident. Seſſ. 21. cap.4. de Reform. num 15., Fagnan. loc. cit. num.13.*, qui præterea refert ita ab

hac

hac Sac.Congregatione fuisse declaratum. Quum enim pro augendis reditibus tenuissimæ Parochialis plus quam mille Animas habentis, Coadjutoris assumendi gratia quæsitum esset, an possent compelli Parochiani, quum alius modus non suppetèret, Sac. Congregatio censuit dandas esse litteras ad Archiepiscopum Theatinum, ut cum universitate ageret.

Alterum prætereà inspectionis caput est, num dicendum sit, Fratres de Narduccis Patronos onus acceptasse coadjuvandi Parochum, atque idcirco jus amisisse petendi illius oneris abrogationem. Acceptasse sane videtur Gregorius Narducci, qui Fratrem suum Bernardinum nominando ad Capellaniam, ea adjecit verba: = *Con che però il detto Signor Bernardino sia tenuto adempire tutti, e singoli pesi, ed obblighi contenuti, ed espressi nel sudetto Istromento di erezione della Cappellania.* = Acceptavit etiam Bernardinus ad Capellaniam præsentatus, tum in supplici libello, quem Sac. Congregationi Epìscoporum, & Regularium porrexit pro impetranda facultate Sacros Ordines suscipiendi titulo ejusdem Capellaniæ, tum in illius possessione capienda, assumptoque in hoc actu onere coadjuvandi Parochum in Cura Animarum, silentibus omnino duobus aliis Patronis Liberato, & Joanne de Narduccis: Inquirendum idcirco est, utrum locus amplius eisdem esse possit reclamandi adversus onus, quod duo ex Patronis acceptaverunt, alii vero duo silentio acceptasse videntur.

Postremo inquirendum est, an Capellaniæ reditus tales sint, ut duplici respondeant oneri, Sacrum nempe quotidie applicandi, & coadjuvandi Parochum in Cura Animarum: Insuper, an habenda sit ratio oblationis Communitatis Cæsani, quæ promptam se exhibet ad assumendam administrationem bonorum Capellaniæ, persolvendumque debitum stipendium Capellano, qui utrique oneri satisfaciat.

Eminentissimus Portuensis Episcopus, quem Sac. Congregatio super precibus Fratrum de Narduccis requisivit; confirmans facti seriem ab ipsis expositam, hisce verbis Sententiam suam aperuit in litteris diei 12. Aprilis 1766. = *Quod Sac. Congregatio censuerit loco Exequutoris Testamentarii, onus Missæ quotidianæ adsignare, id sane est, quod recte obsecundat menti Testatoris; At vero additamentum oneris coadjuvandi Parochum, ab ejus voluntate omnino dissonum videtur, adeoque nullo jure superimponi potuit. Ac ulterius ponderanda venit summa variatio, in qua reperitur status bonorum Capellaniæ: litigiosa quippe manet, ut dictum est, reintegratio summæ, quæ erat investienda, & è contra fuit a primis Capellanis dolo malo consumpta. Parvæ Domus in Oppido Cæsani proximam ruinam minari conspiciuntur; domus in Urbe sita ad radices Montis Aurei subjacet Salviano penes Creditorem Census in sorte scut.* 1000. *Duæ Vineæ in illius Oppidi agro evaserunt quasi desertæ: quam-*

quam vero justa subsit spes, quod a Capellano, qui nunc est de genere Patronorum, bona Capellaniæ in pristinum utilem statum vel brevi tempore redigantur. Hæc sunt, quæ potissimum deletionem injuncti oneris coadjuvandi Parochum facile videntur suadere, nisi obsisteret erectio Capellaniæ facta ad normam recensitæ resolutionis Sac. Congregationis, quæ sua auctoritate idem onus addixit. Mihi nil magis præstat, quam auctoritatem ipsam venerari, atque EE. VV. optimo judicio illius mensuram relinquere.

His, aliisque ad examen revocatis, EE. PP. erit ea, qua pollent, sapientia dubium expedire.

An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 20. *Decembris* 1732. *quoad onus Capellano injunctum coadjuvandi Parochum, ita ut in hac parte reformanda sit erectio Capellaniæ jam facta, in casu &c.*

Die Sabbathi 30. Januarii 1768. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

DIgnentur EE.PP. reassumere folium Congregationis diei 12. Decembris anni præteriti, & alterum postremæ Congregationis diei 16. labentis mensis. In his descriptas invenient Causas, super quibus EE. VV. judicium adhuc desideratur. Placeat igitur de hisce Causis, aliisque posteriori loco juxta morem adjectis judicium proferre.

VALENTINA.

Sess.24. cap.3. de Reform.

I. *An pro Visitatione Ecclesiarum, & Locorum Piorum Civitatis Valentiæ solvenda sit Archiepiscopo, vel ejus Delegato Procucuratio, etiam sub nomine emolumenti in casu, & quatenus negative*

II. *An, & in qua summa sit locus restitutioni pecuniarum exactarum, in casu &c.*

Ad I. Negativè, & amplius. Ad II. Negativè pro summa exacta tantum, & amplius.

AGRIGENTINA DISPENSATIONIS.

Sess.14. cap.7., & sess24. cap.6. de Reform.

An sit locus dispensationi ab incursa irregularitate, in casu &c.

Negativè.

TUSCULANA.

Sess. 25. cap. 5 de Regul., & Monial.

I. *An Tertiariæ Carmelitæ reintegrandæ sint ad Scholam, & Conservatorium Arcis Priorum, in casu &c.*

II. *An eisdem restituenda sint asserta bona stabilia, & mobilia, nec non assertæ expensæ factæ in fabrica Conservatorii, in casu &c.*

III. *An fructus Locorum quatuor cum dimidio Montis Sancti Petri* se-

septimæ erectionis transferri debeant in Oratrices, seu potius debiti fuerint, & debeantur Domui, seu Scholæ Magistrarum Piarum Oppidi Arcis Priorum Tusculanæ Diœcesis, in casu &c.

Ad I. Negativè, & amplius. Ad II. Negativè, exceptis scutis 50. jam depositis, & mobilibus, juxta liquidationem faciendam a Domino Secretario. Ad III. Negativè ad primam partem, affirmativè ad secundam, ad formam rescriptorum san. mem. Benedicti XIV.

Sess.23. cap.18. de Reform.

ROMANA SUBSIDIORUM DOTALIUM.
An gratia sustineatur, in casu &c.

Affirmativè, imputatis tamen dotibus jam obtentis, & certò obtinendis, & ad Emum Præfectum juxta mentem.

Sess 23. cap. 18. de Reform.

CIVITATIS PLEBIS LEGATI STUDIORUM.
I. *An, & cujus favore sit locus admissioni, in casu &c.*
II. *An, & ad quod tempus perdurare debeat admissio, in casu &c.*

Non proposita, cum sequentibus.

Sess. 22. cap. 6., & sess. 25. cap. 12. de Reform.

ROMANA, SEU PORTUEN. CAPELLANIÆ.
An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 20. Decembris 1732. quoad onus Capellano injunctum coadjuvandi Parochum, ita ut in hac parte reformanda sit erectio Capellaniæ jam facta, in casu &c.

Sess. 25. cap. 15. de Regul., & Monial.

CAMERINEN., SEU FABRIANEN. NULLITATIS PROFESSIONIS. Anno 1763. mense Decembris Carolus Morelli e Civitate Cunei in Pedemontio nomen dedit Congregationi Sylvestrinorum in Monasterio S. Benedicti Ci-

Civitatis Fabriani: Exacto probationis biennio, probataque ætate annorum 16. ex Baptismatis fide exarata a Vice-Parocho Cunei, ex qua constabat, in lucem eum venisse die 29. Octobris 1748., solemnem die prima Februarii 1765. professionem emisit.

Per biennium, & ultra idem Carolus monasticam egit vitam, habitumque tulit absque ulla querela: Verùm die 20. Januarii 1767. judicium instituit in Curia Fabrianen. super nullitate suæ Professionis, tanquam emissæ ante completam ætatem annorum 16. a Concilio Tridentino præscriptam; idque probavit novo testimonio Parochi Cunei, unde habebatur, ipsum non priùs natum fuisse, quàm die 29. Martii 1749. Completo proinde processu juxta formam Benedictinæ Constitutionis, VicariusGeneralis Fabrianen., una cum Superiore Regulari, pronunciarunt, dictam Professionem, utpotè emissam ante Conciliarem ætatem, undique nullam, irritam, & invalidam esse.

Provocante Defensore ad ejusmodi materias secundùm morem electo, de viribus Professionis nunc inquiritur. Inquit Carolus, ætatem 16. annorum præscriptam esse ad Professionis validitatem a Concilio Tridentino *sess.25. cap.15. de Regul.*; professionem consistere non posse, si ante dictam ætatem completam emittatur *Fagnan. in lib.3. decret. de Regul. cap. ad nostram* 8. *num.9.*, *Sanchez in Præcept. Decalog. tom.2. lib.2. cap.4. num. primo*, *& Rot. in Recent. decis.* 175. *num.6. part.*1.

Constare autem ex autentico testimonio Parochi Cunei, se natum fuisse die 29. Martii 1749., apertum ideo reddi, die 1. Februarii 1765., quo professionem emisit, vix ipsum habuisse annos 15., & menses 9., & proindè non adhuc pervenisse ad ætatem Conciliarem. Nec attendendam esse apocripham Baptismatis fidem a Vice-Parocho conscriptam, & per errorem a se productam, quæ nulla legalitate munita est, quæque libris Parochialibus non consonat.

Frustra verò tacitam proponi Professionem ex monastica vita, & habitu post Professionem delato, cum ignoraverit falsitatem, vel errorem primæ fidei Baptismatis, ac nunquam compertam habuerit emissæ Professionis nullitatem: Advertit enim, deficiente scientia nullitatis Professionis, nunquam ex silentio, & habitu, vel monasticis officiis tacitam, vel præsumptam Professionem induci posse *Cap. Significatum, cap. Sicut tenor, cap. consulti de Reg., & Rot. dec.* 952. *n.*4. *coram Emerix Jun.*

Contra Defensor Professionis inquit, duo haberi Baptismatis testimonia inter se contraria: Incertum esse, quale genuinum sit, vel erroneum: non itaque haberi certam probationem emissæ Professionis ante legitimam ætatem: nec primi testimonii fidem minui eo, quod conscriptum fuerit a Vi-

a Vice-Parocho, cum Vice-Parochus facultatem habeat a jure edendi ejusmodi testimonia. Nec secundi testimonii fidem augeri ex legalitate Episcopi, cum Episcopus non testetur, Carolum revera ortum duxisse die 29. Martii 1749, sed tantùm, eum, qui testimonium dedit, esse verum Parochum, ejusque testificationibus fidem haberi.

Advertit ulteriùs, Carolum ipsum primam exhibuisse fidem Vice-Parochi ad emittendam Professionem: inverosimile esse, quod ignoraverit suam ætatem, ac fidei errorem; in pœnam ideo commissæ fraudis, & doli a querela nullitatis repellendum esse, *Can. quod int errogasti dist, 27., cap. ut Clerici, & cap. Vidua de Regul.*

Demum asserit, per biennium, & ultra post Professionem Carolum vitam, habitumque Professorum duxisse, & absque ulla querela gessisse monastica officia; tacitam ideo exurgere professionem, quæ ex sola gestatione habitus per annum inducitur *cap. is qui de Regul. in 6.*. Spreta penitùs exceptione ignorantiæ nullitatis Professionis, cum eadem ignorantia nullo modo evincatur, sed penitùs inverosimilis, & affectata fuerit. Verùm tuetur, ad ratificationem Professionis, vel novam tacitam professionem inducendam, nullitatis scientiam nequaquam requiri, *Barbos. de offic., & potest. Episcop. part. 3. alleg. 104. sub num. 20. §. Verùm, Fagnan. in cap. Significatum a n. 9. ad fin. de Regul., Pignatel. consult. 83. num. 5. tom. 1.*, ubi refert S. hujus Congregationis resolutionem editam die *6. Novemb. 1621.*

Episcopus Fabrianen. hæc præsertim refert: *Exhibitis hinc inde documentis, licèt ex fide Baptismatis per Procuratorem Monasteris producta relevetur, supradictum Carolum ortum habuisse suum die ultima Octobris 1748., & per consequens in legitima annorum sexdecim completorum ætate a prædefuncto Generali ad Religionis professionem admissum fuisse, nihilo tamen minus ex altera pro parte Caroli producta certo compertum est, nativitatem suam duxisse die ultima mensis Martii 1749., & sic in ætate annorum quindecim, & mensium novem se ad Regularia vota obstrinxisse, quæ certitudo oritur ex legalitate Reverendissimi Episcopi Montis Regalis, qua fides in judicio producta munitur, quaque caret altera in actu Vestitionis, & respectivè Professionis Generalibus exhibita, proptereaque utpotè informis, quemadmodum attendenda non est, ita maximum præbet indicium falsitatis, quam revera intervenisse extrajudicialiter fassi sunt idem Carolus, & quidam Sacerdos Joseph Cerbini de Civitate Cunei Religionis, & supradicti criminis conscius. Hic enim ad indulgendum ardenti voto induendi Sylvestrinorum habitum, quo sæpè dictus Carolus extuare simulabat, insipienter se trahi permisit ad falsam conficiendam fidem, qua mediante ad Regulam profitendam fuit cooptatus.*

Synodus Tridentina hæc habet = *In quacumque Religione tam Virorum, quam Mulierum Professio non fiat ante decimum sextum*

an-

annum expletum, nec qui minori tempore, quam per annum post susceptum habitum in probatione steterit ad professionem admittatur. Professio autem antea facta sit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicujus Regulæ, vel Religionis, vel Ordinis observantiam, aut ad alios quoscumque effectus. Sess.25. cap.15. de Regul., & Monial.

Verùm ex hac Tridentina sanctione sublata non fuit tacita professio, quæ inducitur per annum, & diem Regularis observantiæ, postquam professus decimum sextum annum complevit. Nam Sacra Congregatio censuit, *cap.15.sess.25. de Regul. non substulisse tacitam professionem, quæ inducitur per annum, & diem computandum post* 16. *annum perfectum ejus, qui Monasterium ingressus est;* & in una Comen. censuit, *tacitam professionem a decreto cap.15. sess.25. de Regul. non esse exclusam concurrentibus ad tacitam professionem de jure requisitis*. Viden. *Pignatell. consult. canon.* 146. *n.*42. *tom.*1.

Tota hinc difficultas quoad professos ante legitimam ætatem reducta fuit ad tacitam professionem, vel antecedentis professionis ratificationem deductam ex actibus subsequenter gestis, invaluitque opinio, quod concurrente probabili ætatis ignorantia, & consequenter ignorantia nullitatis professionis, nulla induci potuerit ex actibus subsequenter gestis tacita professio, vel antecedentis professionis ratificatio, *Rot. decis.*952., *& decis.*983. *coram Emerix Jun.*, dummodò tamen ignorantia ætatis, & sic nullitatis professionis sit verosimilis, & non deducatur ex solo dicto Professi, sed munita sit circumstantiis, conjecturis, & aliis adminiculis *d. decis.*952. *sub num.*23. *cor. Emerix jun.*

Sacra hinc Congregatio, constito de verosimilitudine ignorantiæ, pro nullitate professionis, & pro restitutione in integrum, etiam post diuturnam a die Professionis monasticam vitam, respondit, ut in *Neapolitana restitutionis in integrum* 10. *Aprilis* 1723., *& in Larinen. restitutionis in integrum* 11. *Januarii* 1727. Contra verò propositam nullitatem professionis, vel restitutionem in integrum semper rejecit, quoties ignorantia fuit inverosimilis, & sic tacita professio fuit inducta ex actibus gestis post expressam professionem, licèt nullam, ut in *Viennen. nullitatis Professionis* 25. *Januarii*, 8. *Februarii*, *&* 13. *Septembris* 1721., *& in Cremonen.*, *seu Veronen. restitutionis in integrum* 14. *Novemb.* 1733.

Dijudicent itaque EE. PP. quid decernendum sit in hoc casu, in quo quæritur

An constet de nullitate Professionis, in casu &c.

ALBINTIMILIEN. NULLITATIS MATRIMONII. Contractis *mense Augusti anni* 1766. nuptiis inter Joannem Baptistam Doria Dulcis-Aquæ Albintimilien. Diœcesis, & Mariam Theresiam Buonaroti Januensem, post semestrem *Sess.*24. *cap.*1. *de Reform.*

ſtrem ferè cohabitationem, uterque concordi voto querelam inſtituit coram Vicario Capitulari Albintimilien. de Matrimonii nullitate ob inertiam Viri ad munera conjugii, & uterque petiit propter itineris diſtantiam, ut aliquis in Oppido Dulcis-Aquæ, vel locis conterminis ſubdelegaretur ad recipiendas impedimenti probationes.

Annuens Vicarius Capitularis *die* 28. *Januarii* 1767. commiſit Præpoſito Eccleſiæ Parochialis Podii Perinaldi Marchionatus Dulcis-Aquæ, ut procederet *ad omnia acta neceſſaria, & opportuna uſque ad ſententiam excluſivè, ipſi conferendo omnimodam auctoritatem, aſſumptis tamen Perſona Eccleſiaſtica pro Cancellario, & altera Perſona Eccleſiaſtica juris ſcientiæ prædita, ſi haberi poſſit, & in defectum Perſona laica, juris tamen ſcientia prædita pro Defenſore Matrimonii, prævio juramento quoad omnes.*

Deputato hinc Defenſore Matrimonii, ambo Conjuges coram dicto Præpoſito impotentiam quoad Virum juramento teſtificarunt; ac interrogatis octo Teſtibus loco ſeptimæ manus, facta corporis Viri recognitione per duos peritos de conſenſu electos, adhibitis etiam pharmacis; poſt hæc Vicarius Capitularis die 7. Auguſti proximè elapſi ſententiam tulit pro Matrimonii nullitate. De hac ſententia, appellante Defenſore Matrimonii, nunc eſt cognoſcendum.

Inquit Mulier, integro ſex menſium ſpatio fruſtra ſe omnia paſſam, cuncta, quæ debuerat, præſtitiſſe: fruſtra a Viro tentata omnia: id planè haberi ex ipſa affirmatione jurata utriuſque Conjugis, quorum nobilitas, ac morum probitas omnem colluſionis, & fraudis ſuſpicionem excludit, *Cap. Laudabilem de frigid. & malefic.*, *Maſcard. de probat. concluſ.* 889. *num. primo, & Rota ad ornat. Card. de Luca tom.* 2. *lib.* 14. *deciſ.* 11. *num.* 6.

Certam item, & indubiam reddi juratam Conjugum aſſertionem ex uniſona depoſitione octo Teſtium loco ſeptimæ manus examinatorum, *Rot. poſt Zacch. quæſt. med. legal. dec.* 6. *num.* 6., & ex judicio Peritorum, qui prævia corporis Viri inſpectione, ac medelarum, & pharmacorum uſu de perpetua, ac deſperata imbecillitàte, nulla ſive naturæ, ſive artis ope juvanda, teſtati ſunt, *Gonzalez in cap. Laudabilem num.* 7. *de frigid. & malef.*, *Zacch. lib.* 3. *tit. primo quæſt. med. leg.* 5. *num.* 21. *& ſeq.*, *& Card. de Luca de Matrim. diſc.* 9. *num.* 13.

Conſtito hinc de evidenti, ac aperta Viri imbecillitate perpetua, & inſanabili, non eſſe admittendum triennale experimentum, uti non legitimum, ac fortaſſe illicitum, *Guttier. de Matrim. cap.* 120. *num.* 2., *Conſtant. Vot. deciſ. ult. to:* 5. *num.* 21., minuſque ſollicite curandum eſſe de Mulieris inſpectione, quæ nullibi jure Canonico, vel lege ſcripta injungitur, ac tantum in re dubia adjumentum præbet.

Demum ait, undique valida eſſe acta coram Præpoſito Podii

dii Perinaldi gesta, nulloque vitio notari; jus enim fuisse Vicario Capitulari de Causis Matrimonialibus cognoscendi, *Pellegr. prax. Vicar. par. 1. sect. 4. num. 18.*: jure ideo potuisse, præsertim justa urgente Causa, alium subdelegare, qui documenta, ac probationes ad judicii ordinem necessarias tantum pararet, *Alex. in leg. Dies cautioni §. Hoc autem num. 26. ff. de damn. infect.*

Contra defensor Matrimonii sententiam nullitatis accusat. Ait enim, Parochum delegatum summarie tantum ad examen Coniugum, & testium inductorum devenisse contra formam *Benedictinæ Constitutionis*, quæ formale examen, datis a defensore matrimonii interrogationibus, præscribit, *Rota in Posnanien. Matrimonii 2. Martii 1759. §. Hujus coram cl. mem. Card. Bussio*: octo tantum testes loco septimæ manus adhibitos fuisse contra juris dispositionem, quæ requirit juramentum septem propinquorum cujuslibet Conjugis, vel vicinorum bonæ famæ, & sic quatuordecim, *Can. Requisivisti 33. quæst. 1., cap. fin. defrig., & malef.*; ac demum latam fuisse sententiam in Oppido Sospelli, ubi nullus deputatus fuit defensor Matrimonii, nec is vel voce, vel scriptis auditus fuit contra formam *Benedictinæ Constitutionis 33. §. Ad officium, & §. Demum*.

De aperta etiam injustitia eam notat; ait enim, Conjugum assertiones, licet juratas non attendi, dum concordi animo instant pro nullitate, *Cap. Super eo, de eo qui Cogn. Consang., Cap. ult. de frig., & malef.*; nullum in corpore viri apparere vitium insanabile: nullum inde perpetuum vitium indicari: judicium Peritorum non ex officio, sed de consensu electorum inanibus niti rationibus: nullam habitam fuisse triennalem cohabitationem: deficere itaque omnem necessariam probationem.

Concludit hinc, vel omnino rejiciendam esse Matrimonii dissolutionem, vel saltem nova juridica acta ad formam *Benedictinæ Constitutionis*, & Sacrorum Canonum præscribenda esse, ne in re gravissima maximo animarum periculo incertis, dubiis, ac illegabilibus probationibus deferatur, ac indebita fides præstetur.

Matrimonium perfectum, & secundum morem Ecclesiæ completum indissolubile suapte natura est; declaratur tamen ab initio non extitisse ex impedimento, quod adfuerit, atque adsit ad illud consumandum, perpetuo tamen, & insanabili, ob implicitum defectum consensus, sine quo Matrimonium non fuit, *cap. 1. de frig., & malef.*; atque hinc intelligitur, cur contrahens scienter cum impotente ad Copulam, ab eo non separetur, *Cap. Consultationi eod. tit.*, quia nimirum tunc non deficit consensus ab initio, unde fit, ut Matrimonia cum senibus consistant, quia *in Senibus dicitur esse legis obsequium, & humanitatis solatium*, ut inquit *gloss. in Cap. Quoad sedem eod. tit.*

In hac tamen re periculi plenissima, summa animadversione, & cautissime agendum, ne supra humanæ potestatis leges extollatur arbitrium: hinc certæ requiruntur probationes impedimenti omnino desperati, nullaque arte unquam reparabilis. De hisce probationibus latissime actum est in *Reatina, seu Romana Nullitatis Matrimonii 1. Febr. 1766. in Lucana Nullitatis Matrimonii 21. Junii 1766. & 21. Novembris proxime elapsi.*

His stantibus proponitur definiendum.

An sit locus dissolutioni Matrimonii, in casu &c.

Sess. 23. cap. 6. de Reform.

VERULANA ARCHIDIACONATUS. Collata dote a pio Viro Thoma Taboni Verulano, san. mem. Benedictus XIV. primam Dignitatem titulo Archidiaconatus erexit anno 1742. in Cathedrali Verulana *pro uno Presbytero actu, qui in aliqua publica, & approbata Universitate studii generalis in utroque jure Doctor, & in cantu Gregoriano versatus, ac Sedis Apostolicæ Prothonotarius nuncupatus existat, seu creari debeat, quique apud dictam majorem Ecclesiam, & in illius Choro per hebdomadas alternatim residere debeat &c., prout etiam Missam canere, ac primis, & secundis Vesperis primæ classis, dumodo pro tempore existens Episcopus Verulanus non celebret, assistere teneatur, cuique Episcopo, ut præmittitur, celebranti Rochetto, & Mantelletta infrascriptis, seu pluviali juxta rubricam indutus inservire, illique aquam benedictam in dictæ majoris Ecclesiæ ingressu, prout ad præsens ab illius antiquiore Canonico fit, afferre, & ministrare, nec non in die festo ejusdem S. Petri Apostoli in prædicta Capella per dictum Thomam, ut præmittitur fundata, missam canere, dumodo eadem die Episcopus non celebret, aliasque missas nonnullis certis determinatis diebus, & temporibus in dicti Archidiaconatus, ut infra erigendi, dotationis instrumento contentis, & expressis celebrare similiter debeat, & teneatur, & cæteris omnibus Ecclesiæ Canonicis præcedere, ac in primo stallo prope sedem Episcopalem contiguo ad dexteram Chori sedere possit, & valeat,* = reservato eidem Thomæ jure disponendi de Archidiaconatus erecti jurepatronatus.

Dignitatem hanc ex præsentatione ipsius Fundatoris primum obtinuit Sacerdos Cæsar de Angelis: eoque anno 1755. ad Ecclesiam Episcopalem Signinam promoto, idem Fundator successorem ei dedit Sacerdotem Andream Spana: decessit deinde fundator, & in ultimis suis, quas conscripserat anno 1748., testamentariis tabulis, de jurepatronatus Archidiaconatus ita disposuit: *Seguendo la vacanza dell' Archidiaconato nomino al medesimo in perpetuo quel sogetto, che si troverà idoneo in tempo dell' instituzione nella descendenza*

ma-

mascolina del Sig. Cav. Desiderio Bisleti mio Compare ; e non vi essendo, nomino, e presento per sempre, & toties quoties quel sogetto, che sarà riconosciuto più degno nel concorso da convocarsi con tutte le solite formalità avanti Monsignor Illustrissimo, e Reverendissimo Vescovo di Veroli pro tempore, in cui però voglio, che in concorso di eguali requisiti venga al forastiero, ed al cittadino preferito sempre il nobile Verulano descendente di linea mascolina delle seguenti famiglie, inter quas recensuit familiam *D. Marci Antonii Galuzzi*.

Vacato hinc mense Aprilis anni 1766. Archidiaconatu per promotionem Sacerd. Andreæ Spana ad Ecclesiam Signinam, Clericus Deodatus Bisleti filius Equitis Desiderii, cujus descendentia a fundatore primo loco contemplatur, sexdecim annos natus, preces dedit S. Pontifici pro ætatis venia, & gratia provisionis. Postquam vero petita gratia signata fuit, contradictorem sese præbuit Sacerdos Petrus Galuzzi, qui petiit in Archidiaconatus assecutione præferri, prævia dispensatione Concursus. Cumque Eminentissimus Pro-Datarius hujus supplicationis cognitionem ad Sac. Congregationem remiserit, atque interim Clericus Deodatus dubitans de non satis expressa in primis precibus Archidiaconatus qualitate, novam dederit supplicationem, hanc quoque Eminentissimus Pro-Datarius Sac. Congreg. delegavit, quare modo quæritur, quæ sit relaxanda supplicatio.

Inquit Clericus Deodatus, se prælative a fundatore vocatum esse: sibi proinde deberi Archidiaconatus collationem, dummodo intra quadrimestre vel naturaliter, vel per Apostolicam dispensationem idoneus fiat *Lottor. de re benef. lib. primo quæst.* 40. *num.* 167., *Piton. de contr. patr. alleg.* 1. *num.* 23., *Rot. cor. Cerro decis.* 691. *num.* 1., idque consonum esse tum naturali fundatoris affectioni erga ipsum prælative vocatum *Corad. de prax. dispens. lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 30., *Piton. de contr. Patron. alleg.* 17. *num.* 15., tum assuetæ Sac. Congregationis benignitati, ut in *Lauretana dispensationis* 5. *Septembris* 1705., *in Brixien. Dispensationis* 15. *Martii* 1738., & *in Barchinonen. Dispensationis* 5. *Decembris* 1739.

Perperam vero sese opponere Sacerdotem Petrum Galuzzi: ait enim, hunc nullum jus certum, sed tantum jus eventuale habere dependens a defectu personæ idoneæ in familia Bisleti: proprio propterea jure contendere non posse, ne prælative vocatus intra quadrimestre per Apostolicam veniam evadat idoneus *Piton. de contr. patron. alleg.* 1. *num.* 23., *discept. Eccles.* 13. *num.* 41., & *in parerg. num.* 17., & *Ventrigl. in prax. par.* 2. *annot.* 6. §. 1. *num.* 9.

Advertit insuper, Sacerdotem Petrum nullum jus certum in defectu personæ idoneæ ex familia Bisleti habere, sed fundatorem in illius defectum præscripsisse concursum, ad quem non solum aliæ familiæ vocatæ, sed etiam cœteri cives, & ex-

extranei quoque admitti deberent : nulló ideò concursu indicto, nulloque suæ idoneitatis specimine dato, nullum jus certum habere, ac illegitimum esse contradictorem, ne concedatur dispensatio prælative vocato *Rot. in Rec. par.16. decis.66. num.*10., *coram Lancett. decis.*1113. *num.*13., *& decis.*1139. *num.*4.

Hinc concludit, sibi ætatis veniam (excluso illegitimo Contradictore) esse indulgendam, etiamsi agatur de dignitate *Corrad. in prax. dispens. lib.*4. *cap.*2. *num.*32., *Sac. Congreg. in Balneoregien. Dispensationis* 25. *Junii* 1760., præsertim quia nullum Ecclesiæ irrogatur præjudicium, cum in litteris Apostolicis de stylo adjiciatur clausula imponens onerum implementum per substitutum *Rosa de execut. Litter. Apost. par.*1. *cap.*6. *num.*291., nullumque damnum irrogatur subsidiarie vocatis, cum iis nullum jus certum sit quæsitum *Piton. in parerg. num.* 18., *&* 20., *& Rot. in Asculana Juris Privativi* 7. *Junii* 1751. *§.* 10. *coram Cortada*

Contra vero Sacerdos Petrus Galuzzi inquit, non tam decere, quam justitiæ consonum esse, ut sua supplicatio, non vero altera Clerici Deodati relaxetur : Advertit enim, Archidiaconum ex juris dispositione convocare Capitulum : negotia deliberanda proponere : suam primo loco sententiam ferre : ex fundatoris voluntate præcedere cœteris Canonicis ; onus habere canendi missam festis primæ classis, aliisque diebus : assistendi Episcopo Pontificalia celebranti : ac fundatorem exoptasse Sacerdotem actu, virum doctum, versatum in cantu Gregoriano, & Apostolico Prothonotariatu ornatum: Hæc autem omnia,quo magis sibi conveniunt, qualitatibus omnibus a fundatore requisitis cumulatissimè prædito, eo minus decere, ac convenire Clerico Deodato vix annos sexdecim agenti.

Ita vero suaderè etiam justitiam. Nam ait, prælationem descendentium ab Equite Desiderio certis qualitatibus circumscriptam esse, quatenus nimirum idonei forent : hinc eo ipso, quod Clericus Deodatus idoneus non est, ac præscriptis qualitatibus non pollet, nullam vocationem, nullamque prælationem jactare posse *Rot. in Melevitana Beneficii super Restitutione in integrum* 27. *Aprilis* 1722. §. *Haud cor. Gamaches*, *& in Spoletana Præpositura* 14. *Martii* 1746. *§.*10. *cor. Canilliac*.

Nec ad præscriptam idoneitatem supplendam suffragari Apostolicam dispensationem, quæ ex præsumpta Fundatorum voluntate, tamquam extraordinarium remedium, numquam concedi debet in damnum secundo loco vocatorum *Rot. coram Lancetta decis.*592. *num.* 4., *& in dicta Melevitana Beneficii* 27. *Aprilis* 1722. *§. Nec profuit coram Gamaches* : præsertim in casu, quo ipsemet Fundator jam alias rejecit filios dicti Equitis in adolescentia versantes, ut Sacerdotem actu, virum doctum, & probum præsentaret.

De-

Demum advertit, veniam ætatis ex causa dumtaxat necessitatis, vel utilitatis Ecclesiæ esse largiendam: deesse hic necessitatem, dum alii idonei institutionem postulant, & deesse quamlibet Ecclesiæ utilitatem, imo præjudicium eidem irrogari, cultumque divinum minui ob Clerici inidoneitatem ad Archidiaconatus munia obeunda. Justa proinde deficiente causa, veniam ætatis Clerico Deodato non esse indulgendam in sui præjudicium, qui, ut unice qualificatus, licet secundo loco passive vocatus, cæteris præferri debet *Rot. in Comen. Jurispatronatus* 22. *Junii* 1744. *§. 5. coram de Vais*, *& Sac. Congregatio in Eugubina Dispensationis* 18. *Februarii* 1764.

Nec obesse defectum concursus a Fundatore præscripti: putat enim, illum in eo casu fuisse injunctum, quo collatio ad Episcopum spectaret: in hac hypothesi proinde non requiri, ubi collatio ad Pontificem delata est. Præterea Pontificem non teneri servare modum in collationibus Ordinariorum præscriptum, & jure posse absque concursu Archidiaconatum conferre sibi qua idoneæ personæ, cujus jam plura in difficillimis negotiis doctrinæ certissima habuit experimenta. Episcopus Verulanus in sua informatione post plura rationum momenta favore Clerici Adeodati adducta, hæc habet = *Agitur ulterius de Oratore spectabilis familiæ, & magnæ expectationis. Hic enim cum per biennium, & ultra in hoc meo Seminario moram gesserit, ultra sedulam, quam impendit studiis applicationem, & prudentia, & morum gravitate omnibus amabilis ætatem superavit: nec dissimiliter in Ven. Seminario Romano se gerere de præsenti a probis viris audivi, quæ omnia fuerunt in causa, ut merito attestationem necessariam pro præsenti Archidiaconatus dignitate a me reportaret, ita ut sperare liceat, quod suo tempore esse possit hujus Cathedralis decus, & ornamentum.*

Ætatis dispensatio, ubi agitur de passive vocato, præsertim unico, facile concedi solet a Dataria Apostolica, ut testatur *Corrad. in prax. dispens. lib. 4. cap. 2. num.8*, , *Piton. discept. Eccles.13. num.42.*, ac etiam in Beneficiis a Sac. Congregatione, ut de puero trimo in *Asculana Capellaniarum super dispensatione* 22. *Augusti* 1750., *& in Nertonen. Abbatiæ* 22. *Novembris* 1760., de puero quadrienni in *Lucana Beneficii, seu Cappellaniæ* 17. *Maji* 1749., & de puero quinquenni in *Monasterien. seu Osnabrugen. Canonicatuum* 1. *Julii* 1753. Viden. *Parmen. dispensationis* 8. *Junii* 1760., *Calaguritana dispensationis* 8. *Augusti* 1761., *Tridentina Capellaniæ* 29. *Augusti* 1761., *& in Civitatis Castelli* 1. *Febr.* 1766.

Caute tamen procedendum est in hisce dispensationibus concedendis; nam per dispensationem arcentur secundo loco vocati contra manifestam fundatoris voluntatem: Hinc Sac. Congregatio in una *Eugubina Dispensationis*, in qua Testator jus eligendi Canonicis dederat, ac descendentes ex cer-

certis familiis præferendos jusserat, dummodo intra annum ad Sacerdotium promoveri possent, *e non essendovi alcuno capace d'esser eletto, sia in arbitrio de sudetti Signori Canonici elegere, chi a loro parerà migliore per servizio di Dio, purchè sia di primo, o secondo grado di questa Città;* cum Ubertus Sigismondi unus ex principibus Civitatis familiis decimum septimum annum agens, peteret dispensationem super ætate ad exclusionem electi a Canonicis, proposito Dubio = *An sit locus dispensationi ætatis necessariæ ad Sacerdotium, ita ut in assecutione Canonicatus Ubertus Sigismondi sit a Capitulo præferendus*, rescriptum est die 18. Februarii 1764. = *Negative*.

Quod quæritur itaque, est

An & quæ supplicatio sit relaxanda in casu &c.

Die Sabbathi 27. Februarii 1768. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

IN folio Congregationis habitæ die 16. præteriti menſis Januarii deſcriptæ reperiuntur geminæ Cauſæ, quæ priores in ordine recenſentur; tres, quæ ſequuntur aliæ, in poſtremo folio adnotantur. Placeat igitur EE. VV. utrumque folium reſumere, & Cauſas ibidem deſcriptas, una cum aliis, quæ in folio præſentis Congregationis tranſcriptæ ſunt aſſueta maturitate, & juſtitia definire.

CIVITATIS PLEBIS LEGATI STUDIORUM. *Seſſ. 23. cap. 18. de Reform.*
I. *An, & cujus favore ſit locus admiſſioni, in caſu &c.*
II. *An, & ad quod tempus perdurare debeat admiſſio, in caſu &c.*

Ad I. Eſſe locum admiſſioni favore Dominici, attenta renunciatione liti. Ad II. Ad ſexennium.

ROMANA, SEU PORTUEN. CAPELLANIÆ. *Seſs. 22. cap. 6., & ſeſs. 25. cap. 12. de Reform.*
An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis ſub die 20. Decembris 1732. quoad onus Capellano injanctum coadjuvandi Parochum, ita ut in hac parte reformanda ſit erectio Capellaniæ jam facta, in caſu &c.

In deciſis, & amplius.

FABRIANEN. NULLITATIS PROFESSIONIS. *Seſs. 25. cap. 15. de Regul., & Monial.*
An conſtet de nullitate Profeſſionis, in caſu &c.

Dilata, & compulſentur fides Baptiſmatis, & ſcribatur Epiſcopo juxta inſtructionem.

Sess. 24. cap. 1. de Reform.

JANUEN., SEU ALBINTIMILIEN. NULLITATIS MATRIMONII.

An sit locus dissolutioni Matrimonii, in casu &c.

Dilata, & circumscriptis omnibus gestis coram Vicario Sospelli, idem Vicarius procedat ex integro ad formam Constitutionis Benedictinæ.

Sess. 23. cap. 6. de Reform.

VERULANA ARCHIDIACONATUS.

An, & quæ supplicatio sit relaxanda, in casu &c.

Neutram esse relaxandam.

Sess. 24. cap. 12. de Reform.

SENEN. VOCIS IN CAPITULO. Capitulum Ecclesiæ Metropolitanæ Senensis, quod ex viginti octo constat Canonicatibus, ac nonnullis Dignitatibus, plures habet proventuum, seu *massarum* species, quarum non omnes Canonici fiunt æque participes. Una enim est *massa*, quæ nuncupatur *del Cumulo*, conflata ex reditibus quatuordecim Præbendarum simul unitarum, de qua ii tantum participant quatuordecim Canonici, quorum Præbendæ fuerunt simul unitæ. Ex reliquis alia appellatur *Massa Capitularis*, alia *Decani Bolis*, alia *Hæreditatis Capaci*, alia *san. me. Alexandri VII.*, & alia *Decani Piccolomini Aragona*. Ab istarum verò prima excluduntur tum Archipresbyter, tum Thesaurarius, a secunda Thesaurarius tantum, a cæteris fere omnibus duo illi Canonici, qui obtinent Canonicatus erectos annis 1670., & 1759. sub titulo Sancti Philippi Nerii.

Orta est quæstio anno 1760., an Archipresbyter, Thesaurarius, & duo Canonici possidentes Canonicatus sub titulo S. Philippi Nerii arcendi forent a voce activa, & passiva in negotiis massarum, quarum ipsi partem non habent. Re in Capitulo proposita, die 2. Februarii ejusdem anni rejecti fuerunt a jure vocis passivæ; in posteriori autem Capitulo diei 14. Januarii 1767., ubi actum est de privatione vocis tam activæ, quam passivæ, fuerunt ad utramque admissi. Id ægreferens Canonicus Horatius Mignanelli, preces dedit Sacræ Congregationi pro illorum exclusione a dicta voce activa, & passiva: & licet Archipresbyter, Thesaurarius, & alter ex duobus Canonicis Sancti Philippi (silente altero) voci passivæ renunciaverint, Canonicus tamen

men Horatius partiali ea cessione non contentus, urget adhuc, ut a voce etiam activa arceantur .

Inquit , ad suffragii jura exercenda sat non esse solam qualitatem Canonicalem , nisi simul concurrat altera tribuens potestatem habendi vocem inCapitulo,*Clement.Ut ii de ætat. & qualit., Card. de Luca de Can. disc.*14. *num.* 15. : Ex jure autem cautum esse , ut quemadmodum Canonici recentiores non sunt participes antiquæ massæ Capituli , *Rota in Vercellen. Functionum* 14. *Junii* 1738. §. 5. *coram de Vais* , ita nec jure ferendi suffragii frui valeant in rebus ad eamdem massam pertinentibus , *Cap. Translato de Constitut.*, *Cap.Praterea* 5. *de offic.deleg.*, & *Rota in cit.Vercellen. functionum* §.7.

Idque æquitati maxime consonum esse. Sicuti enim Archipresbyter, Thesaurarius , aliique duo Canonici distinctos habent reditus , & proventus , in quibus cæteri Canonici nullum jus , nullumque suffragium habent , ita æquo jure iidem Canonici novæ erectionis nullum ferre debent suffragium in iis , quæ privativè ad antiquos Canonicos spectant, *Constantin.vot.decis.*530.*num.*54., *Piton.discept.Eccles.*10. *n.*7. : Præsertim quia in erectione recentiorum Canonicatuum expresse legitur adjecta clausula *sine præjudicio* antiquiorum, per quam primævum horum jus illæsum , & administratio remansit intacta, *Gratian.discept.for.cap.*867.*num.*11., & *Panimoll.decis.*94.*num.*5.

Nec obesse , novos hos Canonicos fuisse a Capitulo admissos cum iisdem juribus, prærogativis , & suffragii jure , quo antiquiores potiebantur. Advertit enim, id ad negotia communia Capituli , Ecclesiæ , vel Sacristiæ coercendum esse , in quibus omnes de Capitulo suffragium habent ; nec ampliari posse ad negotia particularia antiquorum Canonicatuum , super quibus recentiores nullum jus , nullumque interesse acquisiverunt , *Scarfanton.ad Ceccoper.lib.*1. *tit.III. num.*57. , & *Rota in Novarien. Aggregationis* 12.*Junii* 1682. §.*Aut igitur cor.Ursino* .

Frustra verò recurri ad observantiam : hanc utì contrariam juris dispositioni concludenter esse probandam : Ex actis verò Capitularibus constare , modo aliquos tantum ex novis Capitularibus fuisse admissos , modo absque eorum interventu tum antiquitus , tum recenter res fuisse expeditas . Vanam ideo esse observantiam , & difformem . In conflictu autem duplicis observantiæ eam semper attendendam , quæ consona est juris dispositioni , *Rota in Augustana juris præcedentiæ* 28.*Februarii* 1746.§.*fin.cor.cl.me.Card.Bussio*, vel saltem conniventiam Antecessorum hodiernis Canonicis præjudicium irrogare nequivisse , *Piton. discept. Ecclesiast.*50.*num.*42.

Spernendum hinc esse , concludit , judicium Archiepiscopi contra apertam juris dispositionem datum ; nec monstruosum

sum esse, Canonicos recentiores vel conticescere, vel egredi e Capitulo debere, dum habenda ratio sit de massis antiquis, quum id ipsum servetur in Sacro Auditorio, vel in Causis, in quibus aliquis ex Auditoribus munus advocationis exercuerit, *Ansald. in præfat. ad decis. num. 59.*, vel in Causis Consanguineorum, & Affinium, *Rota dec. 90. num. 5. coram Ansaldo*, idemque etiam servetur in aliis fere omnibus Hetruriæ Capitulis.

Contra Archipresbyter, & Thesaurarius cum altero ex Canonicis S. Philippi inquiunt, quæstionem hic non esse de massa nuncupata *del Cumulo*, quæ privative a quatuordecim Canonicis in privatis Congregationibus administratur, sed de voce activa in sessionibus Capitularibus, seu negotiis, quæ toto convocato Capitulo tractantur, & expediuntur: Hoc autem jus vocis respicere Capitulum, uti Collegium, non Canonicos, uti singulos *Passerin. de elect. canon. cap. 3. quæst. 2. num. 34.* Quæri idcircò de admittendo, vel excludendo aliquos a jure ferendi suffragium in re pertinente ad interesse Universitatis, non singulorum, *Rota decis. 263. num. 5. part. 17. Recent.*: Quum ideo plenum jus suffragii obtinuerint sub die 14. Januarii 1767. a Capitulo, nullo modo licere Canonico Mignanelli contradicere, ac dissentire, & uti illegitimum Contradictorem audiendum non esse, *Cap. 1. de his, quæ fiunt a maj. part.*, *Rota cor. Buratt. decis. 809. num. 9.*, *& in Recent. decis. 263. num. 4. part. 17.*

Addunt, id esse proprium Canoniæ, ut Canonicis tribuat indistinctum, & æquale jus vocis quoad omnia, quæ in Capitulo fiunt, & collegialiter expediuntur, *Fagnanus in cap. Cum M. de Constitut. num. 26.*, *Barb. de Canon. cap. 12. num. 19.*, *& Lotter. de re benefic. lib. primo quæst. 15. n. 25.*; Hinc quum Archipresbyter, Thesaurarius, & Canonici S. Philippi sint veri Canonici, & membra Capituli, æquali ideo jure vocis in omnibus capitulariter definiendis frui debere, etiamsi iidem Canonicatus fuerint recentius erecti, *Pignatel. consult. 48. num. 9. tom. 6.*, *& Rota in Calaguritana juris votandi dec. 658. num. 3. part. 4. divers.*

Idque consonum esse legibus fundationum, quibus Archipresbytero datum fuisse constat *stallum in Choro, ac locum, & vocem in Capitulo*: Thesaurario quoque *stallum in Choro, & vocem, & locum in Capitulo*: & Canonicis S. Philippi *stallum in Choro, locum, & vocem activam, & passivam in Capitulo*: Ambigi ideo non posse juxta fundationum leges a Capitulo, & Archiepiscopo approbatas, amplissimè frui debere voce activa in omnibus negotiis capitulariter tractandis, *Pignatell. consul. 104. num. 7. tom. 4.*; Accedente præsertim unisona observantia metam centenariæ accedente, & ab ipso Capitulo solemniter confirmata, cujus vis sive interpretativè, sive præscriptivè exuberat ad vocem in Capitulo acquirendam, *Rota decis. 574. num. 24. part. 4. tom. 3.*

Nec

Nec inquirendum esse, an recentiores Canonici participent de massis, de quibus in Capitulari Aula tractandum est, quia jus vocis correlativum non est participationi Massarum: Exemplum esse in Portionariis, qui licet admittantur ad participationem massæ Capitularis, jus tamen vocis in Capitulo non habent, *Lotter. de re Benef. lib. 15 quæst. 15. num. 26.*, item in Præbendario non Canonico, qui licet participet de reditibus Ecclesiæ, voce nihilominus caret, *Fagnan. in cap. 9. num. 31. de Constit.*: quamvis ideo desit participatio, non ob id privari los esse jure vocis, quod ex solo jure Canoniæ ipsis tamquam Capituli membris debetur, *Fagnan. in cap. delectus de Constit. num. 8.*, *& Panimol. dec. 93. adnot. 1. num. 16.*

Demum advertunt, separationem vocis undique impossibilem, & injuriosam esse, nam Camerarius Massæ Capitularis administrat quoque Massam Bolis: impossibile autem esse, ut Archipresbyter, qui de Massa Bolis participat, suffragium ferre non possit in electionibus, & confirmationibus Camerarii Mensæ Capitularis. Injuriosum item maximè esse, ut Dignitates, & Canonici ad libitum, & imperium participantium debeant tacere, obmutescere, egredi etiam a Capitulari Aula, ac voce modo subtracta, modo restituta aliquoties esse Canonicos, & Fratres, aliquoties desinere tales esse: Magis insuper expedire, majorem esse Votantium numerum, ut magis integrum, & prudens Capituli judicium habeatur, *Piton. discept. 99. num. 21.*

Archiepiscopus Senen. votum suum aperit favore Archipresbyteri, Thesaurarii, & Canonici in lite consortis, ut ex ejusdem relatione, quæ inter monumenta Causæ habetur.

Certum est, in erigendis novis Dignitatibus, vel Canonicatibus requiri Capituli consensum, *Felin. in cap. quum accessisset 15. de Constit.*, *& in cap. 18. num. 18. de Præbend.*, sine quo irrita esset erectio, *Cap. Sicut 28. de elect.* Hinc Sac. Congregatio in una *Aquinaten. 20. Februarii 1677.* proposito: *I. An possit Episcopus erigere Præposituram secundam Dignitatem in dicta Collegiata*: *II. An in eadem, in qua non est præfinitus numerus Canonicorum, possit erigere Canonicatum*: Rescripsit, *ad utrumque affirmative de consensu Capituli*, *lib. Decret. 29. pagin. 371.*, & in una *Sabinen. erectionis Archidiaconatus*, proposito: *An erectio Archidiaconatus facta sine consensu Capituli sustineatur*, Rescripsit *die 14. Aprilis 1696. Negative, & erectionem sine consensu Capituli non sustineri*, *lib. 46. pag. 162.*, & in *Firmana erectionis Canonicatuum 13. Septemb. 1734.*

In Capituli autem dissensu unicè inquiritur, an ipsum justè, vel injustè dissentiat; nam si justè contradicit, non obligatur, ut invitum Socium accipiat, ut in *Aretina Capellaniæ, seu Canonicatus 29. Novembris 1698. lib. 48. Decret. pag. 567.*, *& in Maceraten. commutationis voluntatis 30. Augusti 1704.*

Sin verò injustè dissentit, tunc etiam eodem reluctante decernitur erectio, ut in *Cæsenaten. erectionis Archipresbyteratus 6. Maji* 1723., *& in Firmana erectionis Canonicatus* 12. *Septembris* 1734.

At si Capitulum assensum præbet sub certis conditionibus, tunc de iis inquiritur, an justæ sint; justas enim Sac. Congregatio semper approbavit, injustas verò rejecit. Speciatim verò de voce activa, & passiva in negotiis antiquorum Canonicorum in una *Aretina erectionis Canonicatuum* 5. *Maji* 1703. conditionem probavit: *Che negl'interessi de' sopradetti Beni, ed entrate, e ragioni delli Canonici vecchi non abbiano li nuovi Canonici voce in Capitolo, nè possino intervenire nei Capitoli, che per tal'effetto si terranno; e viceversa, che gli Canonici antichi non possano ingerirsi in conto alcuno in quello, che concernerà l'interesse borsale de' Canonici erigendi, nè intervenire alle Congregazioni, che essi faranno sopra i loro borsali interessi*.

Sic etiam in una *Alatrina* 8. *Februarii* 1727., in qua plures conditiones a Capitulo adjectæ fuerant, hæ probatæ fuerunt: *Canonicatum esse erigendum cum omnibus juribus, honoribus, prærogativis, & oneribus ad instar aliorum Canonicorum, cum hoc tamen, quod novus Canonicus in negotiis tangentibus interesse tantum antiquorum Canonicorum, non habeat vocem activam, nec passivam in Capitulo, sicuti etiam, quod non participet de legatis, & Anniversariis in præteritum relictis, & quod in massa distributionum quotidianarum conferat scuta* 20. *annua constituentia tertiam partem sui Canonicatus ad effectum, ut ipse, & omnes alii Canonici æqualiter hinc inde participent de punctaturis absentium, & quod teneatur ad onera ordinaria, & extraordinaria tam in ingressu, quam in progressu*.

Et in *Tolentina Archipresbyteratus* 1. *Februarii* 1766. quum in erectione Archipresbyteratus conditio a Capitulo adjecta fuisset, ut Archipresbyter nec de massa, ac bonis Ecclesiæ participare posset, nec super iisdem suffragium ferret, propositis II. *An Archipresbyter possit participare de bonis, decimis, jurispatronatibus, legatis, aliisque juribus generaliter relictis dictæ Ecclesiæ Cathedrali, aut Capitulo ejusdem*. III. *An Archipresbyter possit intervenire, & habere suffragium in Capitulis, seu resolutionibus Capitularibus faciendis super dictis bonis, & juribus*: Respondit: *Ad II. Negative, & amplius*: *Ad III. Negative, & amplius*.

Quod tamen intelligendum esse de solis negotiis respicientibus interesse, & jura particularia veterum Canonicorum, non verò de reliquis communem Ecclesiæ, vel Capituli utilitatem, & commodum præseferentibus, declaravit eadem Sacra Congregatio in *Eugubina Erectionis Canonicatuum*, ubi pluribus a Capitulo adjectis conditionibus, proposito Dub. IV. *An novi Canonici habere possint vocem activam, & passivam in concernentibus hæreditatem Christini, atque in electio-*

ne

ne Officialium, aliisque contentis in conditione sexta: Respondit *die 26. Martii 1763. Ad IV. Gaudere voce activa, & passiva, exceptis iis, quæ respiciunt interesse, & jura particularia veterum Canonicorum*.

Hæc, quæ rectè procedunt, dum in erectione Dignitatum, vel Canonicatuum Capitulum præstitit consensum certis conditionibus restrictum, expresseque adimentem novis Canonicis jus vocis activæ, & passivæ in iis, quæ interesse, & jura particularia veterum Canonicorum respicerent, perpendendum est, an præsenti controversiæ conveniant, ubi in erectione Archipresbyteratus, Thesaurarii, & Canonicatus Sancti Philippi Nerii nulla conditio a Capitulo adjecta fuit, nullaque expressa vocis activæ, & passivæ privatio indicta, sed purè eorumdem erectio fuit acceptata.

Nam in erectione Archipresbyteratus anni 1514. legitur: *Auctoritate Apostolica in dicta Ecclesia Senen. unum Archipresbyteratum, qui inibi Dignitas quarta, & sine Cura existat pro uno Archipresbytero, qui stallum in Choro, & locum, & vocem in Capitulo ipsius Ecclesiæ Senen. immediatè post dictas tres Dignitates pro tempore obtinentes habeat: necnon Divinis Officiis inibi interessendo, distributiones quotidianas, prout quilibet ex Canonicis prædictæ Ecclesiæ Senen. percipere consueverunt, percipere, ac privilegiis, quibus alii inibi Dignitates obtinentes præfati gaudent, gaudere possit sine alicujus præjudicio R̃ni in Choro Prioris, & D. Joannis Piccolominei moderni Archiepiscopi Senen. per ejus Vicarium in spiritualibus Generalem, ac Venerabilium, & circumspectorum Dominorum Virorum dictæ Ecclesiæ: propterea in dicta Ecclesia solemniter, ut moris est, Capitulum, ut præfertur, Congregatorum consentientium expresso accedente consensu perpetuo ereximus, & instituimus*.

In erectione verò Dignitatis Thesaurarii facta anno 1635. ex simplici Beneficio S. Joannis Baptistæ de Jurepatronatus Familiæ *Sansedoniæ*, habetur, quod quum Patroni institissent, ut concederetur Thesaurario *stallum in Choro, & vox, ac locus in Capitulo post alias Dignitates obtinentes immediatè tam in Ecclesia, quam extra, & tam in actis publicis, quam privatis*, prævio Capituli consensu Beneficium erectum fuit in quartam Dignitatem, & Thesaurario assignatum *stallum in Choro, & locus, ac vox in Capitulo cum plenitudine juris Canonici*.

Et demum in erectione anni 1759. Canonicatus sub titulo S. Philippi Nerii, quem detinet Canonicus Ludovicus Sergardi, prævia Capituli approbatione, cautum est: *illius Canonicos Præbendarios pro tempore habendos, & reputandos esse pro veris Canonicis R̃ni Capituli dictæ Metropolitanæ, prout habentur, & reputantur alii Canonici ejusdem, & uti tales Canonicos Præbendarios prædictos, qui pro tempore erunt, debere gaudere, & frui omnibus juribus, privilegiis, exemptionibus, im-*

immunitatibus, gratiis, favoribus, & honoribus, quibus fruuntur, & potiuntur omnes alii Canonici ejusdem Metropolitanæ, eosdemque fore, & esse recipiendos, & acceptandos, illisque stallum in Choro, locum, & vocem activam, & passivam in Capitulo fore, & esse assignandum, & respectivè assignandam, prout nunc pro tunc assignavit.

Sacra Congregatio in una *Faventina*, in qua res erat de Archipresbyteratu, in cujus erectione explicita aderat exclusio a participatione Massæ Capitularis, sed eidem expresse datum fuerat stallum in Choro, & locus, & vox in Capitulo, proposito: *An Archipresbyter, qui in Bulla erectionis excluditur a participatione distributionum quotidianarum, & aliorum emolumentorum ad manus Camerarii Capitularis pervenientium, debeat habere votum in Capitulo, quando de istorum interesse, & Massæ Capitularis tantummodo tractatur*: Respondit die 12. Decembris 1654., *Archipresbyterum vocem habere debere etiam in Capitulis supra expressis.*

Et in *Nicien. Decretorum*, in qua sibi adscribebant recentiores Canonici jus in electione ad Canonicatum Curatum erectum ex bonis, & reditibus Mensæ veteris Capitularis, a qua expresso pacto non fuerant exclusi, proposito Dub. IV. *An aliud Decretum Episcopi, quo statuitur, omnes Canonicos tum decimantes, tum posteriorum erectionum, excepto Canonico fundationis Archidiaconi Jacobi, habere vocem activam, & passivam in omnibus Capitulis, & electionibus etiam Canonici Curati, & alterius Canonici cum Præbenda de Pulcro loco, præterquam Canonicos ex fundatione Rossignoli in electione passiva Procuratoris Capituli, sit servandum*: Respondit die 14. Martii 1744. *Affirmativè, salvo jure eorum, ad quos pertinere possit libera collatio Præbendæ de Pulcro loco.*

Perpendendum item, quænam fuerit subsecuta observantia, & an eadem si non præscriptivè, saltem interpretativè evincat, quid recentioribus Canonicis fuerit concessum, quidve non ademptum.

EE.PP. cuncta suo judicio, ac juris scientia perpendent, & definire dignabuntur.

An Archipresbytero, Thesaurario, & Canonico Sergardi interessentibus in sessionibus Capitularibus competat jus vocis activæ, etiam in negotiis spectantibus ad Massas, de quarum distributionibus non participant, in casu &c.

Non proposita, cum sequentibus.

Sess. 22. decret. de observ. & evit. in celebr. Missæ.

TRIDENTINA APPLICATIONIS MISSARUM. Incolæ Villæ Avisii Tridentinæ Diœcesis, cum sæpe ob itineris asperitatem, ac distantiam a propria Parochia sita in oppido Plebis Fugi, sacris interesse non possent, construxerunt in propria villa Capellam sub invocatione S. Udalrici,

rici, & concorditer anno 1488. *saluti animarum suarum providere volentes ad laudem, & gloriam Omnipotentis Dei Salvatoris D. N. Jesu Christi, ejusque gloriosæ Genitricis Virginis Mariæ, totiusque Cælestis Curiæ, & S. Udalrici Patroni præfatæ Capellæ* Capellaniam erexerunt Ordinarii auctoritate, ac reservato sibi jurepatronatus, cum dote marcarum 20. Meranensium præstandarum Capellano, qui *actu in Sacerdotio constitutus existat, quique in eodem Beneficio residentiam continuam facere teneatur, & personalem, & perpetuis futuris temporibus quinque diebus in singulis hebdomadis, quando ritus Ecclesiæ hoc exigit, & admittit, celebrare debeat*: ac solvere præterea promiserunt alios decem florenos Athenenses Plebano Fugi *pro aliis etiam duabus Missis septimanatim dicendis in dicta eorum Capella*.

Anno autem 1505. Bartholomæus Concini post constructam aliam Capellam sub invocatione S. Lazari perpendens, nimium tenuem esse dotem Capellaniæ S. Udalrici eam auxit conspicuo prædio adiecta lege, ut Capellanus custos esset Capellæ S. Lazari, & *pro salute animæ suæ, suorumque* in ea celebraret septemdecim Missas certis statutis diebus: ac hujus augumenti intuitu, Incolæ Villæ Avisii, auctoritate Vicarii Capitularis, eidem Bartholomæo, suisque Successoribus Juspatronatus dictæ Capellaniæ S. Udalrici cesserunt.

Nulla unquam hæsitatio fuit, quin Capellanus teneretur ad applicationem Sacrorum a Bartholomæo Concini præscriptorum, alia tamen opinio invaluit quoad Missas quinque hebdomadales in erectione anni 1488. injunctas: hinc cum in institutione collata anno 1752. Clerico Francisco Concini a Patronis præsentato, injunctum ei fuerit onus celebrandi cum applicatione pro Fundatoribus dictas Missas quinque hebdomadales, de hoc onere uti injusto, ac exorbitanti conquestus ipse est in Curia Episcopali; sed re mature discussa causa cecidit contradicente Promothore causarum Piarum, quare ad illius provocationem, modo de applicationis onere disputatur.

Inquit Sacerdos Franciscus Capellanus, in fundatione nullum onus applicationis fuisse injunctum: imo hoc censeri exclusum ex Fundatorum voluntate, nam solam celebrationem, non vero applicationem demandarunt, quam expressè imperassent, si eam voluissent, *Pignatell. consult. 139. num. 3. tom. 1., Suarez tom. 2. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 17. num. 7.*

Certius vero applicationis onus excludi, sive inspiciatur causa erectionis Capellaniæ, quæ fuit, ut Incolæ Villæ Avisii facilius Sacra audirent, ac ut eis interesse quoque possent valetudinarii, senes, pueri, & mulieres, & ut insuper honor, ac decus S. Udalrici augeretur, *Sac. Congr. in Tricastrinen. applicationis 8. Aug. 1711.*, sive expendatur collatio tenuis do-

dotis marcarum 20., vix planè sufficientis pro injuncto onere continuæ, & personalis residentiæ, *cap. non est de Præsumpt.*, *Rota coram Falconer. de probat. decis.* 5. *num.* 21.

Demum recurrit ad perennem observantiam non applicandi per duo sæcula cum dimidio, & ultra a die fundationis semper servatam: nefas autem esse, ait, de tam longævæ consuetudinis hæsitare, & de incuria, ac negligentia redarguere tot vigilantissimos Præsules, & Capellanos, *Rota coram Falconer. de Jurepatron. dec.*6. *num.* 10., *& in Melphicten. Beneficii* 28. *Januar.* 1757. *§.* 6. *coram Emo Elephantutio*,

Nec obesse, quod Capellanus teneatur ad applicandas septemdecim Missas a Bartholomæo Concini præscriptas: advertit enim, has ab eo non pro populi commodo, sed *pro anima sua, suorumque salute* injunctas fuisse: id ipsum verò neutiquam expressum fuisse in erectione anni 14^8.; perperam idcirco ab illo onere trahi argumentum ad istud, imo vi discretivæ apertè conijci, in fundatione anni 1488. præscriptam quidem Missarum celebrationem, non volitam applicationem *Rot. in Tuden. servitiorum super bono jure* 23. *Martii* 1757. §. 11. *cor. Frangipane*.

Contra Promothor causarum piarum inquit, sacra celebrari non posse sine applicatione: injuncta ideo celebratione, censeri quoque volitam applicationem, nisi expresse hæc arbitrio Capellani fuerit relicta *Amostaz. de caus. piis lib.*2. *cap.*3. *num.*49., *Pasqualig. de sacrif. nov. Leg. quæst.*208. *n.*6., *Pignatel. consult. canon.*139. *num.*12., *& seq. tom.* 1., deficiente ideo in fundatione anni 1488. expressa exemptione ab applicatione, ad hanc Capellanum teneri *Amostaz. d. cap.*3. *numer.*49., *& Pignatel. dict. consf.*139. *num.*15.

Idque certius reddi, tum ex fine erectæ Capellaniæ, illuc spectante, ut *saluti animarum suarum* consuleretur, Sac. Congr. in *Romana reductionis, & applicationis missarum* 15. *Decembri* 1714.; tum ex congrua dote Capellano assignata, adhoc *ut competenter, & sacerdotaliter vivere posset*, cum inverosimile sit congruum Capellano datum fuisse stipendium, & tamen sola celebratione absque applicatione fuisse gravatum *Amostaz. de caus. piis lib* 2. *cap.*3. *num.*5.

Extraneam vero esse eam regulam, si voluisset applicationem, expressisset: nam cum applicatio sit effectus consecutivus celebrationis, magis spectanda est altera regula 45. *Jur. in* 6 *in obscuris inspiciendum esse, quod est verosimilius*: verosimili autem fundatorum voluntati magis consonum esse, præscriptam celebrationem Missarum secumferre applicationem in eorundem commodum, nisi contrariam ipsi voluntatem patefecerint *Benedictus XIV. de Sacrif. miss. lib.*3. *cap.*9. *num.*2.

Demum addit, in institutione Sacerdotis Francisci expressam adjectam fuisse legem applicandi Missam pro Fundatoribus:

Cum

Cum hac lege possessionem Capellaniæ nactum fuisse, & in ea perseverare: nefas autem esse, modo eam legem in institutione adjectam impugnare, cum qua capellaniam habet, eamdemque individuam institutionem in parte proficua, & utili acceptare, in odiosis vero rejicere *Rot. coram Ludovis. dec. 467. n. 5., & coram Falcon. de off. ordin. decis. 20. num. 16.*

Episcopus Tridentinus justitiam decreti suæ curiæ his verbis tuetur: *Fundamentum istius decisionis ponebatur in saniori doctrina, quod applicatio censeatur in dubio a fundatoribus optata, si Beneficiatus non sit ab ea clare absolutus. Quod autem fundatio anni 1488 majus commodum Populi respexerit, solam officiaturam non inducit, quia non fuit unica ratio, sed determinato quinque missarum numero in qualibet hebdomada, fundatores præsumuntur sibi consuluisse eo meliori modo, quo potuerunt, etiam cum applicatione, licet diserte non declaraverint.*

Porro documentum anni 1505. tantum abest, ut faveat beneficiato, quin potius exemplum præbeat non omittendi applicationem Missarum quoque primæ fundationis, ad quam fundationem omninò se refert, & utrobique onus impositum Missas celebrandi. Nec primæ fundationis verba illa = saluti animarum providere volentes = & verba augumenti = pro salute animæ suæ, & suorum = ad Missarum celebrationem referuntur, sed ad fundationem, & augumentum in genere: propterea ab expresso in posteriori vocabulo = & suorum = diversitas non emergit, scilicet, quod Missæ augumenti, non item primæ fundationis sint applicandæ.

Ad possessionem immemorabilem quod attinet, neque fuit probata, neque fortassis probari poterit, cum attestationes exhibitæ postrema tempora percuterent: Repetebatur eadem responsio quoad allegatam populi persuasionem. Denique nec argumentum negativum a visitationibus desumptum quidquam prodesse videbatur, potissimum nec probato, quod tunc temporis Missæ non applicarentur.

In istorum confirmationem duo alia congruebant, videlicet, quod ex eadem prima fundatione habeatur, Communitatem fundare voluisse Missam quotidie celebrandam, proptereaque duas Missas destinasse pro Paroco Fugi: Has vero debuisse applicari, si ad eamdem stipendii realem fundationem ipsa Communitas devenisset, nemo sane ibit inficias: quod ergo de his duabus obtinet, etiam de aliis quinque eodem documento determinatis dicendum est.

Item quod Beneficiatus provisus fuerit de tali stipendio, quo decenter vivere potuisset. Jam vero si ad applicationem Missarum primæ fundationis non teneretur, absque ullo fere onère non modicos fructus perciperet, eique non remaneret, nisi applicatio 17. Missarum ex augumento anni 1505.

Credibile porro, & perquam verosimile est, fundatorem, dum beneficium vel capellaniam instituit, præcipuum Missarum fructum sibi, suisq. applicari voluisse: hinc ex præsumpta Fundatorum voluntate communis invaluit Sententia, quod Beneficiatus, seu Capellanus teneatur applicare

Sacrificium pro fundatore, licet non fuerit expressum, quoties contraria non pateat illius voluntas vel expressa, vel ex urgentibus conjecturis elicita. Hancq. ipsam sententiam præsertim confirmavit Sac. Congregatiò in una *Tinnen. applicationis sacrificii* 18. *Aug.* 1668. in, qua sic habetur = *ex dispositione testamentaria antiquitus facta a pio Testatore reperitur fundata quædam Capellania cum onere Capellano pro tempore sacrum faciendi singulis Dominicis, aliisq. festivis diebus, nulla adjecta declaratione, ad cujus suffragium applicandum esset Sacrificium: ideo Episcopus Tinnen. supplicat, per Sacram Congregationem declarari, an hujusmodi Sacrificium applicandum sit pro anima ipsius Testatoris, an vero ad libitum Capellani, uti hactenus factum esse comperiit. Sac. Congr. respondit applicandum esse sacrificium pro anima Testatoris lib.26. decr. fol.*61., & in *Lucana applicationis Sacrificii* 7. *Augusti* 1683., *& in Ferrarien. applicationis missarum* 26. *Martii* 1718.

Hæc autem opinio innixa præsumptæ Fundatoris voluntati limitationem potissimè patitur, in casu, quo Fundator non ad applicationem, vel suffragium respexit, sed ex alia causa sacrorum celebrationem injunxit, puta pro commodo populi, vel Scholarium, aut Monialium Missam audientium: hinc Sac. Congr. in una *Collen. applicationis sacrificii*, in qua agebatur de capellania fundata cum onere Missæ quotidianæ quadam hora determinata *acciò molti occupati da negozj possino andare a sentirla, ed in specie li Scolari, quando escano da scuola*, censuit anno 1679. 17. Decembris, Capellanum non teneri ad Missæ applicationem *lib.*40. *decr. fol.*4. idemq. respondit *in Tricastinen. applicationis sacrificii* 8. *Aug.* 1711. in terminis capellaniæ erectæ cum onere perpetuæ celebrationis Missæ *all'ora, che dalla Dama superiora del Monastero di S. Orsola gli sarà prescritta, e designata per il commodo delle sue Monache lib.*61. *Decr. fol.*358.

Item in una *Mantuana applicationis Sacrificii*, ubi capellania fundata fuerat in Ecclesia Monialium cum onere celebrationis Missarum, quia *in vanum extruuntur Ecclesiæ, nisi in eis divina dicantur officia, & celebrentur Missæ, cognito quod Ecclesia dote caret, sitque opus Capellano, qui ibidem celebret missam pro satisfactione Monialium* proposito = *An Capellanus teneatur Missam applicare pro suffragio animæ fundatoris, vel potius teneatur ad solam Missæ celebrationem*, respondit die 19. Novembris 1718. *Negative ad primam partem, & affirmative quoad secundam*.

Item in una *Novarien.*, in qua Fundator onus Capellano in testamento injunxerat celebrationis unius Missæ quotidianæ in erecto Oratorio *per maggior beneficio, e commodità della Communità*, & in codicillis præscripserat, *che debba celebrare la detta Messa nell' Aurora in ciascun giorno di festa*, proposito: *An capellanus teneatur applicare pro suffragio Animæ fun-*

fundatoris Missam celebrandam in Oratorio S. Antonii Abbatis, respondit die 22. Novembris 1727., *Negative*, *& orent Capellani pro fundatore*.

Et in una *Fulginaten. applicationis missæ*, in qua PP. Barnabitæ obtinuerant a sodalitio S. Joannis Decollati Civitatis Fulginei hortum quemdam cum parva area, & domuncula sub ea Lege = *che detti PP., e successori perpetuamente siano tenuti, ed obligati dire, e celebrare una messa il giorno nella Chiesa della Compagnia, a tal messa si debba dire gratis, e senz' altra elemosina, come anche siano tenuti amministrare tutti gli Sacramenti di confessioni, reconciliazioni, ed Eucharistia a benefizio de Confratri di essa Compagnia*, proposito, *An PP. Barnabitæ teneantur applicare sacrificium*, respondit die 7. Septembris 1737. *Negative*, *& amplius*.

Verum hæc ipsa regulæ exceptio quantum efficax est, ubi fundator solum populi, vel monialium, vel scholarium commodum respexit, eo est infirmior, quoties ex aliis argumentis, & conjecturis constet, Fundatorem non tam ad populi, vel Ecclesiæ commodum, quam ad animæ suæ, suorumque suffragium spectavisse: Hinc Sac. Congr. in una *Alexandrina* licet ageretur de contractu facto cum Patribus Congregationis Somaschæ, quibus assignata fuerat summa ducat. 800. *cum onere celebrandi, seu celebrari faciendi Missam unam quotidianam in perpetuum in aurora ad altare ipsius Joannis contrahentis erectum in Ecclesia sub titulo S. Caroli, ad effectum, ut omnes viatores, laboratores, & peregrinantes possent illam commode audire, & in apertura Januarum Civitatis accedere, & ad Viaticum, & laborerium accedere, & pergere*, cum tamen Patres Missas semper applicassent, eleemosina esset superabundans, & Fundator in proemio Fundationis dixisset, se devenire ad Capellaniæ fundationem, *ut gratias Deo redderet, & ad implorandam divinam misericordiam*, proposito, *An PP. Congregationis Somaschæ teneantur ad applicationem Missæ celebrandæ in aurora*, respondit die 19. Martii 1719. *Affirmative*.

Item in una *Cornetana* in qua Joannes Graffis legaverat Capitulo Cathedralis scuta 1200 *acciò gli Signori Archidiacono, e Canonici faccino obligo per se stessi, e per loro successori in esso Capitolo di celebrare in essa Cathedrale sei messe basse per ciascheduna settimana in perpetuo, cioè quattro de Morti, e due del Santo corrente in ciascheduna settimana da celebrarsi in peruetuo ogni mattina all'alba per commodo de lavoranti, e a tale effetto gli scudi 1200. si ponghino a frutti*, licet onus celebrationis absque applicatione a Capitulo acceptatum fuisset, tamen proposito die 23. Junii 1725., *An Missæ sint applicandæ in casu*, respondit *Affirmative*.

Et demum in una *Compostellana*, in qua Balthaxar de Ulloa post plura Missarum legata injuncta cum expresso onere applicationis, duas fundaverat capellanias *con una messa quotidiana*

na per ciascuna di esse, cioè due messe basse in ciascun giorno, l'una da celebrarsi alle ore XI., cioè un ora prima di mezzo giorno, e l'altra alle ore XII., che vale dire, in punto del mezzo giorno, cum ageretur de Capellaniis pinguis reditus longe excedentis eleemosinam missæ quotidianæ, proposito, *An missæ sint applicandæ* respondit die 12. Julii 1760. *Affirmative*.

Pendet itaque res tota ab interpretatione voluntatis fundatorum. Perscrutandum enim est, qui fuerit finis, & causa erectę capellanię: quę sit vis verborum in fundatione adhibitorum; quot reditus sint assignati, & quanti demum momenti sit subsecuta observantia. Proponitur itaque declarandum.

An Capellani pro tempore Capellaniæ, de qua agitur, teneantur Missas applicare pro animabus fundatorum, ita ut decretum Vicarii Generalis Tridenti sit confirmandum, vel infirmandum, in casu &c.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

LEODIEN.. Carolus, & Franciscus Fratres de Liboys, ambo Canonici Collegiatæ Ecclesiæ S. Petri Civitatis Leodii cupientes fundationem aliquam in eadem Ecclesia peragere, Capituli consilium circa eam quæsiverunt. Duobus proinde ex gremio deputatis, folium tradiderunt iidem Fratres die carens, & subscriptione, quo animum pandiderunt fundandi duas quotidianas Missas lectas in certis Altaribus, horisque certis celebrandas, & fundandi insuper distributiones in certa quantitate pendendas Canonicis, qui interessent = *alle Messe del Venerabile il Giovedì &c. item alla Messa quotidiana di Matutino, ed a quella di Prima; item alle Processioni Domenicali, ed alli Salmi delle Domeniche dopo Vespero* =: ac præterea *di aggiungere venti fiorini di rendita all' Anniversario del fu Signor Prevosto loro Padre*.

Post obitum Caroli alterius ex dictis Fratribus delata hæreditate ad Franciscum Fratrem superstitem, is anno 1737. Capitulo tradidit florenos 37. mil. monet., reservato sibi, quoad viveret, illorum reditu = *per dovere detta rendita dopo la sua morte ritornare alla fondazione nella Chiesa di S. Pietro secondo il progetto, che è stato proposto, ed altrimenti, come sarà convenuto rispetto alla sudetta fondazione* =. Anno autem 1737. in testamento, quod scripsit, hæredem instituit Decanum Capituli ipsius Ecclesiæ suum Consanguineum, *coll'obbligo di dover adempire tutti li pesi, perchè possa goderne insieme con li Signori del Capitolo di S. Pietro, e regolare anche il fruttato da essere applicato in aumentazione di ciascuna parte della fondazione, ch' lo mi riservo a fare, se io la trovo a proposito*.

Nulla alia de fundatione explicata voluntate decessit Franciscus

scus. Quare Capitulum inhærens illi in memorato folio explicatæ, justa proportione hæreditatis reditus dispertivit in singula pietatis Opera in eodem folio designata, unde factum est, ut pinguiora evaserint indictarum præsentiarum emolumenta, quam sint reditus ipsi Præbendarum Canonicalium. At quum illud mali progressu temporis invectum etiam fuerit, quod ob id Capitularium plerique seduli quidem intersint Officiis prædictis, sed interesse negligant aliis Conventualibus, & præcipuis Ecclesiæ Officiis, floccifacientes jacturam tenuis compendii, quod percipitur ex Præbendis Canonicalibus; immo nec desint, qui morbos confingunt, ut etiam absentes lucrentur emolumenta præsentibus dumtaxat addicta; Hinc Capitulum hisce malis remedium allaturum, & simul præoculis habens, durissimam esse impositam conditionem quotidianæ interessentiæ prædictis Officiis absque ulla quiete consuetarum trimestrium Vacationum, unanimi Canonicorum voto deliberavit SSmo D. N. supplicare, ut facultatem impertiatur extrahendi ex Massa hæreditaria pii Fundatoris quartam partem correspondentem tribus Anni mensibus, eamque applicandi Officiis a Testatore non designatis, distributionibus videlicet lucri faciendis a Canonicis præsentibus Ecclesiæ servitio nunc neglecto in Festis principalioribus totius anni; ac præterea statuendi, quod nemo ob quamcumque Causam etiam infirmitatis, nisi in lecto decumbat, vel talis sit morbus, qui egressum impediat, absens ab Officiis a Testatore designatis ultra tres anni menses possit censeri præsens, & stipendia illis adnexa percipere.

Precibus itaque Sac. Congregationi remissis quoad primam supplicationis partem, inquiunt primum Canonici, nullam revera a Fratribus de Liboys institutam fuisse certam, præcisamque fundationem: Meram ipsos pandidisse propensionem erigendi nonnulla opera pia designata in Folio ab ipsis tradito Deputatis Capituli: In hoc autem folio, quod inscriptum fuit vocabulo = *Proposta* = explicari dumtaxat *l'intenzione di fondare*, non fundationem ad actum perductam: Hanc vero nec etiam emergere ab Instrumento consignationis pecuniarum, quia in eo præscribitur reversio redituum dd. pecuniarum ad fundationem, *secondo il progetto, che n'è stato proposto, ed altrimenti, come sarà convenuto*: Verba hæc autem præseferre actum non jam constitutum, sed postea perficiendum: Nec aliter haberi ex testamento, quo Franciscus hæreditatem contulit *in aumentazione di ciascuna parte della fondazione, che io mi riservo di fare, se lo trovo a proposito*: Loqui igitur Testamentum de fundatione instituenda, non de certa fundatione jam perfecta.

Hinc inferunt Canonici, pronam esse oportere S. Sedem ad concessionem petitæ gratiæ: Rem non esse de commutanda Defuncti voluntate determinata, & constanti; agi tantum

tum de significatione animi incerta, & dubia circa ipsam substantiam fundationis: Satis idcirco esse, ut bona convertantur in eum usum, qui divino cultui magis expedire videatur: Cœterum eosdem non renuere adimplementum Operum piorum in memorato folio designatorum: Petere tantum, ut eis liceat adimere ab eisdem Operibus quartam partem hæreditatis tribus mensibus vacationum, quibus frui solent Canonici, & eamdem quartam partem applicare distributionibus in Festis solemnioribus totius anni: Hanc vero petitionem & niti summæ æquitati, & redire in magnum divini cultus incrementum, & in majorem Ecclesiæ decorem.

Æquissimum esse ajunt, ut Canonicis illæsum remaneat indultum vacationis a Choro ad tres menses sine jactura emolumentorum, quum fragilis hominum natura non patiatur, Canonicos singulis diebus absque ulla relaxatione, & quiete assistere debere omnibus illis officiis, quæ in dicto Folio sunt expressa, maxime quum nonnulli in vastissima Leodiensi Civitate hic illic morantes longe distent ab Ecclesia.

Redire vero dictam ademptionem, & respectivam applicationem in majorem Ecclesiæ decorem, & in augmentum divini cultus; nam eo temperamento fit, ut qui frequentiores interesse solent dictis Officiis, quibus larga a pio Testatore compendia relicta fuerunt, & contra negligunt officia Conventualia, quibus modicæ sunt adnexæ distributiones, imposterum spe majoris lucri ad servitium Ecclesiæ excitentur in Festis solemnioribus, in quibus major esse solet Populi concursus ad Ecclesiam, & ad functiones Ecclesiasticas.

Quoad secundam petitionis partem advertunt, Canonicos vacatione quacunque privatos ad captandam aliquam relaxationem, ut vel consulant conservationi sanitatis, vel ut vacent rebus domesticis, persæpe abesse ab Officiis, & ne amittant stipendia a pio Testatore largita curare testificationes Medicorum super necessitate abessendi ex causa tuendæ valetudinis, aliosque quærere absentiæ prætextus cum evidenti præjudicio spiritualis, & temporalis Ecclesiæ gubernii, indeque obvenire murmurationes, jurgia, & dissidia cum aliis Canonicis, qui intersunt omnibus officiis, ut stipendia eis adnexa lucrentur.

Expedire propterea, ut una cum gratia petitæ applicationis, ad conciliandos animos, componendas discordias, & tollendos abusus adjiciatur lex edicens, ne ultra tres menses vacationis Canonici absentes participes fiant emolumentorum, quæ dictis Officiis sunt adnexa, nisi eos abesse contingat, vel causa agendi negotia Capituli, vel vera mala valetudine detineantur, quæ ex judicio Capituli egressum a propriis ædibus illis impediat.

His

His igitur præ oculis habitis dignabuntur EE. VV. perpendere, an quæ a Fratribus de Liboys variis in locis expressa sunt, certam, ac determinatam dispositionem præseferant, seu potius dubiam, atque ambiguam circa modum instituendæ fundationis voluntatem: Ulterius, an plurium annorum observantia, ac methodus huc usque servata petitæ immutationi obesse possit. Vicarius Generalis Leodiensis vera affirmans, & comprobans, quæ exposita sunt in libello nomine Capituli exhibito, Capitularium precibus absque ulla hæsitatione putat annuendum, ut in ejus voto EE. VV. circumferendo.

Unde quæritur.

An, & quomodo Votum Vicarii Generalis Leodiensis super distributione redituum hæreditariorum de Liboys sit exequendum, in casu &c.

IMOLEN. Eques Alexander Palantieri Castri Bononiensis anno 1610. in suo testamento plura statuit ad Patriæ decus, ad animæ suæ, suorumque suffragium, & ad Familiæ splendorem. Collegium in primis ex certis bonis erigi jussit in Civitate Bononiensi pro quatuor Adolescentibus, qui studiis vacare vellent, data prælatione Adolescentibus ex propria Familia in dicto Castro degentibus, mox aliis ex eadem Familia extra dictum Castrum morantibus, & in subsidium vocato *qualsivoglia altro del Castello, purche sia la sua Famiglia di trè età di detto Castello*. Plura etiam præscripsit de modo, & forma electionis adolescentium, de habitu, & regula convictus, de Studiorum qualitate, ac tempore, de redituum decremento, vel augumento, ac demum eosdem adolescentes, ac Collegium protectioni, ac regimini Senatus Bononiensis, & Assumptorum Civitatis comendavit. *Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

Ad suffragium animæ suæ, suorumque onus dedit adolescentibus in Collegium admissis recitandi quotidie Septem Psalmos Pœnitentiales, & singulis hebdomadis Officium Mortuorum, fundendique alias preces. Capellaniam quoque ex certis bonis erexit in Ecclesia S. Stephani ejusdem Oppidi cum onere trium Missarum in qualibet hebdomada, ac jus nominandi Capellanum reservavit suorum bonorum hæredibus, expressa lege, ut detracta Capellani competenti mercede, quod superesset arbitrio Episcopi erogandum foret vel in Altaris ornatum, vel in eleemosinam pauperum ex Familia Palantieri.

Demum ex cæteris bonis perpetuum instituit Fideicommissum, ad quod primò vocavit Achillem Palantieri filium Georgii, eique substituit primogenitos descendentes masculos

sculos in infinitum: iisque deficientibus alias Familias de Palanteriis specialiter nominatas, ac subsidiarie cæteras alias familias de Palanteriis forte extrahendas, addita lege, ut unicus semper esset suus perpetuus hæres, nullaque fieret inter plures Fideicommissi divisio.

Sequuto Testatoris obitu erectum fuit Collegium in Civitate Bononiæ, quo Adolescentes cooptati Studiis operam dederunt. Sed decrescentibus postea Collegii reditibus, Senatus Bononiensis, ac Assumpti Communitatis anno 1739. cum consensu Lamberti, & Alexandri Palantieri, qui unicè ex dicta Familia supersunt, obtinuerunt ab hac Sacra Congregatione facultatem scindendi Collegialitatem, ac collocandi, & educandi selectos Adolescentes vel in Seminario, vel in alio Civitatis Bononiæ Collegio, assignata divisim singulis rata scut. 126., quot modo sunt reditus Collegii Palantieri, *firma tamen manente obligatione recitandi sive unitim, sivè disjunctim pro suffragio animæ Testatoris qualibet die Septem Psalmos Pœnitentiales cum Litaniis, nec non qualibet hebdomada integrum Officium Mortuorum, & saltem sexies in anno debita cum reverentia ad Sacrosancta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramenta accedendi, & cætera ab eodem Testatore præscripta servandi.*

Sic servatum fuit ad annum usque 1763., quo Lambertus, & Alexander Palantieri Pater, & Filius preces Sac. Congregationi dederunt pro applicatione redituum Collegii in eorum commodum, ut a gravi, qua premuntur inopia subleventur. Pendente autem interpellatione interesse habentium, qui se præbent Contradictores, cum interim è vita decesserit Lambertus Pater, hinc Alexander filius petitionem prosequens, rogat, ut sibi, quo unico ex familia descendente, & extrema inopia laboranti duo saltem studiorum loca concedantur.

Inquit, se unicum esse ex familia Fundatoris descendentem; sibi unicè jus esse nominandi adolescentes; nullum in præsens adesse Collegii Alumnum, nullumque inposterum sperari posse ex Familiis vocatis, utpotè extinctis: se vero pari, immò extrema paupertate laborare, cogique victum fere hostiatim mendicare: necessariam idcircò, atque justam adesse causam, ut saltem pars redituum Collegii sibi addicatur.

Non solum enim verosimilem Testatoris affectionem, ac charitatem, sed justitiam etiam, & æquitatem exposcere, ut primum consanguineis, dein extraneis succurratur: hinc sibi qua unico ex familia, & in extrema paupertate versanti, opem esse ferendam, tum ex jure divino *D. Ambrosius in can. In singulis dist. 96., & in can. est probanda dist. 86.*, tum ex æquitate juris Canonici *can. non æstimemus caus. 13. quæst. 2., can. non satis dist. 86., & can. inter cætera caus. 22. quæst. 4.*, tum ex providentia juris civilis *Leg. Præses 6. cod.*

de

de Serv., & *Mantic. de conject. ult. volunt. lib.* 8. *tit.* 5. *num.* 16., & 17.

Contra verò Communitas Castri Bononiensis ait, ultimas voluntates non esse commutandas nisi urgente necessaria, ac justa causa. In præsenti casu deesse causam necessariam, cum in Castro Bononiensi plures adsint Adolescentes optantes vacare studiis, fruique beneficio pii fundatoris; abesse item justam causam, cum nulla proferatur ratio publici boni, propter quod expediat, ut sit mutanda Fundatoris voluntas; ac absurdum esse, ut causa publica Studiorum in privati hominis commodum abrogetur *Rot. cor. Falconer. de Servit. decis.* 9. *num.* 6.

Negat, Oratorem a vera Fundatoris Familia descendere, cum nec Fideicommissum possideat a fundatore institutum, nec jure nominandi Capellanum fruatur, quod ultimo ex sua vera Familia Testator reliquit. Ait insuper, Oratorem non esse Fundatori conjunctum quarto gradu, secundum juris civilis computationem, ideo abesse omnem præsumptam Fundatoris affectionem, & charitatem *Leg. petitionem* 13. *§. Egrediente cod. de advoc. divers. jud.*, *Rot. coram Emerix Jun. decis.* 898. *num.* 2. Advertit amplius, Testatorem primariò ad studia respexisse; consanguineis tantum ad ea dedisse prælationem; pauperibus ex familia succurrendum mandasse ex reditibus institutæ Capellaniæ; apertè ideo abesse verosimilem Fundatoris voluntatem præferendi studiis pauperes consanguineos.

Nec obesse, quod Orator jus habeat nominandi Adolescentes: Ait enim, ea ratione Beneficiorum Patrono pauperi deberi alimenta ex fructibus beneficii, quia correspectivum ei imminet onus reparandi Ecclesiam, ejusque necessitatibus occurrendi *Rot. in Salernitana Alimentorum* 11. *Januarii* 1712. *§.* 13. *coram Scotto*. Quare cum Oratori non incumbat onus occurrendi necessitatibus Collegii, nec etiam correspectiva alimenta ab ejusdem reditibus petere posse: præsertim, quia Collegii reditus non abundant, sed sunt valdè tenues *Lambertin. de Jurepatr. lib.* 3. *quæst.* 3. *art.* 2., & *Fagnan in Cap. Quoniam num.* 12. *de jurepat.*

Denegandam ideo esse concludit petitam commutationem: maximè quia per eam privaretur Testator suffragiis, & precibus, quæ adolescentibus sunt impositæ: careret Patria eo decore, ac utilitate, quæ ex Adolescentibus ad bonas artes institutis in ipsam redit: Auferretur Adolescentibus ejusdem Castri commodum dandi operam Studiis: Deleretur gubernium, & regimen Senatus Bononiensis, & Assumptorum Communitatis: ac demum fraudarentur subsidiis dotalibus pauperes puellæ.

Episcopus Imolen. interrogatus super precibus Lamberti, & Alexandri, hæc respondit = *Quod attinet ad præsentem instantiam, hæc haud iniqua videtur, nam cum ex una parte*

Testatoris voluntas ex defectu redituum jam adimpleri minimè valeat, saltem juxta modum ab eo præscriptum, manutenendi scilicet quatuor Juvenes in Civitate Bononiæ, qui Studiis incumbant, & collegialiter in unum vivant, ex alia vero parte, cum Oratores qui solummodo supersunt ex Familia, & agnatione ejusdem Testatoris extrema præmantur egestate, adeo ut vivere cogantur ex eleemosinis quorumdam particularium benefactorum, & quorumdam Locorum Piorum, ut etiam mihi constat, tanquam de re publica, & apud omnes nota, quælibet æquitatis, & pietatis ratio militare videtur pro aliquali eorumdem subventione, tantam scilicet illi tribuendo portionem ex reditibus dicti Legati, quantam perciperent duo ex nominatis Juvenibus, itaut in posterum ad vitam dictorum Oratorum loco quatuor Juvenum nominandorum ex familiis extraneis, duo tantum nominentur.

Eminentissimus verò Archiepiscopus Bononien. vota Communitatis adjuvare videtur, ut ex ejusdem relatione, quæ inter monumenta causæ habetur.

Otii plenum esset ea repetere, quæ de commutationibus voluntatum sæpius dicta sunt. Viden. *Feretrana* 29. *Novembris* 1756., & in *Eystetten.*, *seu Bambergen.* 14. *Martii proximè elapsi.*

Vestrum erit itaque PP. Emi declarare.

An favore Alexandri Palantieri sit locus applicationi redituum per Equitem Alexandum de Palanteriis assignatorum pro manutentione quatuor Juvenum studentium in Civitate Bononiensi in casu &c.

Die

Die Sabbathi 26. Martii 1768. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

PRæter quatuor Causas in præcedenti Folio relatas, aliæ quinque judicio EE. VV. in præsenti subjiciuntur. Postquam igitur illarum statum ex utroque Folio perpenderint, quid juris dijudicandum sit, definire dignabuntur.

SENEN. VOCIS IN CAPITULO.

An Archipresbytero, Thesaurario, & Canonico Sergardi intessentibus in sessionibus Capitularibus competat jus vocis activæ, etiam in negotiis spectantibus ad Massas, de quarum distributionibus non participant, in casu &c. — *Sess.24. cap.12. de Reform.*

Affirmativè.

TRIDENTINA APPLICATIONIS MISSARUM.

An Capellani pro tempore Capellaniæ, de qua agitur, teneantur Missas applicare pro animabus Fundatorum, itaut decretum Vicarii Generalis Tridenti sit confirmandum, vel infirmandum, in casu &c. — *Sess.22. decret. de observ. & evit. in celebr. Missæ.*

Affirmativè, & Decretum Vicarii Generalis esse confirmandum.

LEODIEN.

An, & quomodo votum Vicarii Generalis Leodiensis super distributione redituum hæreditariorum de Liboys sit exequendum, in casu &c. — *Sess.22. cap.6. de Reformat.*

Negativè.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

IMOLEN.

An favore Alexandri Palantieri sit locus applicationi redituum per Equitem Alexandrum de Palanteriis assignatorum pro manutentione quatuor Juvenum studentium in Civitate Bononiensi, in casu &c.

Negativè, & amplius.

Sess. 14. cap. 7. de Reform.

TRANEN. IRREGULARITATIS. Cum efferretur die 11. Octobris 1763. Cadaver Petri Bullo de Terra Corati, Mulier quædam Isabella Canullo dictitavit, illum interiisse ex ictibus in sinistrum humerum cum baculo, & in ventrem calcibus ei triduo ante illatis a Sacerdote Matthæo Jacobetti, qui illum reperierat auferentem uvas in ejus Vinea. Hinc Curia Archiepiscopalis Tranen. de re hac inquirens ex officio jussit primum, ut inspiceretur Cadaver. Hoc itaque e sepultura eductum recognoverunt quinque in arte medica, & chirurgica Periti, factaque etiam sectione nullum sese obtulit signum, quod mortis causam patefaceret: Referre idcirco non dubitarunt Periti, nullam subesse causam, cur interitus Petri vel percussioni, vel contusioni, vel aliis hujusmodi causis tribueretur, cum ex sola pectoris percussione contingat (quantumvis rarò) ut mors, nullo etiam relicto signo, sequatur.

His non obstantibus Curia Ecclesiastica ad congerendas probationes delicti in specie progressa est, & examinatis nonnullis Testibus, tres humilis conditionis Mulieres affirmarunt, se vidisse Sacerdotem Jacobetti baculo, & calcibus percutientem Petrum Bullo; tres aliæ una cum Philippo Petrizelli de ictu tantummodo baculi super humeris deposuerunt; Cæteri autem Testes vel nihil ad rem protulerunt, vel de publica solum voce, & fama, & de auditu ab Isabella Canullo testati sunt. Ipse vero Sacerdos Jacobetti semel, iterumque interrogatus constanter negavit crimen, cujus accusabatur.

Absolutis actis, Curia Archiepiscopalis sententiam dixit, qua Sacerdotem Jacobetti in irregularitatem incurrisse declaravit, eique præcepit, ut per annum in Religiosa Domo pœnitentiam ageret. Huic sententiæ paruit Jacobettus, adjecta tamen jurium sibi competentium præservatione. Expleto deinde pœnitentiæ tempore, supplex petiit a Sanctissimo Domino Nostro dispensationem ab irregularitate, precibusque remissis ad Sacram Congregationem, modo quæritur, an ejus petitioni sit indulgendum.

In-

Inquit primùm Orator, sententiam Curiæ Archiepiscopalis æquitati haud consonam fuisse. Contendit enim ad irregularitatem ex delicto contrahendam potissimum requiri actum externum consumatum, ad *Text.in cap.si quis non iratus* 13. *quæst*.1., nec ullo modo eam incurri, si de delicto dubitetur, *Giballin. de irregularit. cap*.4. *conject*. 3. *num*.17. Infert proinde, irregularem pronunciari non potuisse, cum ex Peritorum judicio de crimine non constet, vel saltem dubium sit.

Nec obesse testimonium nonnullarum mulierculärum, quæ Petri interitum retulerunt ad percussiones in eum inflictas. Ait enim, dictas mulieres humilis fuisse conditionis: Earum nonnullas completo examine statim pandidisse, emissam a se fuisse depositionem metu carceris; Alias vero conscientiæ stimulis actas, dictum retractasse. Idem de pueris dicendum, ut ex monumentis liquet, a publico Notario obsignatis. Nullo igitur in pretio habenda esse hujusmodi testimonia, nec ex iis probatum esse delictum, quod probationes exigit indubias, maxime cum deest corpus delicti, *Guazzin.ad defens.Reor.def*.4.*cap*.3., *Gaball. de omn.gener.homicid.num*.615., *& præsertim cap*.225.

Addit plenissimè constare, Petrum Bullo continuis morbis affectum fuisse, infirmaque valetudine laborasse: Ejus Parentes neglexisse illius morbum, nec nisi post triduum vocasse medicum. Hinc hisce potius causis tribuendum esse illius interitum, quam percussionibus, cum in probationum conflictu, ac præcipue in re dubia, habenda ratio eorum sit, quæ urgent pro exclusione delicti *Leg. Merito ff.pro Socio*,*L.Item apud Labeonem* §.*Si communem ff.de injur*., *L.Cum Patre* §.*Rogo ff.de legat*.2., *Leg.Omni modo in princip. Cod. de inoffic.testam.*

Cæterum hæc dixisse profitetur ad ostendendum gravamen sibi illatum. Postquam pœnam luit, exorat tantùm, ut ex gratia dispensetur ab irregularitate. Ad id impetrandum animadvertit, hic non agi de Clerico ad Ordines promovendo, sed de jam promoto ad Sacerdotium, quo casu etiam cum vero irregulari Sacra Congregatio facilius dispensationi annuere consuevit *Fagnan.in cap.Henricus de Clericis pugnan. in duello num*.34., *Fargn. de Jurepatron. part*. 1. *can*.5. *cas*.11. *num*.67., *Ursaya discept. Ecclesiast*.15. *num*. 44. *tom*.6.*part*.2. Neque etiam agi de homicidio, quod vel ex animi sententia, vel dando operam rei illicitæ fuerit commissum, quibus cessantibus benignius excipiuntur dispensationis preces *Corrad.in prax.disp. lib*.5. *cap*.1. *n*.4., *Ursaya discept*.5.*num*.3.*tom*.1.*part*.2.

Præsumendum autem, deesse propositum occidendi, ubi adhibita sunt arma, quæ solum ex accidenti mortem possunt causare *Blanc.prax.crim*.§.2.*num*.38., *Ursaya tom*.1.*part*.2. *discept*.6.*num*.3., *Monacell. formul.legal. tom*.2. *tit*.13. *num*.34.

Eo-

Eoque in casu mortem dici mere casualem, & involuntariam *Leg.1.in fin. Cod.ad Leg.Cornel.de Sicariis*, *Ursaya instit. crimin.lib.2.tit.5.num.492.*, *Conciol.resol.crim.verb.homicidium resol.4.num.1. & 7.*, atque hinc facilius dispensationem concedi *Ursaya loc.citat. num.5.*, & *Sac. Congregatio in Nuscana 12.Aprilis* 1740.

Denique ponderandum rogat, non satis constare, an mors ex percussione evenerit, seu potius ex naturali morbo, aut ex mala affecta Petri valetudine, vel ex neglecta morbi cura. In hac autem dubietate proclivius dispensationem indulgeri consuevisse, ut in *Hortana 15. Junii* 1709. *apud Fargna de Jurepatron. part. prima can. 5. cas.11. num. 52.*, *in Guantimalana 22.Martii* 1732., & *in Montis Falisci 6.Martii* 1739.

Et quatenus etiam mors evenisset ex illata percussione, adducit exemplum in *Virdunen.Dispensationis 2.Augusti* 1760., quo Sacra Congregatio Parochum ab irregularitate dispensavit, qui ira correptus Parochianum in oculo vulneraverat, atque ex hoc vulnere quatriduo post Parochianus decesserat. In præsenti autem casu omnes concurrere putat circumstantias, quæ preces suas clementer exaudiendas suadent.

Concilium Tridentinum *sess.14.cap.7. de Reform.* voluntarium homicidium a casuali distinguens hæc statuit = *Qui sua voluntate homicidium perpetraverit, etiamsi crimen id nec ordine judiciario probatum, nec alia ratione publicum, sed occultum fuerit, nullo tempore ad Sacros Ordines promoveri possit . . . Sed omni ordine, ac Beneficio, & officio Ecclesiastico perpetuò careat. Si verò homicidium non ex proposito, sed casu . . . fuisse commissum narretur, quam ob causam etiam ad Sacrorum Ordinum, & Altaris ministerium, & Beneficia quæcumque, ac Dignitates jure quodammodo dispensatio debeatur, committatur Loci Ordinario . . . qui nonnisi causa cognita, & probatis precibus, ac narratis, nec aliter dispensare possit*. Inferunt exinde Doctores, Concilium adversari tantummodo dispensationibus ex homicidio per insidias, & ex animi sententia commisso, *Barbos.de offic. Episcop. part.2.allegat.39. num. 9.*, *Garz.de Benefic part.7.cap.11. num.44.* Quamvis hoc etiam in casu, Summum Pontificem ex suæ potestatis plenitudine dispensare posse non dubitetur *Fagnan. in cap. Henricus n.30.& 31.de Cleric.pugnan.in duell.*, *Pirringh.lib.5.tit.12. sect.5. §.3.*

Quare Sacra Congregatio ubi actum est de homicidio voluntario, ferè nunquam dispensare consuevit, ut in *Bisacen. Irregularitatis 10. Junii* 1741., *Feretrana Irregularitatis 22. Januarii* 1757., *Brixien. Irregularitatis 19. Januarii* 1765., *Agrigentina Dispensationis 30. præteriti mensis Januarii*. Præsertim erga promovendum, ut in *Lamacen. Irregularitatis 13.Septembris* 1738., & testatur etiam *Fagnanus* loco citato *num.41.*

*num.*41. ubi hæc ſcribit = *Licet cum promovendit in homicidio voluntario nunquam meminerim diſpenſatum.*

Quando verò quæſtio fuit de homicidio, quod non ex propoſito, ſed caſu fuiſſet commiſſum, tunc expenſis rerum, perſonæque circumſtantiis, Sacra Congregatio non rarò diſpenſavit, ut in *Montis Faliſci 6. Junii* 1739., *in Imolen.* 28. *Januarii* 1741., *in Murana* 12. *Martii* 1763., *in Terracinen.* 10. *Maji* 1766

Quæ autem perpendi ſoleant, ut gratia concedatur, vel denegetur, hæc potiſſimùm traduntur a *Fagnano loco citato* = *An homicidium fuerit commiſſum per induſtriam, ſeu præmeditatè, & per inſidias: An occidens fuerit rixæ author, vel provocatus: An tantum temporis exceſſerit a die patrati homicidii, ut illius memoria ſit obliterata in loco, & ſic ceſſet ſcandalum: anve ab eo tempore Orator a miniſterio Altaris abſtinuerit. Rurſus an obtinuerit pacem a Parentibus, vel Conſanguineis defuncti, anve cum Fiſco concordarit: Item an eſſet aliàs bonæ conditionis, & famæ, & an poſt delictum ſemper laudabiliter vixerit ex literis teſtimonialibus Ordinarii.*

Inquirendum eſt itaque, an prædictæ circumſtantiæ verificentur in Sacerdote Jacobetti: Etſi enim mors Petri tribui poſſet ictibus, quos in eum impegiſſe dicitur Orator, illam tamen non ex animi propoſito illatam fuiſſe, & per ſe conſtat, & nemo diffitetur. Nullum inſuper ſupereſſe ſcandalum, manifeſtè monſtrat, præter alia multa, ipſa etiam mulierum retractatio, qua disertiſſime confeſſæ ſunt, ſe fuiſſe in judicio mentitas. De venia a Defuncti Parentibus obtenta, de optima Sacerdotis Jacobetti fama, de peracta ab illo pœnitentia, de egregia ejuſdem vivendi ratione, apertiſſima ſunt monumenta, quæ ab ipſo exhibentur.

Archiepiſcopus demum Tranen. in ſuis ad Sacram Congregationem datis Epiſtolis, poſtquam dixit, Sacerdotem Jacobetti fuiſſe de delicto convictum, ſic aperit votum ſuum = *E ſtante che il detto Sacerdote fin dal meſe d'Aprile del paſſato anno 1765. ha terminata la penitenza, con eſſerſi portato in tempo della dimora in due Monaſterj con tutta eſemplarità, ſiccome continua tuttavia a fare fuori di eſſi, menando una vita da vero Eccleſiaſtico, ſenza che aveſſe dato alcun motivo di ſcandalo, o commeſſo altro fallo, benchè minimo, anzi moſtraſi dolente, e pentito dell'involontario commeſſo errore, ſono nel debole ſentimento, quale ſottopongo ſempre all'alto diſcernimento dell'Eminenze VV., che potrebbero degnarſi accordare ad eſſo Sacerdote Jacobetti la grazia della diſpenſa dall' Irregolarità per detta cauſa incorſa, tanto più, che il medemo pochi meſi addietro hà ſofferto una grave infermità, della quale tutt' ora ne ſoffre gl' incommodi della convaleſcenza, motivo, per cui aſpira fervoroſamente vederſi di nuovo ſull' Altare &c.*

Emi-

Eminentissimorum itaque Patrum doctrina, æquitas, & clementia dijudicabit

An sit locus dispensationi ab Irregularitate, in casu &c.

Negativè.

Sess 14. cap. 9., & sess. 24. cap. 13 de Reformat.

BASILEEN., SEU CONSTANTIEN. UNIONIS. In Civitate Seggingæ Diœcesis Constantiensis insigne est Monasterium Sanctimonialium, vel potius Canonissarum, quæ S. Fridolinum in Fundatorem, & Patronum agnoscunt. Monasterium hoc eximia Regum, & Imperatorum liberalitate singularibus privilegiis donatum fuit, atque amplissimis dotatum reditibus, qui alendis quadraginta Canonissis olim pares erant. Verùm deperditis ob varias temporum, bellorumque vicissitudines antiquis fundationibus, ac reditibus, ad statum adeo humilem delapsum est, ut in præsens nonnisi sex nobiles Canonissæ ali possint. Ut itaque prædictæ Canonissæ Monasterio, sibique consulerent, anno 1766. supplicem porrexerunt libellum Summo Pontifici, postulantes unionem Ecclesiæ Parochialis Oppidi Ganzingensis, quæ Patronatui Ecclesiastico subest ipsius Monasterii.

Precibus *pro informatione, & voto* remissis ad Basileensem Episcopum, in cujus Diœcesi sita est eadem Ganzingensis Ecclesia, supplicantium votis ipse censuit annui posse, dummodo sibi relinqueretur arbitrium assignandi congruam Vicario perpetuo, ut scilicet illam in ea quantitate præfiniret, quam ad subeunda Ecclesiæ onera comperiisset idoneam. Novis interim exortis difficultatibus tum ex parte reliquorum Parochorum Regionis, Capitulum rurale componentium, tum ex parte Communitatis Vallis Ganzingensis, & Baronis Josephi Leopoldi de Roll totius enunciatæ Vallis Domini temporalis, placuit Eminentissimo Pro-Datario, cui res a Summo Pontifice mandata fuerat, judicium exquirere Sacræ Congregationis. Obsignatum itaque fuit dubium, quod in calce legitur transcriptum.

Contendunt primùm Canonissæ *necessitatem* hic concurrere, & *utilitatem*, quæ duæ causæ sunt, propter quas uniones ejusmodi conceduntur *Cap. Exposuisti 33. de Præbendis*. Necessitatem ex eo repetunt, quod Monasterium conspicuis olim muneribus, ac reditibus ita abundaret, ut quadraginta alendis Canonissis, una cum congruenti familia par esset, modo verò sex tantùm Canonissas alere vix possit, ob sequutam redituum deperditionem, *variis temporum injuriis,*

posse,

peste, videlicet, fame, igne, inundationibus, continuisque bellorum vicissitudinibus, nec non vicinorum Hæreticorum vexis, insidiis, & attentatis, reiteratisque occursis incendiis, ut in precibus Sanctissimo Domino Nostro porrectis exposuerunt.

Addunt, Monasterium plurimis ad promovendam Dei gloriam, salutemque Animarum gravari expensis, quas inter congruum recensetur stipendium, quod penditur conspicuo Sacerdotum numero, qui non solum ad peragenda Divina officia, horasque canonicas canendas destinati sunt, sed dant etiam operam excipiendis Fidelium confessionibus, Sacramentis ministrandis, erudiendis Populis de rudimentis Fidei, concionibus peragendis, & Vineæ Domini piis operibus excolendæ.

Nihil obesse ajunt, hujusmodi angustias, & expensas non aliundè probari, quam asseveratione solius Episcopi Basileensis. Animadvertunt enim Episcopum etiam Constantiensem legitimis edoctum monumentis id ipsum asseruisse, quando superioribus annis actum est de trigenaria Vvaldkirchensis unione eidem Monasterio concedenda. Præterea iniquum esse fidem denegare Episcopo, qui à Summo Pontifice interrogatus Beneficiorum unioni assentitur, & veras testatur causas, quæ ad illam obtinendam proferuntur, *Garz. de Benefic. part. 12. cap. 2. num. 121.*, *Barbos. ad Concil. Trident. Sess. 7. cap. 6. num. 13.*, *Antonell de Regim. Eccles. lib. 3. cap. 8. num. 27.*, *Rota coram Crispo dec. 190. num. x.*

Ad *utilitatem* verò quod attinet, eam probare nituntur, tum ex hospitalitate, quæ eodem in Monasterio jugiter exercetur erga peregrinos, & pauperes, qui maxima frequentia ad Sanctuarium accedunt; tum ex conspicuo Sacerdotum numero, qui ibidem aluntur, non solum, ut sacris precibus recitandis incumbant, & Divina mysteria perficiant, sed etiam ut Sacramenta administrent, Conciones agant, & Religionis nostræ rudimenta Incolas æque, ac Advenas doceant; tum demum quia dicti Sacerdotes assiduo Sacrorum munerum exercitio in Animarum cura, & Ecclesiasticis Rubricis apprimè versati, de Ecclesiis Parochialibus provideri solent, quarum Patronatu Canonissæ potiuntur, & quibus optimè, & summo cum fructu deserviunt, itaut prædictus Sacerdotum cœtus partem quodammodo constituat selectiorem, ut habeatur veluti Seminarium operariorum ad vineam Domini excolendam.

Utilem etiam hanc unionem futuram asserunt Parocho Ganzingensi, cujus annui reditus cum consistant in solis fructibus, frumenti, vini, & olei, & id genus aliis ex decimis percipiendis, vix fieri potest, ut fine multis difficultatibus, molestiis, ac litibus ferè continuis, easdem decimas assequatur, a quibus incommodis eximeretur, si cer-

tum ipsi stipendium assignari contingat. Parochum quoque hac in re convenire, pluries disertis verbis testatum esse, percommodam sibi futuram translationem decimarum in annuam illam pensionem, ac fructuum partitionem, quam Episcopus insinuat, æquissimam se esse facturum.

Annuentibus itaque prædictæ unioni tum Episcopo, tum Parocho, spernendam inquiunt contradictionem, quæ instituitur nomine Communitatis Ganzingensis, cum nullum hæc adhuc legitimum mandatum dederit ad illam impugnandam, nihilque adversus eam opposuerit coram Commissario Episcopi Basileensis; minusque in pretio habendas oppositiones Baronis Roll, qui inanibus ducitur momentis, quique alias Canonissarum vota, precesque laudavit, quique demum non ita est Ganzingæ Dominus territorialis, quemadmodum erat Baro ille a Freybergh, de quo meminisse dicitur *Rota decis.59.num.15.coram Crispo.*

Neque huic unioni repugnare, ajunt, decretum Sac.Concil. Trident. *Sess.24. cap.13. de Reform.*. Contendunt enim per hujusmodi decretum minimè prohiberi, quominus fructus unius Ecclesiæ Parochialis alteri Parochiali Ecclesiæ uniantur; cum immò plurium Parochiarum reditus jam fuerint superioribus annis Seggingensi Monasterio legitimè aggregati. Prohiberi dumtaxat quominus Monasteriis, Collegiis, & Hospitalibus addicatur pars ulla fructuum Ecclesiæ Parochialis, cujus titulus perseverat intactus, *Garz. de Benef. par.12.cap.2.n.88., Barbos.de offic.,& potest. Episcop. part.3. allegat.66.num.31., Rot.dec.1316.num.6. coram Molin.* Hic autem agi de unione facienda Sanctuario ob hæreses in ea Provincia serpentes maximè necessario. Agi de Monasterio, cujus Patronatui subest Ganzingensis Ecclesia, eique proindè ad ægestatem redacto ex jure esse, ut subsidium præstetur per unionem ipsius Ecclesiæ Patronalis *Fargna de Jurepatron.part.5.can.9.cas.1.num.45.* Agi demum de unione erga Collegium apprimè utile pro Fidei Catholicæ defensione, ac propagatione, bonarumque artium cultura, quibus in circumstantiis omnes approbant unionem Parochialis, ut testatur *Gonzalez. ad reg.8.Cancell.gloss.6.n.96., Barbos. ad Concil.Trident. sess. 24. cap.12. num.11., Rot.in Recent. decis.817.num.2.part.18.*, & admisit quoque pluries Sacra hæc Congregatio, ut in *Compostellana unionis* 20.*Sept.*1692., *in Colonien.* 20. *Septemb.* 1727., *& in Legionen.*, *& Astoricen. unionis* 11.*Aprilis* 1739.

Perperam etiam objici alterum decretum *Concil. Tridentin. Sess.14. cap.9. de Reform.*, quo cavetur, ne Beneficia unius Diœcesis, alterius Diœcesis Beneficiis uniantur. Ajunt enim illud auferre quidem Episcopis arbitrium ejusmodi unionum, non obstare tamen, quin decernantur Supremæ Sanctæ Sedis auctoritate *Barbos. de offic.,& potest.Episcop.par.3. alleg.66.num.29., Card.de Luca in annot.ad Concil.Trid.disc.8.*

num.20.

num.20., & 22., *Rot. coram Coccin. dec. 249. num. 4.* Animadvertunt præterea Sacrum Concilium uniones prohibere, *ut Ordo Ecclesiasticus non confundatur, aut una, & eadem Ecclesia duarum quodammodo Diœcesum fiat*. In hac verò, de qua agitur unione, pristinum statum Ecclesiæ uniendæ servari, proprium eidem Parochum, seu Vicarium perpetuum relinqui, qui Basileensi Episcopo pareat, nihil ex jure Parochiali, nihil spiritualis Monasterio accedere, ac proinde immeritò fingi aliquam Ecclesiastici Ordinis confusionem, seu perturbationem, *Innocent. in cap. Pastoralis num. primo de privileg*, *Tondut. quæst. Benefic. tom. 2. cap. 1. n. 6.*, *Rot. dec. 1. num. 5. de union. Benef. cor. Falconer.*

Subdunt denique nullius momenti esse, quæ de damno Ganzingensi Populo obventuro ex translatione decimarum, & fructuum ad aliam Diœcesim prædicantur. Consentire imprimis Episcopum: agi præterea de augendo Divino cultu, & de subsidio insigni Sanctuario, & patronali Ecclesiæ præstando. Publicam idcircò utilitatem levi subductionis paucorum fructuum incommodo esse præponendam.

Ex alia verò parte Capitulum rurale Regionis Frikandiæ, in qua sita est Ecclesia Ganzingensis, & Communitas Vallis Ganzingensis objiciunt, unionem, de qua hìc agitur, apertissimè adversari non solum decreto *Sac. Concil. Triden. sess. 24. cap. 13. de Reformat.*, quo dissertissimis verbis cavetur, *ne Ecclesiæ Parochiales Monasteriis quibuscumque, aut Abbatiis uniantur*, sed etiam alteri decreto ejusdem Concilii *sess. 14. cap. 9. de Reformat.*, quo Beneficia unius Diœcesis uniri prohibentur *quacumque de causa alterius Diœcesis beneficio, Monasterio, seu Collegio, vel loco etiam pio*. Non dubitari autem Ganzingensem Ecclesiam, & verè Parochialem esse, & in aliena Diœcesi sitam, cum hæc ad Basileensem Diœcesim, Monasterium verò Seggingense ad Constantiensem pertineat.

Nihil obesse ajunt in præsenti casu, non peti unionem plenariam, & subjectivam, sed unionem tantum redituum Ecclesiæ Parochialis Ganzingensis. Observant enim per relatum decretum *Concil. Trident. sess. 24. cap. 13.*, non solum prohiberi effectivam unionem, quæ omnimodam tituli extinctionem importet, sed etiam unionem redituum diminutionem præseferentem, ut proindè vi ejusdem decreti, nulla pars fructuum, quantumvis minima, in præjudicium Ecclesiæ Parochialis uniri permittatur, ut notat *Garz. de Benefic. part. 12. cap. 2. num. 87.*, *Ricc. in prax. for. Eccles. part. 1. resolut. 393. versic. Limita tertio*, *Barbos. de jur. Eccl. lib. 3. cap. 16. num. 33.*, *Rot. cor. Crispo dec. 59. num. 6.*

Frustra in medium afferri pristinam Monasterii institutionem, in quo Regularis observantia maximè viget, antiquum Canonissarum numerum, hodiernam Monasterii inopiam, ingentes impensas quotannis subeundas in fabrica insignis Ec-

clesiæ, in stipendiis plurium Capellanorum, in eleemosynis, & in hospitalitate, quæ Peregrinis Sanctuarium veneraturis continuò præstari solet. Has enim omnes causas omnino excludi asserunt ab utraque Concilii Tridentini sanctione, cum *sess.* 14. *cap.* 9. prohibeatur unio Beneficiorum diversarum Diœcesum, *etiam ratione augendi cultum Divinum, aut numerum Beneficiatorum, aut alia quacumque de causa*, & *sess.* 24. *cap.* 13. Parochialium Ecclesiarum unio interdicatur *ex supradictis, seu aliis causis*, ut etiam observant *Thomasin. de vet. & nov. disciplin. part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 23. *num.* 2., *Garz. loc. citat. num.* 86., *Leuren. quæst.* 998. *num. primo*.

Nullam adesse addunt aut necessitatem, aut utilitatem, quæ unionem hujusmodi suadeat. Ad necessitatem enim, quod attinet primùm observant, non esse attendenda, quæ de vetusta Monasterii origine, de insigni Abbatissæ dignitate, inter Imperii Principes locum obtinentis, de Regulari in eodem Monasterio vigente disciplina, de Canonissarum nobilitate, aliisque hujus generis proponuntur. Quandoquidem advertunt, Beneficiorum unionem, non a Loci, vel Personarum dignitate pendere, sed a causa, quæ necessarium Ecclesiæ servitium, & Ministrorum sustentationem præseferat, *Thomasin. ibidem num.* 23., *Card. de Luca de Benefic. disc.* 43. *num.* 3., *Rot. coram Peutinger. decis.* 169. *num.* 2., & *dec.* 200. *num.* 6.

Quæ verò adducuntur de summa inopia, ad quam redactum dicitur Monasterium *ex peste, fame, igne, inundationibus, continuis bellorum vicissitudinibus, Hæreticorum vexis, insidiis, & attentatis, reiteratisque occursis incendiis*, ea asseri tantummodo, ajunt, non autem legitimè, & concludenter probari, quemadmodum ad justam unionis causam opus esset, *Monacel. part.* 1. *tit.* 2. *formul.* 7. *num.* 1., & *part.* 2. *tit.* 16. *form.* 9. *num.* 7., *Rot. decis.* 318. *num.* 8. *part.* 5. *Recent.*, & *dec.* 175. *n.* 5. *coram Celso*. Ipsum Basileensem Episcopum in sua informatione disertè hæc referre = *De veritate causarum a Canonissis allegatarum legalem probationem ex parte Oratricum, utpotè in Diœcesi Constantiensi existentium, a se qua Ordinario Basileensi exigi nequivisse, sed per famam, ac notitiam dumtaxat publicam habuisse* = Hinc inferunt minimè standum esse Episcopi voto, & assertioni tamquam non innixæ certæ probationi causæ, quæ ex mente Concil. Trident. plenissima requiritur, *Turricell. de union. cap.* 10. *num.* 2., *Barbos. de Jur. Eccles. lib.* 3. *cap.* 16. *num.* 51, *Rota coram Caprar. dec.* 468. *num.* 13.

Quin immò a vero alienum esse, contendunt, Monasterium ea inopia, urgentique necessitate laborare, quæ rationabilem suppeditet unionis causam. Constare enim ajunt Monasterio accessisse ex unione Beneficii Valdkirchensis eidem facta anno 1753. duo millia florenorum annua, & quidem

dem dempta Parochi alimonia: Constare insuper ex testimonio Magistratus Civitatis Seggingensis, idem Monasterium conspicuis abundare reditibus, atque emolumentis, ac præterea, *che oltre queste, ed altre simili rendite, ed oltre le Signorie sue, li sudetta Abbadia si ritrova in possessione reale di assai molti altri beni, ed importanti terreni, e di più le Selve di Schvvvste, dalle quali sole potrebbe vendere legname per molte migliaja di fiorini*. Constare demum, dictas Canonissas pares modo fuisse ferendis sumptibus voluptuosis, *con aver attualmente piantato un prezioso Giardino di delizie, che porterà di spesa molte migliaja di fiorini*, ut idem Magistratus testatur.

Tametsi vero vetustis temporibus longe major fortasse fuerit Canonissarum numerus, nihil tamen ad rem, de qua agitur, id prodesse, cum numeri decrementum jamdiu contigerit, itaut nemo hodie sit, qui affirmare posset, majorem earum vidisse numerum, quam sint in præsenti. Causam vero ad uniones Beneficiorum necessariam, & ab indigentia petitam, non ab antiquiori Ecclesiæ statu, sed a præsenti rerum conditione desumendam esse, *Barbos. de offic. & potest. Episcop. part.3. allegat.67.num.5.*, *Lotter. de re Benefic. lib.primo quæst.24. num.143.*, *Rot. coram Coccin. decis.1993. num.4.*

Hactenus de necessitate. Ad *utilitatem* verò, quod spectat, hanc observant, tantummodo attendi pro Beneficiorum unione, quando a diuturno tempore expleri non possunt pia exercitia, & Divina officia magno cum Ecclesiæ, ac Populi detrimento *Abbas in cap. Expavisti num.4. de Præbend.*, *Ventrigl. in prax. for. Eccles. part.2. adnotat.8. §.2. num.23.*, *Fargna de Jurepatron. part.5. can.9. cas.1. num. 55. & 63.* Nihil autem horum in dicto Monasterio contigisse, cum probari non possit, vel Sanctuarium ruinam minari, vel hospitalitatem esse intermissam, vel nullos amplius adesse Sacros Ministros, qui pro consueto stipendio in Canonissarum Ecclesia Divina peragere velint.

Addunt, unionem nullimode Monasterio fore profuturam. Parochialis Ecclesiæ reditus in sexcentis circiter scutis romanis numerari. Ab his deducendas esse expensas quotannis omninò subeundas pro percipiendis fructibus, ferendisque oneribus Parocho inhærentibus ædificandi, & reparandi Ecclesiæ Chorum, ac ædes Parochiales: Subducendam item esse tum congruam portionem Vicario perpetuo assignandam, quæ satis quoque sit ad exercendam hospitalitatem, vel ad sustentandum Coadjutorem in casu infirmitatis, vel provectæ ætatis destinandum; tum subsidium charitativum Mensæ Episcopali solvendum; tum demum taxas, quæ potestati Sæculari a Clero solvuntur. His autem subductis oneribus, nihil superesse, quo vel consuli possit inopiæ Monasterii, vel Canonissarum numerus au-

augeri, vel Ecclesia ampliari, & Sacerdotum Cœtus latius produci.

Obesse etiam affirmant petitæ unioni regulam 22. Cancellariæ, quæ *de unionibus* vulgò appellatur, cum per eam cantum sit, ne uniones inconsiderate expleantur, sed primum exactè inquiratur valor *tam uniendi beneficii, quam illius, cui uniri petitur*. A Canonissis autem proferri quidem annuos Parochialis Ecclesiæ Ganzingensis reditus, nullam tamen mentionem fieri de oneribus a Parocho subeundis, de deductionibus faciendis, de reditibus Monasterii, cui uniri petitur, sed rem totam absolui generalibus quibusdam verbis, quibus ejus calamitates magnopere extolluntur.

Animadvertunt præterea, justis de causis unioni contradicere Capitulum Rurale Regionis Frikandiæ, in qua Parochialis Ecclesia sita est; Universum insuper Populum Ganzingensem, qui ad Dominum Villæ confugit, ei causas significavit, & damna gravissima inde obventura, & mandatum Procuræ signavit, ut unioni impedimenta interponeret; Ipsum etiam resistere temporalem Vallis Ganzingensis Baronem Josephum Leopolum de Roll. In uniendis autem beneficiis, ac præsertim Ecclesiis Parochialibus, de jure esse, ut audiatur Capitulum Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ, vel alterius Cleri, cujus partem Ecclesia unienda constituit *Cap. Sicut unire de excessib. Prælat.*, *& in Clement.* 2. *de reb. Eccles. non alienan.*, *Corrad. in prax. benef. lib.* 2. *cap.* 15. *num.* 67., *Rigant. ad regul.* 13. *Cancell. tom.* 2. *n.* 140., *&* 141., ubi plures refert Sac. Congregationis resolutiones. Audiendum item Populum, cujus plurimum interest idoneum habere Pastorem *Barbos. ad Concil. Triden. cap.* 5. *sess.* 21. *de Reform.*, *Rigant. ad reg.* 22. *n.* 60., *&* 61., *Rot. coram Crispo decis.* 59. *num.* 13. Audiendum quoque Loci Baronem, *Bald. in leg. quidem cum Filium ff. de verb. oblig.*, *Gratian. discept. for. cap.* 559. *num.* 24., cum præsertim in Germania Barones Catholici jure gaudeant honorifico Defensorum, & Protectorum Ecclesiarum in eorum temporali ditione existentium, *Rot. dec.* 59. *n.* 15. *cor. Crispo*.

Tandem non diffitentur, Sacram Congregationem hujusmodi unionibus aliquando consensisse. Observant tamen, id factum non fuisse, nisi postquam legitime probata esset paupertas, & inopia Loci, cui Ecclesia Parochialis erat unienda: Atque ulterius nisi eorum consensus accederet, quorum interesse involuebat: Vel demum actum fuisse de beneficiis ejusdem Ecclesiæ. Horum autem nihil in hac, quæ petitur unione, verificari.

Beneficiorum unionem inter res odiosas recensendam esse, unanimis est Canonistarum sententia. *Faguan. in cap. Exposuisti de Præbendis n.* 19., *Turricell. de union. benef. quæst.* 882. *num.* 2., *Card. de Luc. de Benef. disc.* 19. *n.* 13. Hinc nunquam ea permittitur nisi ex magna, & necessaria causa. Hæc indue-

duobus consistit designatis ab Honorio III. *Cap. Exposuisti 33. de Præbendis*, ubi respondens Episcopo Vesprimensi sic habet = *Si evidens necessitas, vel utilitas exigat, Præbendas Ecclesiæ tuæ poteris de Capellis in perpetuum annectendis eisdem augmentare, reservata tamen congrua Capellarum Presbyteris portione.*

Quare Concilium Tridentinum advertens Ecclesiarum, & beneficiorum uniones, antea factas non tam utilitatem, spectavisse, aut necessitatem ipsarum Ecclesiarum, quam personarum magis favorem, & commodum; ut hisce malis remedium aliquod afferret ita statuit *Sess.7. cap.6. de Reformat.* = *Uniones perpetuæ a quadraginta annis circiter factæ, examinari ab Ordinariis, tanquam a Sede Apostolica delegatis possint, & quæ per subreptionem, vel obreptionem obtentæ fuerint, irritæ declarentur. Illæ vero, quæ a dicto tempore citra concessæ, nondum in toto, vel in parte sortitæ sunt effectum, & quæ deinceps ad cujusvis instantiam fient, nisi eas ex legitimis, aut alias rationabilibus causis coram Loci Ordinario, vocatis quorum interest, verificandis, factas fuisse constiterit, per subreptionem obtentæ præsumantur, ac propterea nisi aliter a Sede Apostolica declaratum fuerit, viribus omnino careant.*

Multum etiam interest ad effectum unionis inquirere, an Beneficium, quod alteri uniri postulatur, simplex sit, nullumque habeat, excepta celebratione Sacrorum, onus aliud personale adnexum; vel potius ex beneficiis curatis, aliisque, quorum possessor ad obeunda aliqua specialia Ecclesiæ munia obstringitur. Unioni Beneficiorum primi generis facilius annuitur, quam si res sit de illis secundi generis. Beneficia simplicia Concilium uniri permittit ad succurrendum Cathedralibus Ecclesiis, cujus adeo tenues sint reditus, ut Episcopali dignitati minime respondeant, vel Ecclesiis Parochialibus, cujus fructus ita sint exigui, ut debitis oneribus subeundis impares comperiantur, quemadmodum habetur ex *ex sess.24. cap.13. de Reform.*, vel ad augendas tenues Præbendas Cathedralium Ecclesiarum, aut insignium Collegiatarum *ibid. cap.15.*, vel demum ad perficiendam Seminariorum erectionem *Sess.23. cap.18. de Reform.*

Verum, dum egit de Beneficiis curatis, aliter planè Tridentina Synodus loquuta est, & nonnisi ex gravi causa illarum unionibus assentiri visa est. Nam citat. *sess.24. cap.13. de Reformat.* ne per Romanum quidem Pontificem, vel ad tempus dumtaxat, provideri posse decrevit de beneficiis Curatis Episcopos, qui fructuum subventione pro Diæcesis suæ calamitatibus, ac redituum tenuitate indigerent Et generatim hæc ibidem sancivit = *In unionibus verò quibuslibet, seu ex supradictis, seu aliis causis faciendis, Ecclesiæ Parochiales Monasteriis quibuscumque, aut Abbatiis, seu Dignitatibus, sive Præbendis Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ, sive aliis be-*

ne-

neficiis simplicibus , aut hospitalibus , militiisve non uniantur . Advertendum tamen, Concilium ibi non loqui de Parochiis, in quibus Monasteria Jurepatronatus potiuntur , cum in eo casu Concilii legem mitius intelligendam esse doceant Canonistæ , quos inter *Barbos. ad Concil. loc. sup. citat.* , *Gallemart. in declarat. ad cap. 7. sess. 7. de Reform.* , *Gonzal. ad regul. 8. Cancell. gloss. 6. n. 95.*

Longe difficilius vero permittitur unio Beneficij existentis in una Diœcesi cum beneficio alterius Diœcesis, ne Ecclesiasticus Ordo detrimentum aliquod, aut perturbationem patiatur. Id aperte Concilium dixit *sess. 14. cap. 9. de Reformat.* ubi legitur = *Ut Ordo Ecclesiasticus non confundatur , aut una , & eadem Ecclesia duarum quodammodo Diœcesum fiat , non sine gravi eorum incommodo , qui illi Subditi fuerint , beneficia unius Diœcesis , etiamsi Parochiales Ecclesiæ , Vicariæ perpetuæ , aut simplicia Beneficia , aut præstimoniales portiones fuerint , etiam ratione augendi Cultum Divinum , aut numerum Beneficiatorum, aut alia quacumque de causa, alterius Diœcesis Beneficio, aut Monasterio, seu Collegio, vel loco etiam pio perpetuo non uniantur .*

Ad solemnitates quod attinet in beneficiorum unione servandas, duæ potissimum recensentur in *Regul. 22. Cancell.*, ibi= *Item voluit , quod petentes Beneficia Ecclesiastica aliis uniri , teneantur exprimere verum annuum valorem secundum communem æstimationem tam beneficii uniendi , quam illius , cui uniri petitur , alioquin unio non valeat ; & semper in unionibus commissio fiat ad partes , vocatis quorum interest* = Postremam hanc cauthelam demandavit etiam Synodus Tridentina *sess. 7. cap. 6. de Reform.*, præscribens , ut legitimæ , aut alias rationabiles unionis causæ coram Loci Ordinario, *vocatis quorum interest*, verificentur .

Perpendendum est itaque , an in præsenti casu locum habeant causæ illæ ad uniones obtinendas ex jure Canonico requisitæ , *evidens* , videlicet , *necessitas* , *& Ecclesiæ utilitas* , an hujusmodi causæ , *vocatis quorum interest* , fuerint verificatæ: an Ecclesiasticus Ordo ea ex unione, quæ hic petitur, confundatur ; An satis constet de reditibus tum beneficii curati Ganzingensis , tum Monasterij Seggingensis , cui illud uniri petitur : an demum juspatronatus , quo Monasterium Seggingense in dicta Ecclesia Ganzingensi potitur, conferre possit ad unionem facilius concedendam .

Ad hanc unionem concedendam, vel denegandam certa regula statui non potest . Sacra Congregatio pro diversis facti, & singulorum casuum circumstantijs eam interdum negavit , interdum concessit . I*n Frisingen.* 14. *Junij* 1710. , in qua agebatur de unienda Monasterio SS. Ulderici , & Afræ Civitatis Augustanæ Ordinis S. Benedicti Parochiali Ecclesia Diœcesis Frisingen., cujus præsentatio, & nominatio ad Abbatem , & Monachos prædicti Monasterij spectabat ; quamvis unionem apprimè utilem assereret , & commendaret Epi-

Episcopus Frisingensis, una cum Capitulo suæ Cathedralis, nihilominus dubio = *An*, *& quomodo Oratorum precibus sit annuendum*= respondit = *Negativè*= Eadem quoque fuit Sententia in *Leodien. Unionis* 27. *Septembris* 1700., *in Aurien.* 22. *Februarii* 1707., *in Legionen.* 24. *Aprilis* 1723., *& in alia Frisingen.* 18. *Junii* 1735. Verum unionem admisit *in Compostellana* 20. *Septembris* 1692., *in Colonien.* 20. *Septembris* 1727., *& in Legionen.* 11. *Aprilis* 1739.

Perpensis itaque rationibus in utramque partem adductis, Sapientissimum EE. VV. judicium definiet.

An sit locus unioni fructuum Ecclesiæ Parochialis, de qua agitur in casu &c.

Negativè, & amplius.

ROMANA SUBSIDIORUM DOTALIUM. Paulus Paganini anno 1620. conspicuam summam scutorum 30. mil. in tot locis montium collocatam liberaliter contulit in Archiconfraternitatem Sanctissimæ Annunciationis Urbis, ut ex fructibus darentur quolibet anno tot subsidia dotalia scutorum 100. pauperibus puellis, quæ nupsissent in Domino, & in earum defectu aliis puellis, nupturis in sæculo; Jus nominandi puellas, pro dimidia parte concessit Sodalibus Archiconfraternitatis, pro altera Magdalenæ pronepti Matrimonio junctæ cum Theodosio de Rubeis, & istorum filiis, hæredibus, & successoribus tam masculis, quam fœminis in infinitum. *Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

Descendit a memoratis Conjugibus Julius de Rubeis. Is, unicam habens filiam *Annam*, hujus nomine, exemplo aliorum descendentium, preces dedit, ut ex medietate dictorum subsidiorum Dotalium eidem filiæ suæ & alimenta decentia, & dos congrua præstaretur. Deputati Archiconfraternitatis traditioni alimentorum in annuis scutis 36., & assignationi congruæ dotis dederunt assensum. Eminentissimus Protector pro eadem quantitate alimentorum, & pro dote temporali in scutis 700., ac spirituali in scutis 745. votum edidit. Propositis hinc in Congregatione *diei* 29. *Augusti proxime elapsi*, I. *An & in qua summa, & a quo tempore sint præstanda alimenta*. II. *An, & in qua summa sint constituendæ dotes*, responsum fuit. *Ad* I. *Affirmativè a die petitionis in mensualibus scutis quinque*. *Ad* II. *Juxta Votum Emi Protectoris*. Viden. folium *diei* 8. *ejusdem mensis Augusti*, quo facti species latius habetur.

Nunc vero Deputati Archiconfraternitatis dotium quantitatem congruam, & æquam profitentes, gravem, & excessivam putant statutam alimentorum quantitatem. Hujus

ideo petunt moderationem, advertentes, sola menstrualia scuta tria assignata fuisse anno 1748. filiabus Philippi, & Vincentii de Rubeis, licet Theodosio proximioribus, potiori ideo jure eadem quantitate contentam esse debere *Annam* longe remotiorem, erga quam levior Donatoris affectio est, minorque benignitatis ratio urget.

Maximè quia *Anna* vix octo annos habet, degitque educationis causa in Ven. Monasterio S. Bernardi Narniæ solvens sola annua scuta 25. titulo alimentorum, ita ut scuta tria in singulos menses non tam congrua, & paria sint, sed etiam excessiva, & quod aliæ insuper puellæ ab eodem Theodosio descendentes extant postulantes, & dotem, & alimenta. Quare absurdum videtur Annæ rependi tam excessivam quantitatem alimentorum in grave aliarum puellarum præjudicium, erga quas eadem militat Donatoris Affectio, & æquitatis ratio.

Contra Julius de Rubeis nomine Annæ filiæ inquit, alimenta non ad meram victus necessitatem, sed ad cultum etiam secundum personæ conditionem dari oportere *Tiraquell. de Nobil. cap.*20. *num.*143., *Rota coram Falconer. de Alim. decis.*8. *num.*7. Annam vero descendentem ex nobili familia nunc educationis causa morari in Monasterio Narniensi, ubi supputatis alimentis, aliisque ad cultum necessariis, ne annua quidem scuta 50. sufficiunt: patere itaque, quantitatem Alimentorum in mensualibus scutis quinque excessivam non esse, sive inspecta qualitate personæ, sive necessitate, ac decentis cultus ratione.

Nec obsistere, quod anno 1748. data fuerint aliis puellis ex eadem descendentia sola mensualia scuta tria: Advertit enim, tunc præstari debuisse alimenta quatuor filiabus *Philippi*, & aliis duabus *Vincentii*, singulis item congruam dotem, aliasque Dotes scutorum 2500. pro qualibet ex sororibus Trulli: Nunc vero medietatem redituum ascendere ad scuta 357., nullo onere gravari, nulli præstari alimenta, & Annam unicam esse, quæ ob angustias paternæ Domus alimenta petat. Nec obesse existentiam aliarum trium puellarum ex eadem descendentia, quia hæ nec alimenta, nec dotem petunt, & quia ex deposito scutorum 1153., & ex annuo introitu scutorum 357. recte etiam harum dotibus consuli potest, quin urgeat necessitas, ut quid minimum detrahendum sit ex gratia Annæ elargita.

Repetendum in facto est, anno 1748., quo alimentorum quantitas in solis menstruis scutis tribus decreta fuit, eum fuisse rerum Statum, ut præstanda essent alimenta quatuor filiabus Philippi, ac aliis duabus Vincentii, & singulis præterea præstanda esset dos, & insuper solvendæ adhuc superessent dotes scutorum 2500. pro qualibet ex Sororibus Trulli; Adeo ut necesse fuerit iisdem providere de altera etiam medietate subsidiorum, quæ distribuuntur a Ven.

Ar-

Archiconfraternitate, ut habetur in *Romana Subsidiorum Dotalium* 30. *Martii* 1748. *ad III. Dub.*; modo vero Oratricem unicam esse, quæ alimenta petat ex medietate subsidiorum ad descendentes Theodosii spectantes. Nec novum esse quod alimenta in menstruis scutis quinque assignentur, cum in eadem quantitate *Philippo* ad inopiam delapso san. mem. Clemens XII. anno 1731. fuerit elargitus.

Advertendum item est, an fructus dictæ medietatis, una cum pecunia deposita, pares sint ad alimenta Oratrici, & ad congruam dotem præstandam, tum ipsi, tum aliis tribus filiabus descendentibus, quas modo adesse, non impugnatur.

Assueta itaque æquitate, ac justitia dijudicent EE. PP.

An sit standum, vel recedendum a decisis quoad præstationem alimentorum, in casu &c.

In decisis, & amplius.

Sess. 25. cap. 16. de Regul.

LUCERINA RESTITUTIONIS IN INTEGRUM. Joannes Fucci Oppidi Saponaræ Lucerinæ Diœcesis, inducto sibi nomine *Nicolai*, solemnem emisit die 16. Maij 1722. professionem in Cœnobio S. Mariæ Vallis Stignani Ordinis Minorum Observantium S. Francisci. Adversus hanc professionem, ut emissam, vi metuque a Patre, & Patruis incusso, & procul ab animo profitendi, completo jam in Curia Lucerina processu, modo petit in integrum restitui.

Inquit enim, se Regulari Statui constanter fuisse semper aversum: Importunas primum, ac assiduas adhibuisse Patrem, & Patruos preces, & suasiones, ut se repugnantem ad illum allicerent; nihil tamen ipsos blandiciis proficientes, processisse ad contumelias, & minas: Vestes, & alimenta ex post denegasse: e domo ejecisse, & cum baculo fuisse ipsum insequtos. Eum vero sic ejectum noctu debuisse humi sub aperto cælo quiescere: patremque increpasse benevolos sui receptores, nec aliter ad paternam domum potuisse reverti, quam data fide religionem ingrediendi. Coactum hinc consensum vestiendi habitum dedisse, sed in itinere ad Cœnobium ad illum sumendum reluctantem animum suum declarasse: ob id sibi vetitum fuisse, ne passas violentias, ac invitam voluntatem Regularibus aperiret: sed nihilominus toto Novitiatus tempore assidue conquestum fuisse: A cœnobio fugam arripuisse: constanterque tum voce, tum scriptis semper declarasse, se fictè tantum, & absque animo profitendi externum actum professionis gerere; Et hunc fictum Animum, ac invitam voluntatem omnibus patefecisse etiam post professionem assiduis suis querelis, ac pro-

protestationibus ad annum usque 1741., quo, defunctis Patruis, sollicitus fuit judicialem querelam instituere, eamque ad hæc usque tempora prosequi.

Clare hæc omnia probari ab examine testium quos inter numerantur plures ex eodem Ordine Regulari, aliique Sacerdotes omni exceptione majores, & etiam amita, & frater. Nec amitæ, ac fratris testimonia esse spernenda causa consanguinitatis, quia in re domestica, & sequuta intra domesticos parietes, testes domestici, consanguinei, & parentes admittuntur *Ursaj. tom.*1. *part.*1. *discept.*1. *numer.6.*, *Rot.dec.*115.*n.*7.*part.*18.*Recen.*, imo etiam testes singulares, & de simplici auditu deponentes *Pignatell. consult.*77. *num.*5. *tom.6.*, *Ciriac. controv.* 168. *num.*43. & 46., & *Rot. cor. Cerro decis.*294. *num.*7.

Constare propterea de clara nullitate professionis ex metu in constantem virum cadente: maxime quia solus metus reverentialis erga Patrem cum minis conjunctus sufficit *Bonac. de Matr. quæst.*3. *punct.*8. *n.6.*, *Pirrhing. in jus can.lib.*3. *tit.*31. *num.*120., *Piton. discept.*110. *num.*3., *Ursaja discept. Eccles. tom.9. part.*2. *discept* 1. *num.*20., *Rot. coram Lodovis. dec.*325. *num.*19.; multo magis si eædem minæ ad actum insuper productæ fuerint, *Piton. discept.*110. *num.*4., *Rot. decis.98. num.*5. *coram Peuting.*, *decis.*234. *num.*7. *coram Ubald.*: vel saltem eamdem professionem absque animo, & voluntate profitendi emissam, ut tum ante, tum post constanter declaraverat, nullam prorsus, & invalidam esse *can. quod interrogasti dist.*27., *Piton. discept.*110. *n.*11., *Pignatel. consult.*173. *num.*68. *tom.9.*

Nec ad inducendam tacitam professionem, sive ejus ratificationem ullo modo suffragari vel diuturnam in Religione cum habitu Regulari moram, vel exercita officia Lectoris Philosophiæ, & Magistri Chori, vel susceptionem ordinum Sacrorum: Advertit enim, nullam concipi posse ex quibusvis Actis professionem tacitam, ubi eam excludunt explicitæ contrariæ animi significationes *Pignatel. consult.*173 *num.*30. *tom.9.*, *Ursaj. discept.*1. *num.*43. *tom.*1. *part.*1. & *Rot. coram Arguell. decis.9. num.*1.; præsertim quia exercita officia meri fuerunt laboris, & servitii, non jurisdictionis *Bordon. oper. mor. tom.*2. *resol.*12. *num.*24., *Ursaj. discept.*1. *num.*366. *tom.9. part.*2., Ordinum autem susceptio non Regularibus privative, sed Clericis etiam convenit, proindeque ex illa nullum tacitæ professionis argumentum induci potest *Pignatell. consf.*173. *num.95. tom.9.*, *Rot. decis.*195. *num.*21. *part.*4. *Recent.*

Contra Defensor Professionis inquit, ex adductis testibus alios fuisse examinatos anno 1748. sine deputatione defensoris ordinis, & sine interrogatoriis: cæteros vero examinatos fuisse ann. 1751., & 1752. post jam a biennio completum examen, & non datis interrogatoriis a defensore Ordinis tunc

tunc deputato: aperta ideo nullitate eorumdem examen notari ex aperta constitutione Benedicti XIV. incip. *Si datam*: ac proinde ex allatis testibus nullam juridicam probationem, vel metus, vel defectus intentionis profitendi evinci posse.

Addit eosdem testes deponere tantum de auditu a P. Nicolao: Non haberi ex eorum dictis incussionem gravis metus in constantem virum cadentis, sed adversam tantum Nicolai voluntatem, & adhibitas in ipsum repetitas suasiones, ac leves dumtaxat illatas minas, quin ullibi constet Patrem, Patruosque graves minas exequi solitos fuisse: Nec ad metum gravem referri posse vel denegationem vestium, vel susceptionem baculi, & incursionem in filium, vel ejus ejectionem e domo, cum hæc immanem non exhibeant sævitiam, nec necessariam inducerent vestitionem habitus, ita ut nullo modo eam effugere filius potuerit; vel saltem hæc omnia, utpote gesta longe ante professionem non excludere libertatem, ac mutationem voluntatis in P. Nicolao de tempore professionis, quam *ex libera, & spontanea voluntate* emittere professus fuit.

Inanem item esse exceptionem defectus intentionis profitendi. Advertit enim, nullam patere emissam protestationem immediate ante professionem, ita ut inter hanc, & illam nulla interposita fuerit temporis distantia *Sperel. decis. 79. num. 56.*, *Rot. coram Molines decis. 798. num. 37.*; imo in actu professionis P. Nicolaum expresse declarasse, se *ex libera, & spontanea voluntate* profiteri: spernendas ideo esse cæteras protestationes ante, vel post professionem editas, cum ex posteriori professione censeatur recessisse a prioribus protestationibus, illas autem posteriores deteriorem facere non potuisse professionem jam rectè semel completam *Rot. cor. Molines decis. 798: n. 43.*

Demum advertit, P. Nicolaum a die professionis habitum professorum semper gestasse: ab anno 1732. ad 1736., & ab anno 1741. ad 1747. nullas dedisse de emissa professione querelas. Disciplinam Regularem perpetuo observasse: munera, ac onera Regularia sibi injuncta implevisse: titulo Religiosæ paupertatis ad Sacros ordines fuisse promotum: munus Lectoris, ac Magistri Chori exercuisse, aliaque omnia egisse, quæ a cœteris Religiosis, & rite professis geri, & expleri solent: ambigi idcirco non posse vel de emissæ professionis ratificatione, vel de nova tacita professione, quæ per solam gestationem habitus per annum, & diem inducitur *cap. 1. de Regul.*, *Clem. 2. eod. tit.*, *Pignatel. consul. can. 145. num. 40. tom. 1.*

Episcopus Lucerinus hæc retulit: *Processum super restitutione in integrum adversus lapsum quinquennii petita per Fratrem Nicolaum de Luceria Ordinis Minorum Observantium a Decessore meo, EE. VV. demandantibus, anno 1748. inceptum, & ab eodem*

dem

dem postea superveniente in mense Februario 1750. novissima Constitutione San. Mem. Benedicti XIV., incipien. Si datam, ad illius tramites absolutum, cujus transmissionem longa mei Decessoris adversa valetudo retardavit, ad EE. VV. earum imperata faciens prompto animo, & obsequenti transmitto. Ex probationibus in eo adductis constat, eumdem F. Nicolaum nedum ab ejus Patre, & consanguineis metu, & minis opere compeltis per alimentorum subtractionem coactum fuisse ad ingrediendum Religionem, verum etiam intra quinquennium non potuisse reclamare durante metu, qui diù post mortem Patris perseveravit usque ad obitum consanguineorum, a quibus omnis fere aditus ipsi ad parandum sibi probationes, & alia subsidia ad reclamandum interclusus fuit: eumdemque perpetuo de coactione, & impedimentis hujusmodi conquestum fuisse, protestantem extrajudicialiter se non posse, nisi post illorum mortem reclamare, & nunquam professioni emissæ Religionis acquievisse, adeo ut munia, atque honores in Religione sibi oblatos, ex quorum acceptatione hujusmodi aquiescientia potuisset præsumi, semper recusaverit. Quid igitur super his positis decernendum erit, supremæ auctoritati, & sapientiæ vestræ me submitto.

Metus, qui dicitur *instantis, vel futuri periculi causa mentis trepidatio Leg. 1. ff. quid metus caus.*, duplex est, alter levis, quem vir pusillanimis concipit de levi malo, aut gravi quidem, sed remoto, & proinde nec rationabiliter, nec prudenter metuendo *Leg. Metum ff. eod. Cap. Dilectus 6. de his quæ vi met. caus. fiunt*: alter vero gravis, & instans, quem vir constans, & fortis prudenter, & rationabiliter concipit de gravi malo sibi, aut consanguineis, vel affinibus inferendo *Leg. Metus autem ff. ex quib. caus. maj.*, *Cap. Consultationi de Regular.*

Quando autem, & quid dicatur metus levis, vel potius gravis, relinquitur arbitrio judicis *Fagnan. in Cap. Consultationi num. 12. de Regular.*, *Menoch de arbitr. jud. cas. 135. num. 3.*, faciliusque metus gravis in fœmina, ob sexus imbecillitatem secus ac in masculo censetur *Cap. Locum 14. de Spons.*, *& Rot. part. 7. Rec. decis. 115. num. 12.*. Communiter tamen ad gravem metum quatuor requiruntur: primo quod malum timendum sit grave in se, & non in sola æstimatione metuentis: II. quod prudens sit, non levis, vel irrationabilis timendi ratio: III. ut metum incutiens potens sit minas exequi: IV. quod is, qui timet, non possit ullo modo minanti resistere, aut vitare malum, quod timet: Alterutra autem ex hisce conditionibus deficiente, metus dicitur levis, seu non cadens in virum constantem *Arg. Cap. Dilectus 6. de his quæ vi, met. caus. fiunt.*

Disceptatum sæpius est, an metus reverentialis erga Parentes æquivaleret metui gravi: & licet affirmativam sententiam tenuerint *Pont. lib. 4. cap. 5.*, *Diana part. 3. tract. 2. de*

de Reg. resol. 92., *Sperel. decis.* 79. *n.* 28., *& Rot. cor. Merlin. decis.* 491., contraria tamen tamquam probabilior, & communior in praxi recepta est, adeo ut solus metus reverentialis non æquivaleat metui gravi, nisi minæ præcesserint, vel verbera, aut Pater sit terribilis *Anaclet. lib.* 3. *decr. tit.* 31. *num.* 165., *Rot. coram Merlin. decis.* 590. *num.* 2., *& decis.* 770. *num.* 3., *& in Rec. part.* 3. *decis.* 105. *num.* 2., *& part.* 13. *decis.* 211. *num.* 6.

Hinc cum ad validitatem professionis requiratur libera, & spontanea voluntas, *cap.* 1. *de Regular.* = *nullus tondeatur, nisi in legitima ætate, & spontanea voluntate*: nihilque magis liberæ voluntati adversetur, quam metus gravis cadens in constantem virum, qui id efficit, ut professus *per timorem dicat, sibi placere, quod odit*, *Cap. Veniens* 15. *de Sponsal.*: ambigi ideo nequit professionem ex metu gravi emissam penitus nullam, & irritam esse *Cap. De illis* 9. *de desponsf. impub.*, *& Con. Trid. sess.* 25. *cap.* 19. *de Regular.*

Tota hinc inspectio ad probationem metus reducitur: hoc siquidem probato Sac. Congreg. restitutionem in integrum semper concessit, ut in *Ulyssiponen. Restitutionis in integrum* 13. *Januarii* 1691., *in Januen. Restitutionis in integrum* 30. *Januarii* 1694., *in Veronen. Professionis* 25. *Januarii* 1698., *in Corduben. Restitutionis in integrum* 22. *Martii* 1698., *&* 17. *Decembris* 1701., *& in Cremonen. Restitutionis in integrum* 18. *Novembris* 1713., eoque concludenter non probato constanter denegavit, ut in *Januen. Restitutionis in integrum* 29. *Julii* 1690., *in Grauden. Restitutionis in integrum* 19. *Augusti* 1690., *in Hispalen.* 23. *Septembris* 1690., *in Argentinen. Restitutionis in integrum* 13. *Februarii* 1694., *& in Januen. Restitutionis in integrum* 4. *Julii* 1739.

De ficta, ac simulata professione Nicolaus Pontifex in *cap.* 6. *dist.* 27. hæc habet: *Quod interrogasti de fœmina, quæ post obitum mariti sui sacrum velamen super caput suum imposuit, & finxit se sub eodem velamine sancti monialem esse, postea vero ad nuptias rediit, bonum mihi videtur, quia per hypocrisim Ecclesiasticam regulam conturbare voluit, & non legitime in voto suo permansit, ut pœnitentiam agat de illusione nefanda, & revertatur ad id, quod spopondit, & in sacro ministerio permaneat, quod inchoavit.*

Hæc tamen fictio, & simulatio, ut a suscepta liberet obligatione probationes exposcit claras, & concludentes, simulque exigit, ut justa, ac honesta adfuerit causa simulandi *Turrecrem. in cit. can.* 6. *dist.* 27., *Fagnan. in Cap. Si quis num.* 7. *de Regul.*, *Passerin. de stat. hom. quæst.* 189. *num.* 350., *Piton. discept. Eccles.* 110. *num.* 12., solum vero metum reverentialem causam sufficientem esse simulationis, tradit *Piton. discept.* 110. *num.* 23., *Rot. coram Molines decis.* 798. *num.* 32.

num. 32.: Hinc probata simulatione, Sacra Congregatio in una *Asten. Restitutionis in integrum* 14. *Martii* 1739. censuit, locum esse restitutioni in integrum.

Demum de tacita professione *Innoc. IV. in cap.* 1. *de Regular. in* 6. hæc habet: *Is qui Monasterium ante XIV. annum, ut Monachus efficiatur ingreditur, nisi eo completo professionem faciat in sequenti, vel habitum Religionis suscipiat, qui dari profitentibus consuevit; quod si per totum sequentem annum in Monasterio permanserit, ubi professorum, & Novitiorum sunt habitus indistincti, professionem per hoc fecisse, vel si quam prius fecerat, ratam habuisse videtur, nisi tanta indistinctio ibi habitus habeatur, quod & professi, & Novitii, ac etiam alii communem vitam cum eis ducentes simili penitus habitu inducantur.*

Hæc autem tacita professio sublata non fuit a Tridentino Concilio. Nam Sacra Congregatio censuit *cap.* 15. *sess.* 25. *de Regular. non substulisse tacitam professionem, quæ inducitur per annum, & diem computandum post* 16. *annum ejus, qui Monasterium ingressus est*, ut habetur in *dub. posit.* 142. *pagin.* 155. *ad Conc. sess.* 25. *cap.* 15., & in una *Comen.* respondit *tacitam professionem a decreto cap.* 15. *sess.* 25. *de Regular. non esse exclusam concurrentibus ad tacitam professionem de jure requisitis*: Viden *Pignatel. consult. can.* 146. *num.* 42. *tom.* 1.: Speciatim vero, an tacita professio inducatur ex susceptione sacrorum ordinum titulo Religiosæ paupertatis viden. resolutiones in *Policastren.* 17. *Augusti* 1726., *& in Nucerina, seu Fulginaten. Professionis* 2. *Junii* 1729.

Restat itaque, ut excussis Testium dictis, aliisque expensis monumentis EE.PP. ea, qua pollent, Sac. Juris peritia dijudicent.

An sit locus restitutioni in integrum in casu &c.

Non proposita cum sequenti.

Sess. 24. *cap.* 12. *de Reform.*

HORTANA ERECTIONIS CANONICATUUM. Testamentum una conscripserunt Albertus Bonanni olim Hortanæ Ecclesiæ Canonicus, Galathea ejus Soror, & Olimpia Lalli neptis, in quo sese invicem institutis, ac substitutis statuerunt, ut post obitum ultimo decedentis ex ipsorum bonis duo in dicta Hortana Ecclesia erigerentur Canonicatus, Capitulo uniendi, & commendata hujus dispositionis exequutione Episcopo pro tempore Hortano, huic etiam contulerunt arbitrium eligendi Canonicos, qui tamen Cives essent Hortani, & ex ordine Magistratus illius Civitatis.

Cum hac dispositione decessit Canonicus Bonanni; At ejus Sorori, & Nepti, priori revocato testamento, aliter de bo-

bonis suis disponere placuit. Hinc post obitum Olimpiæ postremo loco defunctæ, Episcopus Hortanus ex commixtis bonis hæreditariis segregari sategit, quæ ad Canonicum Bonanni pertinebant, deinde a Capitulo consensum requisivit erectioni novorum Canonicatuum. Congregatis vero ad id Canonicis die 20. Januarii 1767., nemo fuit, qui prædictæ erectioni sese palam opponeret: expedire tamen visum fuit, ut quatuor ex eis eligerentur, qui de conditionibus adjiciendis novis Canonicatibus convenirent.

Interea tamen nonnulli ex Canonicis, usurpato Capituli nomine, supplicem obtulerunt libellum SSmo D. N., expostulantes commutationem voluntatis Canonici Bonanni, & loco Canonicatuum erectionem duarum Capellaniarum efflagitarunt. Precibus ad Sacram Congregationem remissis, requisitum fuit votum Episcopi, eique injunctum, ut auditis interesse habentibus, trasmissaque dispositione referret. Interpellati proindè ab Episcopo fuerunt, tum Canonici Ecclesiæ Cathedralis, tum etiam municipalis Magistratus, e cujus Ordine eligi voluit Testator novos Canonicos: Verum Capitulum Cathedralis legaliter coactum reprobavit preces, ipso inconsulto, Summo Pontifici porrectas, atque erectionis negotium remisit arbitrio Episcopi, exhibitis conditionibus, quibus novi Canonici essent cooptandi, Magistratus autem ab assensu in voluntatis commutatione se præbuit alienum, imo illius exequutionem totis viribus curandam constituit. Hinc Episcopus injustos, irrationabiles, & subreptitios esse retulit paucorum Canonicorum conatus.

Ut igitur accuratiùs res hæc dirimetur, die 4. Aprilis 1767. demandatum fuit, ut causa poneretur in folio, & duo dubia in calce recensenda formiter discuterentur.

Animadvertit ad I. Promothor Fiscalis, Episcopum cum Capituli consensu legitima pollere facultate Canonicorum numerum augendi tam in Cathedrali, quam in Collegiatis Ecclesiis *Innoc. in Cap. Cum accessissent num.* 1. *de constit.*, *Fagn. in Cap. Dilecto de Præbendis num.* 16., *Corrad. in prax. benef. cap.* 3. *num.* 61., præsertim quando Ecclesiæ reditus augentur, *Cap. Dilecto* 25. *§. Præterea*, *Cap. Vacante de Præbendis*, *Fagnan. loc. citat. num.*23., immò ubi concurrit Benefactoris relictum in eam causam, ut in præsenti casu, Episcopum debere, & cogi etiam ad id posse non solum ab ipsa Ecclesia, sed a quolibet etiam de Populo *Rot. decis.* 154. *num.* 5. *cor. Lancetta*.

Addit, hæreditatem erectioni Canonicatuum destinatam non Canonicis incertis, & incognitis, sed Ecclesiæ ipsi, ejusque intuitu relictam censeri *Anchar. in Cap. Officii num.*6., *Abbas in Cap. Requisisti num.* 27.; Auctumque Canonicatuum numerum maximè conferre ad utilitatem Ecclesiæ, cujus validè interest plures habere consiliarios, Ministros,

& Defensores *Cap. Extra* 64. *distinct. Cap. Obeuntibus* 63. *dist.*, *Innoc. in cap. fin. sub num.* 1. *de Cleric. non residen.*, *Fagnan. loc. citat. num.* 24.

Nec rite opponi posse, ait, præbendarum tenuitatem ex pia hæreditate Bonanni constituendas. Constare enim asserit ex Peritorum judicio, annuos singularum reditus, facta æquali divisione, ascendere ad scuta saltem 60., proindeque uberiores iis, quos plerique Canonicorum Hortanæ Ecclesiæ ex suis præbendis percipiunt, & satis sufficientes ad novos Præbendatos congrue alendos *Fagnan. in Cap. Licet de Præben. num.* 128., *&* 129., *Pignattell. consult.* 83. *num.* 619., *& seq.*

Impedimenti nec esse, quod Canonicatus fuissent erigendi ex hæreditatibus tum Canonici Alberti Bonanni, tum etiam Galateæ Sororis, & Olimpiæ Neptis. Reponit enim, satis esse, ut piæ Defunctorum voluntates meliori, quo fieri potest, modo impleantur *Cap. Nos quidem* 3. *de Testam.*, *Clementin. quia contingit* 2. *de Relig. Dom.*, *Rot. decis.* 530. *n.* 1., *&* 15., *& decis.* 14. *num.* 15. *de Legat. cor. Falconer.*

Ad hanc autem erectionem perficiendam, subdit nihil fuisse prætermissum, quod juris ordine servandum erat; Episcopum semel, atque iterum Capitulum interpellasse, ut erectioni assentiretur. Hoc autem generatim primùm, deindè specialem assensum præbuisse: Atque in hoc abundantius, quam par esset, egisse, cum ad augendum Canonicorum numerum, Capituli consensus non ita sit necessarius, ut ab eo præscindi minimè valeat, juxta sententiam Sac. Congregationis in *Alatrina* 11. *Januarii*, *&* 8. *Februarii* 1727., *& in Sabinen. Erectionis Canonicatuum* 23. *Julii* 1729.

Ex his infert, frustra peti voluntatis commutationem. Quandoquidem pias Defunctorum voluntates accuratissimè adimplendas esse jura omnia præscribunt *Can. ultima voluntas* 13. *quæst.* 7., *Concil. Trident. sess.* 25. *cap.* 5. *de Reform.*, præsertim cum nulla adsit justa, & rationabilis causa, vel urgens necessitas ab iis recedendi *idem Concil. Trident. sess.* 22. *cap.* 6. *de Reform.*, *Barbos. ibid.*, *& de potest. Episcop. part.* 3. *alleg.* 83. *num.* 1., *Monez. de commut. volunt. cap.* 6. *n.* 86.

Causam verò in supplici libello ab iis allatam, qui Canonicatuum erectioni resistunt, hanc unam esse = *Ma siccome il Capitolo è composto di* 18. *Canonici*, *così gl'Oratori* .... *implorano la commutazione di detti due Canonicati in tante Cappellanie, li di cui Cappellani abbiano il peso d'inservire al Coro, e di alternativamente soddisfare le Messe dell'Ebdomada fuori delle Feste, a cui soccombono gl'attuali presenti Canonici* = Hujusmodi verò causam, nec utilitatem Ecclesiæ respicere, nec ullam urgentem necessitatem præseferre, ac proindè ineptam esse ad commutationem voluntatis obtinendam.

Observat præterea d. commutationi omnes dissentire, qui hac

hac in re habent interesse: Hortanum videlicet Antistitem, majorem, sanioremque Capituli partem, Hortanos denique Cives. Summum verò Pontificem nunquam hujusmodi commutationibus indulgere consuevisse, nisi consensus interesse habentium accesserit, vel nisi de irrationabili dissensu constiterit *Mart de jurisdict. part. 4. cent. 1. cas.74. num.11.*, *Silva de benef. par. 1. quæst. 6. vers. Quinto facit*, *Rot. decis.744. num.6. part 18. Recen.*

Ad II. ait perspicuam esseCanonici Bonanni voluntatem circa personas ad Canonicatus eligendas, nam Episcopum Hortanum rogavit, ut eligeret illas = *Che godono l'Officio del Magistrato della Città, e sono estratti per l'esercizio di esso. .. pregandolo in concorso di egual abilità, e idoneità avere in considerazione quelle persone, ò famiglie di Magistrato, che saranno le più povere, e di buona fama, e condizione* = Nil igitur ulterius inquirendum de præficiendis ad Canonicatus, cum præscriptus fuerit certus ordo Civium, ex quorum numero fieri debet electio.

A Canonicis, qui ementito Capituli nomine pro voluntatis commutatione preces obtulerunt, nihil hactenus habuimus, præter ea, quæ in supplici libello exposuerunt, qui EE. VV. inter jura Promothoris Fiscalis exhibebitur.

Ad incrementum numeri Canonicatuum expedit, ut Capituli consensus accedat *Felin. in Cap.Cum accessissent num. 15. de constit.*, *Fagnan. in Cap. Dilecto num. 18. de Præbendis*, *Barbos. de Canon. cap.3. num. 16.*, *de Luca de Canon., & Capit. disc.6. num.3.*, *Rota decis.720. part. 3. Recen.*, alias irrita censetur erectio, si hujusmodi consensus defuerit *Cap. Sicut 28. de elect.*, hæc mens fuit Sac. Congregationis in *Clodien.5. Julii 1608.*, in *Aquinaten.20.Februarii 1677.*, in *Sabinen. 14. Aprilis 1696.*, in *Aretina 29. Novembris 1698.*, in *Maceraten. 30. Augusti 1704.*

At si Capitulum irrationabiliter assensum denegaverit, tunc eo etiam reluctante, erectio perfici potest *Castren. cons.170. num. 2. vers. circa tertium quæsitum tom. 1.*, *Bertachin. vot. decis.192. num.3.*, *Scarfanton. in animad. ad Ceccoper. lib. 1. tit.4. num.41., & seq.*, & ita quoque censuit Sac. Congregatio in *Cæsenaten. Erectionis Archidiaconatus 6. Maij 1723.*, & in *Firmana Erectionis Canonicatus 5. Maij 1735.*

Inter cæteras verò potiores causas, ob quas Capitulum assensum suum justè denegare censetur, hæ habentur nimirùm: Tenuitas redituum pro dote assignandorum; illorum incertitudo ex timore vel evictionis, vel probabilis decrementi; qualitas conditionum, quibus lædatur interesse tum aliorum Canonicorum, tum Ecclesiæ, nimia demum Canonicorum multitudo, quæ in contemptum potius, quam in decus vergeret Ecclesiæ.

Expendendum itaque in casu, de quo agitur an rationabilis sit aliquorum dissensus; & an anteferendus sit consensui

præstito ab aliis numero pluribus Canonicis, majorem Capituli partem efformantibus, qui præterea capitulariter, & in judicio protestati sunt de nullitate eorum omnium, quæ a septem contrariis Canonicis, usurpato Capituli nomine, sine facultatibus, & opportuno mandato, in Urbe gesta fuissent.

Inutile hic est ea repetere, quæ de supremarum voluntatum commutationibus notissima sunt. De his abunde aliis in locis actum est, præsertim in *Cassanen.* 24. *Septembris* 1763., in *Vicen* 18. *Januarii*, in *Imolen.* 22. *Martii*, in *Fanen.* 15. *Decembris* 1764., in *Feretrana* 20. *Decembris* 1766., in *Eystetten.*, *seu Bambergen.* 4. *Aprilis* 1767.; Illud certum est ex Sacris Canonibus, & ex Sanctione Concilii Tridentini *sess.* 22. *cap.* 6. *de Reform.*, ad commutationem requiri *justam*, & *necessariam causam*. Necessitatis porro abest hinc indicium quodcumque. Inspectio itaque redigi posset ad utilitatem. Inquirendum proinde est, cujus utilitatem respiciat petita commutatio, num privata ea sit, vel publica, num divino cultui magis promovendo inserviat, num demum tanta existimari debeat, ut reluctantibus omnibus interesse habentibus, ac repugnante ipsa clarissima Testatoris voluntate, permitti debeat.

EE. PP. sua doctrina, & prudentia viderint, quid respondendum sit, dum quæritur.

I. *An sint erigendi Canonicatus, seu potius sit locus commutationi voluntatis pro erectione Capellaniarum in casu &c.*, & quatenus affirmativè ad primam partem.

II. *An, & quæ Familiæ ad dictos Canonicatus sint præeligendæ in casu &c.*

Die

Die Sabbathi 23. Aprilis 1768. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

QUÆ duæ ex præterita Congregatione decidendæ supersunt Causæ, judicio EE. VV. cum septem aliis sequentibus hodie subjiciuntur. Reassumpto itaque priori Folio, novoque assueta maturitate perpenso, propositis ibidem dubiis respondere exorantur.

LUCERINA RESTITUTIONIS IN INTEGRUM. *Sess. 23. cap. 18. de Regul.*
An sit locus restitutioni in integrum, in casu &c.

Iterum proponatur cum eisdem.

HORTANA ERECTIONIS CANONICATUUM. *Sess. 24. cap. 12. de Reform.*
I. *An sint erigendi Canonicatus, seu potius sit locus commutationi voluntatis pro erectione Capellaniarum, in casu &c.*, & quatenus affirmativè ad primam partem
II. *An, & quæ Familiæ ad dictos Canonicatus sint præeligendæ, in casu &c.*

Ad I. Affirmative ad primam partem, & negative ad secundam. Ad II. Ad formam dispositionis.

TUSCULANA. Cynthia Marchetti, Dominica Asciutti, Margarita Balzani, & Maria Stayner habitu Tertiariarum Carmelitarum indutæ, post derelictum anno 1762. in Suburbicario Oppido Arcis Priorum officium Magistrarum Piarum in excolendis, erudiendisque pietate, bonisque moribus ejusdem Oppidi Puellis, tria contra Promotorem Fiscalem *in Congregatione diei 20. Junii 1767.* proposuerunt Dubia. I. *An Tertiariæ Carmelitæ reintegrandæ sint ad Scholam,* *Sess. 25. cap. 15. de Reg., & Mon.*

lem, & Conservatoriam Arcis Priorum, & quatenus Negative. II. *An eisdem restituenda sint asserta bona stabilia, & mobilia, nec non assertæ expensæ factæ in Fabrica Conservatorii, in casu.* III. *An fructus locorum quatuor cum dimidio Montis S. Petri septimæ erectionis transferri debeant in Oratrices, seu potius debiti fuerint, & debeantur Domui, seu Scholæ Magistrarum Piarum Oppidi Arcis Priorum Tusculanæ Diœcesis.* Cum autem, quæ tunc Sacra Congregatio, æquitatem secuta, præscripsit, effectu vacua remanserint, renovato certamine in *Congregatione diei 30. Januarii proxime elapsi*, rescriptum fuit: Ad I. *Negative, & amplius.* Ad II. *Negative, exceptis scutis 50. jam depositis, & mobilibus, juxta liquidationem faciendam a Domino Secretario.* Ad III. *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam ad formam Rescriptorum san. mem. Benedicti XIV.* Viden. folia *diei 16. Maji anni elapsi, & 16. Januarii proxime præteriti,* in quibus latè facti species, & rationum momenta hinc inde adducta habentur.

Beneficio novæ audientiæ *ad II. & III Dub.* ipsis Mulieribus concesso, cum usque nunc siluerint, juraque sua non deduxerint, instante ideo Promotore Fiscali proponitur.

An sit standum vel recedendum a decisis quoad II. & III. Dubium, in casu &c.

Ad II. In decisis, & amplius. Ad III. In decisis, & amplius.

Sess. 24. cap. 15. de Reform.

MELEVITANA. Parochialis Ecclesia Oppidi Birchircaræ Insulæ Meliten. anno 1630. ad preces Philippi Borg tunc ejusdem Rectoris per Literas Apostolicas san. mem. Urbani VIII. erecta fuit in Collegiatam sub titulo S. Helenæ Reginæ, constitutis in ea Præposito prima Dignitate, & duodecim Canonicis, qui tenerentur *in ejusdem Canonia insimul cohabitare, in eademque Ecclesia Collegiata singulis diebus horas Canonicas tam diurnas, quam nocturnas, & unam majorem, seu Conventualem, & alteram submissa voce Missas, aliaque divina Officia solita, & consueta collegialiter recitare, decantare, & psallere, eisdemque divinis Officiis tam diurnis, quam nocturnis, & Missæ Conventuali quotidie celebrandæ interesse, aliisque eidem Ecclesiæ Collegiatæ laudabiliter deservire:* Præposito autem, & cuique ex Canonicis assignata fuit ex reditibus Ecclesiæ, & ex annuis scutis 720. Melitensibus donatis a dicto Philippo Præbendæ nomine annua summa scutorum 25. Melitensium, & titulo distributionum alia annua quantitas scutorum 30. ejusdem monetæ, *ultra alia bona, oblationes, & eleemosynas eidem Collegiatæ Ecclesiæ, seu illius Fabricæ tam per dictum Philippum, quam quosvis alios Chri-*

Christifideles jam forsan donata, relicta, & erogata, ac relinquenda, donanda, & eroganda.

Intuitu vero tantæ liberalitatis dicti Philippi, Summus Pontifex ei concessit Præposituram, ac jus nominandi pro una vice septem Presbyteros Sæculares, aliosque quinque Presbyteros actu pro totidem Canonicatibus: reservatoque jure postea nominandi favore Capituli, prælationem in assequutione Canonicatuum concessit *ipsius Philippi consanguineis tam ex paterna, quam ex materna lineis usque ad quartum gradum inclusive, si qui extiterint, illisque deficientibus, aliis de familia Borgii in d. Terra tantum oriundis, eisque non extantibus, aliis ex eadem Terra, & si in ea nulli idonei, & qualificati reperiantur, ex Insula, & Diœcesi Melitensi ex patre, & matre originariis, & ex Insula hujusmodi oriundis.*

Imminutis interea Capituli reditibus, Episcopus in Sacra Visitatione anni 1758. Præbendam cujuslibet Canonici moderatus fuit ad annua scut. 20., distributiones vero ad annua scuta 25., ac præterea duas suppressit Capellanias, aliasque expensas, & onera reduxit. Verum cum tanta adhuc sit redituum inopia, Capitulum nunc instat, ut liberetur ab onere *celebrationis*, aut *applicationis* Missæ lectæ, quæ ex lege erectionis præter Missam conventualem quotidie habenda est.

Ad I. inquit, erectionis tempore data vix fuisse tam pro præbenda, quam pro distributionibus annua scuta Melit. 50. nunc vero, imminutis reditibus, vix haberi annua scuta 45. Melit., seu scuta Rom. 20. 25. Hanc vero quantitatem longe imparem esse ad onus quotidiani servitii ferendum, & ad Canonicalem dignitatem sustentandam, immo nec ad congruam habendam alimoniam esse parem. Hinc si ob redituum tenuitatem sæpius probata fuit reductio Missæ Conventualis, quæ inter onera Canoniæ recensetur, potiori jure indulgendam modo esse exemptionem ab onere celebrationis Missæ lectæ, quæ nonnisi accessorie in erectione fuit injuncta, & cujus cessatio statum Ecclesiæ nihil immutaret *Fagnan. in cap. ex parte de constit. num. 25., & Lara de Anniv. lib. 1. cap. 15. per tot.*

Nec congruum videri, ut alia potius onera in erectione adjecta, quam onus dictæ Missæ lectæ reducantur. Advertit enim, ex reductione Servitii Ecclesiæ, aliorumque ejusdem generis onerum, nihil emolumenti in Canonicos redire, sed ipsos in primæva adhuc paupertate versaturos. Insuper Ecclesiæ statui, ac utilitati magis convenire, ut non quæ intrinseca sunt Canoniæ reducantur, sed potius quæ extrinseca ab ea habentur, ut sunt Capellaniæ, legata pia, onera Missarum, aliaque hujuscemodi. Ita etiam semper servasse Sacram Congregationem, & præsertim in *Polianen* 13. *Julii* 1630., & in *Syracusana* 28. *Januarii* 1730.

Ad

Ad II. inquit, onus celebrandi distinctum esse ab onere applicandi *Rot. coram Tanar. decis.*133. *num.*14.; injuncta ideo in erectione sola celebratione, non venire applicationem *Rot. in Hispalen. applicationis Missæ pro populo* 14. *Junii* 1751. §.11. *coram Eminentissimo Migatio*: Præsertim quia illius celebratio non in alicujus suffragium, sed tantum ad Ecclesiæ cultum, ac decus augendum præscripta fuit *Quart. de sacrif. Missæ quæst.*4. *punct.* 3. §. *Dico*, & *Rot. in dicta Hispalen. applicationis Missæ pro populo* 17. *Junii* 1765. §. 7. & 8. *coram Rmo Olivatio*.

Et revera nullibi constare, tale onus ante erectionem in Ecclesia viguisse, unde omne abesse applicationis argumentum, ut ponderat *Rot.in d.Hispalen.* §.7.& 8.*coram Rmo Olivatio*. Nullibi prӕterea Philippum Borg ejusdem suffragium injunxisse, etiamsi alia plura sibi expresse reservaverit satis æquantia exercitam liberalitatem; Omnem proinde abesse præsumptionem, quod idem Philippus sollicitus fuerit de applicatione dictæ Missæ; nam eam quoque expressisset cum aliis, si mens ejus fuisset, ut in sui suffragium celebraretur *Amostaz.de caus. piis lib.*2. *cap.*3. *num.* 19.

Episcopus Melitensis post relatam Ecclesiæ Collegiatæ erectionem, ac secutam anno 1758. reductionem, concludit, *quocirca pro decentiori Recurrrentium sustentatione, annuendum arbitror petitæ reductioni Missarum quotidie celebrandarum, relicto onere unius Missæ dumtaxat dietim canendo celebrandæ*.

Synodus Tridentina statuit = *In Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis insignibus, ubi frequentes, adeoque tenues sunt Præbendæ simul cum distributionibus quotidianis, ut sustinendo decenti Canonicorum gradui pro loci, & personarum qualitate non sufficiant, liceat Episcopis cum consensu Capituli, vel aliquot simplicia beneficia, non tamen Regularia, iis unire, vel si hac ratione eis provideri non possit, aliquibus ex eis suppressis cum patronorum consensu, si de jurepatronatus laicorum sint, quorum fructus, & proventus reliquarum præbendarum distributionibus quotidianis applicentur, eas ad pauciorem numerum reducere, ita tamen, ut tot supersint, quæ Divino cultui celebrando, ac dignitati Ecclesiæ comodè valeant respondere*, *sess.* 24. *cap.* 15. *de Reform.*

Quare S.Congregatio in una *Narnien.mensis Junii* 1586.censuit *unionem Capitulo factam juxta formam Concilii sess.* 24. *cap.* 15. *validam esse, si facta fuit antequam Beneficia vacent, nec impediri vel per vacationem in mensibus reservatis, vel per resignationem, si in resignatione non fuit nominatim facta suspensio unionis lib.* 4. *decr. fol.* 150., ac in una *Tullen.* 15. *Martii* 1622., remedium adhibuit a Concilio Tridentino suggestum,ut consuleret egestati Canonicorum *lib.*12. *decr. fol.* 97.

Verum cessante designato per Concilium remedio, ac necessitate urgente, ad alia recurrendum esse monet Benedictus XIV. in Constitutione, incipien. *Quum semper* 19.*Augu-*

gusti 175½. §. *Alii: Tridentina quidem Synodus sess. 24. cap. 15. opportunas rationes ostendit, quibus Canonicalium Præbendarum inopiæ valeat provideri: si vero designatam a Concilio viam, ut fere evenire solet, nequaquam iniri posse contingat, reliquum erit ad Congregationem Concilii recursum habere, cujus erit, perspecto ex vestris relationibus rerum statu, auctoritate Apostolica a Prædecessoribus Nostris eidem impartita, & a Nobis etiam præsentium tenore confirmata, quotidianam applicationem Missæ Conventualis pro benefactoribus in genere, ut alias, ad festos tantummodo dies reducere*, prout revera, urgente gravi inopia, reductio ad dies tantum festos concessa fuit in *Narnien.* 11. *Junii* 1712., *in Veliterna* 14. *Martii* 1722., *in Spoletana* 19. *Decemb. ejusdem anni*, *in Spalaten. applicationis Missæ Conventualis* 23. *Junii* 1729., *& in Amerina Missæ Conventualis* 18. *Sept.* 1751.

De II. Dubio latè actum est in *Tridentina applicationis Missarum* 27. *Febr. proxime elapsi*. Otii hinc plenum esset eadem nunc repetere.

Perpensa ideo redituum Canonicalium quantitate dijudicent EE. PP.

I. *An sit locus reductioni oneris Missæ lectæ in casu, & quatenus Negative*

II. *An Canonici Ecclesiæ Collegiatæ Terræ Birchircaræ teneantur applicare eamdem Missam lectam, in casu &c.*

Ad I. Negative. Ad II. Dilata, & scribatur Episcopo juxta Instructionem.

CONSTANTIEN. DISPENSATIONIS. Jacob Gerspacher Diœcesis Constantien. post initum anno 1765. Apostolica dispensatione conjugium cum Maria Vucherin in secundo gradu Consanguinea, brevi fato cessit. Continuatio contubernii, & familiaritatis Mariæ cum Joanne Michaele defuncti Viri fratre id mali secum tulit, ut iidem insano amore invicem succensi ex illicitis amplexibus prolem susceperint. Ad depellendas itaque & futuram infamiam, & sceleris pœnas, & prolis illegitimitatem, atque etiam consulendi causa propriæ conscientiæ, nunc ambo humiliter supplicant, ut circa preces Sanctissimo oblatas pro gratia dispensationis tam secundi gradus Consanguinitatis, quam publicæ honestatis ortæ ex primo conjugio Mariæ, quod ratum tantum, & non consumatum affirmant, Sacra hæc Congregatio a Sanctissimo consulta mentem aperiat eorum votis faventem. *Sess. 24. cap. 5 de Ref. Matrim.*

Ambigi non posse, inquiunt, de Summi Pontificis potestate omne tollendi impedimentum positivo Canonum jure con-

stitutum, *Cap.8. de Consang.,& Affin.*, *cap.* 24. *de sent. Excommun.in 6.*, & *Piton.discept.Eccl.*144. *num.*5.: Rem hic esse de matrimonio ineundo in Regionibus Hæresi finitimis ad arcendum scandalum, dedecus,& infamiam, ad avertendas pœnas, ad consulendum conscientiæ, & decori, ad prolem legitimandam: justas ideo concurrere causas, ex quibus Summus Pontifex prudenter arbitrium suum, & supremam interponat potestatem, atque oblatæ preces exaudiantur, *Corrad.in prax.disp.lib.*8.*Cap.*2.*num.*1.*Anaclet.in Jus Can.to.*4. *in append.de dispens.super impedim.*§.3.*num.*49.*Just.de Dispens. lib.*3. *cap.*6.*num.*22.

Nec quoad vinculum Consanguinitatis obesse Concilii Tridentini sanctionem *in sess.*24. *de reformat. Matrim.*, *quod in secundo gradu nunquam dispensetur, nisi inter magnos Principes, & ob publicam causam*. Advertunt enim, assueta Pontificum æquitate passim ab hoc juris rigore recessum esse, si præsertim actus illicitus intercesserit, si impendant scandalum, infamia, prolisque præjudicium, si alia hujuscemodi sic efflagitent, *Corrad. in Prax. dispensat. lib.*8. *cap.*2. *num.*1.; Clarissimum haberi de hoc exemplum ex dispensatione,qua primum conjugium fuit aMaria contractum cum defuncto Jacobo,licet non adeo urgentes essent causæ, quæ hoc in casu concurrunt.

Publicæ verò honestatis impedimentum, ortum ex matrimonio tantum rato, inter impedimenta minima recenseri, levioribusque ex causis facilius dissolvi,*Anaclet.in d.Appen. num.*135., *Sanchez de Matrimon. lib.*8. *disput.*18. *num.*4. Nec hæsitari posse, quin primum Mariæ conjugium cum defuncto Jacobo fuerit tantum ratum, non consumatum, quum in præsenti judicio id satis evincatur ex declarationibus Mariæ tempore non suspecto emissis, ex nunc repetita ejusdem jurata affirmatione, ex testibus, ex habituali demum defuncti Viri mala valetudine, *Can. Extraordinaria caus.*35. *quæst.*3. *cap.laudabilem de frig.& malef.*, *Ursaj.disceptat.*21.*num.*130.*part.*2.

Et præterea advertunt, quæstionem hic non esse de declaranda matrimonii nullitate, per quam alteri tollatur jus quæsitum, sed de mera gratia indulgenda ad periculum avertendum spiritualis salutis, ex qua nemini prorsus impendet damnum; hinc in qualibet affinitatis dubietate ad cautelam saltem facilius concedi debere dispensationem, *Piton.discept.Eccles.*144.*num.*24.*tom.*4. Quum præsertim accedit proclive Emi Constantiensis Episcopi judicium, & procul sit scandalum, atque periculum, quod indulgenda gratia transitura sit in exemplum.

Eminentissimus Episcopus Constantiensis hæc habet: *Equidem agnosco ipsemet, quanti propter reverentiam sanguinis intersit, ut dispensationes in gradibus usque adeo propinquis non multiplicentur; in hoc tamen obversante casu ob causas urgentissimas,* pas-

pauperibus hisce de S. M Ecclesiæ benignitate succurrendum esse arbitror ob speciales circumstantias in his partibus raro admodum occurrentes, propter quas timendum non erit, ne exemplum trahatur in præjudicium.

Advertendum tamen est, quod licet conjugium inter Jacobum, & Mariam ad aliquot menses viguerit, iidemque Conjuges conjugales actus experiri tentaverint; ipsa tamen Maria constanter juramento affirmavit, vere a Jacobo Viro cognitam non fuisse, quum ob naturalem ejus imbecillitatem par non esset ad conjugale munus implendum. Parochus autem, & cum eo tres testes juramento testantur de bona fama, & pietate Mariæ, affirmantes eidem fidem præstandam esse, sæpiusque ab eadem audivisse defuncti Viri impotentiam, ac intactum sui corporis pudorem.

Inter cætera impedimenta matrimonium dirimentia locum habent *Consanguinitas*, *affinitas*, *&* *publica honestas*. Ad *Consanguinitatem*, quod attinet, prætermissis, quæ sub Hygini, Fabiani, & Julii Romanorum Pontificum nominibus a Gratiano referuntur, decretis, *Can. si qua Mulier Caus.35.qu.1*, *Can.de propinquis ibid.qu.3.*,*&* *Can. Nullum ibid.qu.2.*, comperta res est, variam fuisse per duodecim priora sæcula Ecclesiæ disciplinam circa Consanguinitatis impedimentum, & hoc ad septimum usque gradum juxta canonicam computationem fuisse aliquando productum, *Cap.quod dilectio 3. de Consanguin.*, *&* *Affin.*

Innocentius vero III. in Lateranen. Concilio *an.* 1216. *Cap. Non debet 8. de Consang. & Affin.* probè animadvertens,quæ, & quanta ex hac impedimenti extensione usque ad septimum gradum sequerentur incommoda, decrevit, ut *prohibitio copulæ conjugalis quartum Consanguinitatis*, *&* *Affinitatis gradum non excedat*, *quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest absque gravi dispendio hujusmodi prohibitio generaliter observari*. Hoc ipsum confirmavit Tridentina Synodus *sess.24.cap.5.de Refor.Matrim.*Hunc autem quartum gradum juxta canonicam computationem sumendum esse, liquet ex Gregor.IX. *Cap.fin.de Consanguin.*

Quidquid vero sit de matrimonio in primo Consanguinitatis gradu lineæ collateralis, utrum scilicet naturali etiam jure, nedum positivo illicitum sit, de quo disputant Doctores; dubitandum sanè non est, in ulteriori gradu lineæ collateralis matrimonium *solo jure Ecclesiastico* esse vetitum *arg.Cap.Gaudemus 8.de Divortiis*, *S.Thomas 1.2.q.105.art.4.*, *Sanchez de Matrim.lib.7.disp.52.num.6.*

De impedimento etiam Affinitatis, quæ vulgo dicitur proximitas personarum ex carnali copula proveniens, omni carens parentela, varia olim fuit disciplina. Quum enim triplex distingueretur affinitatis genus, & ad septimum usque extenderetur gradum, Innocentius III. *loc. cit.* ad unum tantum genus reduxit, illudque ultra quartum gra-

dum protrahendum non esse declaravit. Verum Synodus Tridentina *Sess.24.Cap.4. de Reform. Matrimon.* licet quoad affinitatem ex copula licita, seu conjugali nihil innovaverit; affinitatis tamen impedimentum ex fornicatione contractæ, & matrimonium postea factum dirimentis *ad eos tantum, qui in primo, & secundo gradu conjunguntur*, restrinxit. *In ulterioribus vero gradibus statuit, hujusmodi affinitatem Matrimonium postea contractum non dirimere.* Idque latius declaravit S.Pius V. *in Constit. Ad Romanum Pontificem die* 18. *Novemb.*1566.

Quo vero jure, an positivo tantum, vel naturali etiam vetita sint matrimonia in primo affinitatis gradu lineæ rectæ, aut transversalis, pluries a Doctoribus disputatum est. Sed tanquam verior recepta est eorum sententia, qui pro jure tantum positivo pugnarunt, juxta illud *Deuteron.25.vers.5. Quando habitaverint Fratres simul, & unus ex eis absque liberis mortuus fuerit, Uxor defuncti non nubat alteri, sed accipiet eam frater ejus, & suscitabit semen fratris sui.* Hinc Innocentius III. *Cap.fin.de Divortiis* propter infirmitatem eorum, qui recenter conversi erant ab infidelitate ad fidem, dispensavit, ut matrimoniis cum relictis Fratrum contractis uterentur; Martinus V. an. 1418. ut Comes Tuxensis matrimonium iniret cum Fratris Vidua Filia Ducis Bavariæ; Alexander VI. ut Emmanuel Rex Portugalliæ duas Sorores acciperet; Julius II., ut Henricus VIII. Rex Anglorum duceret Catharinam Fratris sui Arcturi Viduam. Quam Julii dispensationem Clemens VII. Viris doctissimis, & omnibus fere Studiorum Academiis consultis, legitime factam fuisse declaravit in decreto, quod refert Alphonsus de Castro *lib.1.de lege pœnali cap.*12.

Publica demum *honestas* est propinquitas jure Ecclesiastico oriens ex Sponsalibus, ut ex Matrimonio rato. Hujusmodi impedimentum ad eosdem olim gradus extendebatur, ad quos impedimenta Consanguinitatis, & Affinitatis, *Can.* 11. 12. & 15. *Caus.27.qu.1.Cap.Duo pueri de desponsat. Impub.*, locumque habebat, etiamsi Sponsalia, quavis de causa, non tamen ex defectu consensus, fuissent invalida. At Concilium Trident. *sess.24.cap.3. de refor.Matrim.* rem hunc in modum immutavit: *Justitiæ publicæ honestatis impedimentum, ubi Sponsalia quacunque ratione valida non erunt, Sancta Synodus prorsus tollit; ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedat.* Hujusmodi autem decretum S. Pius V. *in cit.Constit.Ad Romanum Pontificem*, declaravit, *omnino intelligendum esse, & procedere in Sponsalibus de futuro dumtaxat, non autem in matrimonio contracto, sed in eo durare adhuc impedimentum in omnibus illis casibus, & gradibus, quibus de jure veteri ante prædictum decretum Concilii introductum erat.*

Hæc autem impedimenta quum vel a Conciliis generalibus, vel a Summis Pontificibus constituta fuerint, necessario

sequitur, ut nonnisi ex ejusdem Summi Pontificis dispensatione tolli possint, vel abrogari, *Can. Inferior dist.*21. *&* *Can. Cum Inferior* 16. *de Major. & obed.*, *& Clem. Ne Romani* §.1. *de elect.* Hinc Sac. Congregatio in una *Syracusana Dispensationis* instante Episcopo Syracusano pro resolutione Dubii: *An Episcopus in casu urgentissimæ necessitatis possit ante contractum matrimonium in impedimento publico dispensare?* Die 13. Martii 1660. respondit: *Negative*. Et successive S. Congregatio Sanctissimæ Inquisitionis ad eliminandam erroneam quorumdam opinionem autumantium, posse Episcopum in aliquibus casibus dispensare, salubriter ita edixit: *Propositio asserens, Episcopum posse dispensare in publico impedimento Matrimonii dirimente Consanguinitatis pro Matrimonio contrahendo, sive in articulo mortis, sive in alia urgentissima necessitate, in qua Contrahentes non possunt expectare dispensationem Sedis Apostolicæ, est falsa, temeraria, scandalosa, perniciosa, & seditiosa. Viden. sa. me. Bened. XIV. de Synod. Diœces. lib.*9. *cap.*2.. *Rigant. tom.*11. *Commentar. in Reg. Cancell. in notis ad Reg.*19. *num.*1. *&* 2.

Consentaneè ad hoc decretum Sac. Congregatio Concilii in una *Ægitanien Dispensationum*, in qua Episcopus parum fidens invectæ in aliqua Regni Portugalliæ parte contrariæ opinioni, quum sex proposuisset dubia: *I. An dispensationes in gradu Consanguinitatis cum copula per Consanguineos Contrahentes obtentæ, & effectum suum sortitæ, non peracta prius pænitentia in Bulla Dispensationis præscripta, fuerint valide executæ, itaut nulla nova revalidatione egeant. II. An, & quæ imposterum obtinentur, sint exequendæ, priusquam fuerit peracta dicta pænitentia. III. An Episcopus dispensare possit in foro conscientiæ tantum in impedimentis dirimentibus Matrimonium, & post ejus publicationem, & confirmationem detectis, & quatenus affirmative. IV. An possit, quando ignorantia impedimenti concurrit in uno tantum Contrahentium. V. An possit, quando ob moram habendæ dispensationis propter distantiam locorum magnum daretur periculum incontinentiæ, & scandali. VI. An possit, quando impedimentum provenit ex parte fæminæ passuræ jacturam vitæ, famæ, & scandali, si illud detegeret.* S. Congregatio die 19. Aprilis 1692. *Ad I. Distulit resolutionem, ac per Theologos, & Canonistas scribendum censuit.* Ad II. respondit *Negative*. Ad III. & IV. *Non posse secluso scandalo, de quo in V. dubio; posse autem, quatenus impedimentum non sit publice detectum*. Ad V. & VI. *Affirmative quoad forum conscientiæ tantum*.

Nihil cordi magis fuit Romanis Pontificibus per undecim priora sæcula, quam prædicta Sacrorum Canonum Statuta sedulo tueri, atque a dispensationibus concedendis super gradibus vetitis Consanguinitatis, aut Affinitatis, & publicæ honestatis se se omnino abstinere; *Canones Ecclesiasticos solvere non possumus*, egregiè scripsit Martinus I. *Epist.*9 *qui* de-

defensores, & Custodes Canonum sumus, non transgressores: Et Zacharias *Epist.1.cap.5.* inquit; *Nec enim ab Apostolica Sede illa diriguntur, quæ contraria esse Patrum, sive Canonum institutis reperiuntur*. Hinc anno 1045. denegavit Sedes Apostolica Roberto Galliarum Regi, quam petebat, dispensationem Uxorem habendi Bertam Commatrem suam, ut habetur apud Thomasinum *lib.1.Cap.6.num.8.*, *Natal. Alexand.sæc.IX.& X.pag.*834.

Post hæc tempora nonnihil remitti cæpit de hujusmodi disciplinæ, ac juris rigore. Alexander enim III. electus anno 1159. veniam fecit Joanni filio Henrici II. Angliæ Regis, ut filiam Comitis Glocestræ sanguine sibi conjunctam duceret Uxorem. Innocentius III.electus anno 1198.cum Othone IV. Imperatore, & filia Philippi ejus æmuli quarto consanguinitatis gradu conjunctis dispensavit. Ex quibus factum est, ut quæ singularibus ex causis concessæ fuerant dispensationes in exemplum adductæ plures moverint ad similes dispensationes postulandas, Summos vero Pontifices ad eas largiendas.

Quamobrem Synodus Tridentina ad instaurandam veterem Universæ Ecclesiæ disciplinam *sess.24.cap.5. de Reform. Matrim.* sic statuit: *In contrahendis Matrimoniis vel nulla omnino detur dispensatio, vel raro, idque ex causa, & gratis concedatur. In secundo gradu nunquam dispensetur, nisi inter magnos Principes, & ob publicam causam*. Quæ posteriora decreti verba *non compræhendere impedimentum publicæ honestatis, quod oritur ex matrimonio rato, non consummato*, declaravit S.Congregatio in una *Cajetana lib.12.decretorum pag.*1.

His non obstantibus Summi Pontifices etiam post Concilium Tridentinum pluries dispensarunt, præsertim in primo gradu affinitatis in linea transversali; Nam Paulus V. hanc ipsam concessit dispensationem; Urbanus VIII. tresdecim, Innocentius X. duas; Alexander VII.octo; Clem.IX.unam; Clemens X. octo; Innocentius XI. duas; Innocentius XII. duas; & Clemens XI. quamplurimas, *Rigant.ad reg.Cancell reg.49.num.*34.

Operæ pretium fuit, hæc omnia præmisisse, ut quæ ad dubii resolutionem maxime conferunt,uno veluti intuitu EE.PP. aspicerent. Illud præsertim ponderandum est, an causæ, quæ ad impetrandam dispensationem proferuntur, tales sint, ut præponi debeant indecentiæ hujusmodi conjugiorum, ex qua factum est, ut tot decretis severissime prohiberentur. Sacra porro Congregatio super his dispensationibus consulta pro allatarum causarum varietate aliquando pro dispensatione sententiam dixit: aliquando vero preces censuit rejiciendas.

In una *Hispalen Dispensationis*, in qua Aloysius Fernandez facultatem petierat nubendi Magdalenæ, quæ filia erat Sororis prædefunctæ Uxoris, licet Vir testaretur de nunquam

quam habito conjugali actu cum prædefuncta Uxore, & dictus Aloysius ex ipsa Magdalena prolem suscepisset; proposito tamen Dubio: *An, & quæ dispensatio sit concedenda Aloysio Fernandez ad effectum contrahendi Matrimonium cum Magdalena?* Responsum fuit *die* 18. *Junii* 1701. *Negative*: dataque postmodum facultate, ut idem Dubium iterum proponeretur, rescriptum fuit *die* 18. *Februarii* 1702. *Instet coram Ordinario pro declaratione nullitatis Matrimonii, & postea supplicet pro dispensatione.*

In una *Leodien dispensationis*, in qua Catharina Cloes post obitum Arnoldi Viri sui compressa a Joanne ejusdem prædefuncti Viri germano Fratre, utero gravis reddita fuerat, quum ad vitandam infamiam, & sobolem legitimandam, facultatem petiisset ineundi conjugii cum dicto Joanne; quamvis Catharina coram Parocho, & testibus jusjurandum præstitisset de inertia Viri defuncti, assereretque ratum dumtaxat fuisse prius matrimonium, non vero consummatum; proposito tamen dubio: *An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione*; S. Congregatio *die* 10. *Maii* 1755. respondit: *Negative*.

In una *Pennen Dispensationis* Floridaurus, Rosa conjuge sua, quam ob vim morbi cognoscere nequiverat, aliquot post dies defuncta, captus fuit amore Dorotheæ Sororis Rosæ; eamque ob causam universus fere populus sermones de his amoribus agitare cœperat, non sine puellæ nota. Ad hanc igitur delendam Sponsalia contraxerunt; Precibus Sanctissimo oblatis pro dispensatione ab impedimento publicæ honestatis, quod matrimonium cum Rosa initum ratum dumtaxat fuerit, non consummatum. Sed EE. PP. die secunda Augusti 1755. rescripserunt: *Coadjuventur probationes super cohabitatione nunquam habita in mariti domo*. Hinc aliis adductis testibus, præsertim Pro-Vicario Generali, cohabitationem illam negantibus, ad dubium rursus propositum: *An sit locus dispensationi Apostolicæ in casu &c.* Responsum fuit *die* 8. *Maii* 1756. *Negative*.

In una *Leodien. Dispensationis*, Joannes Henricus post Barbaræ Uxoris obitum, rem habuerat cum Maria Anna defunctæ Uxoris Sorore, quæ concepit. Quare ad infamiam evitandam, prolemque legitimandam dispensationem petiit a publicæ honestatis impedimento orto ex priori conjugio rato, & non consummato, prout jurejurando ipse affirmabat, testantibus præterea duobus Medicis, dictam Barbaram primam Uxorem hectico morbo laborasse. Quæsitum itaque fuit: *An sit consulendum Sanctissimo pro Dispensatione*; prodiitque responsum *die* 22. *Maji* 1762. *Negative*.

Demum in una *Gadicen Dispensationis*, Petrus Darrot matrimonium contraxerat cum Joanna Lenorniand, quæ mox car-

carcinomate, & phtisi absumpta aliquot post menses diem obiit. Ut novas iniret nuptias cum Clara defunctæ Uxoris Sorore supplicem libellum obtulit, in quo inter cætera jurejurando affirmabat, prima initi conjugii nocte matrimonium nisum fuisse consummare, mulieris claustrum penetrasse, sed fœdi tumoris contactu in illius pectore, & vehementi illius thussi commotum recessisse, re nondum absoluta, nec amplius copulam cum illa tentasse. Quibus, aliisque ad examen vocatis, EE. PP. responsum dederunt *die* 12. *Junii* 1762. *Attentis peculiaribus circumstantiis, consulendum esse Sanctissimo pro dispensatione super impedimento publicæ honestatis, & etiam affinitatis*. Quumque Sanctissimus Dominus Noster perspecta maxima suffragiorum scissura, rem iterum examinari jussisset, die 25. Septembris ejusdem anni ad dubium; *An sit standum, vel recedendum a decisis*, prodiit responsum: *In decisis, & amplius*.

Assueta itaque justitia, & æquitate EE. PP. dijudicabunt, quid attentis peculiaribus circumstantiis nunc concurrentibus respondendum sit dubio.

An sit consulendum SANCTISSIMO pro Dispensatione, in casu &c.

Negative.

Sess.23.cap.28. de Reform.

LEODIEN. BENEFICIORUM. Exorta quæstione, num Beneficiati Collegiatæ Ecclesiæ S. Martini Leodiensis, tenerentur personaliter residere, & per se ipsos onera suis Beneficiis inhærentia adimplere, in Congregatione diei 1. Martii 1766., proposita fuerunt duo dubia I. *An Beneficiati Ecclesiæ Collegiatæ S. Martini Leodij, nempe Hebdomadarii, Evangeliarij, & Epistolarij debeant esse constituti in respectivo Ordine Præsbyteratus, Diaconatus, & Subdiaconatus, vel in ea ætate, ut intra annum ad respectivum Ordinem promoveri possint*. II. *An prædicti Beneficiati, & Custos Chori teneantur per se ipsos sub pœna privationis implere onera cuique Beneficio adnexa*; Et ad utrumque responsum fuit = *Affirmative* =

Antequam prodiisset hæc resolutio Michael de Champs anno 1760., quo ætatem agebat annorum duodeviginti, provisus fuerat a S. Sede in dicta Collegiata de Beneficio, cui officium inest Hebdomadarii. Ad Presbyteratus Ordinem deinde promotus, die 13. Aprilis 1765., preces obtulit Capitulo, ut admitteretur ad lucrosam residentiam, & emolumentorum participationem. Non dissensit Capitulum, sed quia lis pendebat adhuc in Sacra Congregatione

ne cum Beneficiatis super personali residentia, & obligatione adimplendi onera per se ipsos, legem Provisor dedit, ut juramentum emitteret adimplendi officium hebdomadarii *per se ipsum*, *si ita decernat Sac.Congregatio EE.DD.Cardin.*: AtMichael renuit juramentum sub hac conditione præstare, cumque protestatus fuerit nullam aliam conditionem in juramento admissurum, nisi adimplendi *per se ipsum*, *vel per alium Capitulo gratum*; hinc eidem admissio negata fuit ad lucrosam residentiam.

Recursum proindè habuit Michael ad Archidiaconum de Trappè, alterum ex Exequutoribus datis anno 1760. in literis Apostolicis. Idem vero Archidiaconus, nulla præmissa monitione, nec audito Capitulo, sub pæna suspensionis ipso facto incurrendæ, eidem injunxit, ut infra sex dies dictum Michaelem ad lucrosam residentiam admitteret. Perstitit Capitulum in sua sententia illum non admittendi, nisi juramentum emitteret sub formula conditionis exhibita; & præterea Judicem de Trappè, tanquam suspectum recusavit, & non leves dedit sibi curas, ut pendente lite in Sacra Congregatione cujuscumque alterius silere deberet judicium.His tamen despectis Judex Exequutor die 7. Decembris sententiam tulit declaratoriam incursæ a Capitulo suspensionis.

Adversus hæc omnia Capitulum solemniter protestari non desiit, ac postea egit apud Eminentissimum tunc Pro-Auditorem SSmi pro purgatione attentatorum, & circumscriptione actorum coram prædicto Exequutore Apostolico gestorum. Remissa autem causa ad Sacram Congregationem, nunc, & iterato examini subjicitur jam capta resolutio, & alia tria super his, quæ interim emerserunt, addita sunt dubia in calce legenda.

Ad I. ait Capitulum, juri consonum esse quod edixit Sac. Congregatio die 1. Martij 1766., nimirum quod beneficiati teneantur personaliter residere, & per se ipsos adimplere onera suis beneficiis inhærentia. Ita quippe præcipi a *Sac. Concil. Trident. sess.* 22. *cap.*4., *& sess.* 24. *cap.*12. *de Reform.* Ita etiam in hac, de qua agitur specie, jussisse die 1. Martij 1493. Alexandrum VI.: Ita pariter statutum die 1. Maij 1600. ab Ernesto olim Episcopo Leodiensi: Ita demum ab hac Sacra Congregatione pluries definitum, prout patet ex folio hujus Causæ *diei* 1. *Februarii* 1766.. Resolutionis æquitatem agnovisse tres ex Beneficiatis, qui eidem sese submittentes, a lite recesserunt, & onera suis beneficiis adnexa *per se ipsos* adimpleturos declararunt.

Perperam verò objici ab aliis tribus Beneficiatis, ea resolutione illos tantum obligari, qui beneficia imposterum erunt consequuturi, non autem eos, qui beneficia jam obtinuerant, quique per alios onera subire consueverunt. Hanc enim consuetudinem, nec ritè introductam, nec le-

gitime servatam, non esse attendendam, cum ei adversetur dispositio Sac. Concilij, & mens S. hujus Congregationis, *Fagnan. in cap. Abbates de ætat.*, *& qualitat. num.* 10., *Barbos. de Canon.*, *& Dignit. cap.* 31. *num.* 4., *Rot. cor. Seraphin. decis.* 1256. *num.* 4.

Hinc ad II. infert, non aliam juramenti formulam servari oportere, præter eam, qua alii Beneficiati spoponderunt, adimpleturos *per se ipsos* suorum beneficiorum onera. Hanc unam conformem esse Sac. Concil. Trident., Litteris Apostolicis Alexandri VI., decreto Ernesti Episcopi Leodien., & Sac. Congregationis rescriptis: Hanc unam esse consuetam formulam, qua retroactis temporibus, & novissimè etiam Beneficiati ad juramentum fuerunt admissi: Reijciendum proindè juramentum, quod Michael de Champs præstare vellet, nempè adimplendi onera *per se ipsum*, *vel per alium Capitulo gratum*.

Nec quidquam obesse, quod anno 1739. Joannes Ægidius Lohay, annuente Capitulo, jusjurandum emiserit adimplendi Officium custodis Chori *per se ipsum*, *seu in casu legitimi impedimenti per alium idoneum*, *& capitulo gratum*. Respondet enim, aliud plane esse, ut ex aliquo legitimo impedimento, vel infirmitatis, vel absentiæ, vel alterius justæ causæ liceat alium substituere, qui onera adimpleat, quod cuilibet permissum esse sæpius declaravit, tum S. hæc Congregatio, tum alia S. Rituum, prout, refert *Barbos. de Canon.*, *& Dignit. cap.* 31. *num.* 5.; longe vero diversum, quod contendunt Beneficiati reluctantes, ipsis liberum esse, procul etiam a legitimo impedimento, alium subrogare, qui vices eorum sustineat, quod est omni jure vetitum.

Contendit ad III. Sententiam declaratoriam ab Archidiacono de Trappè latam, & acta omnia nulla fuisse: Et primò quidem ex defectu jurisdictionis ex eo prodeunte, quod exequutioni mandatis ab anno 1760. Litteris Apostolicis favore Michaelis cum plena ejus possessione, & perceptione fructuum beneficij, exequutoria in illis mandata consumpta remansit, & extincta *Cap. in litteris de Offic. deleg.*, *Ros. de exequut. Apost. part.* 1. *cap.* 9. *num.* 18.

Nec ipsam perpetuari ex clausula in Litteris Apostolicis adjecta = *inductum defendas* = Hanc enim clausulam nil aliud præseferre, quam, ut Exequutor beneficiatum in possessione tueatur per aliquod breve tempus, aut ad summum per annum *Ros. loc. citat. num.* 16., *&* 23.: cum verò Michael de Champs non solum per annum, sed a quinquennio in pacifica beneficii possessione permaneat idcirco dicta clausula resoluta remanserit. Addit insuper quæstionem novissimè agitari cæptam, non ad substantiam beneficij pertinere, aut ad exequutionem provisionis a Sede Apostolica reportatæ, sed ad præstationem dumtaxat juramenti sub una, vel

ali

alia formula emittendi, quod quidem diversum judicium respicit.

Arguit præterea jurisdictionis defectum ex eo, quod Capitulum solemniter, tanquam suspectum, recusaverit Judicem de Trappè, & pluries, protestatum fuerit de nullitate eorum, quæ ipse gessisset. Hanc autem recusationem, & sæpius repetitam protestationem nullitatis vitio infecisse quæcumque ab ipso gesta sunt *cap. Judex 5. de Offic. deleg. in 6.*, *gloss. in cap. quoniam de probat. verb. Recusationes*, *Lancellot. de attent. part. 2. cap. 6. num. 12.*, *& 13. Rot. decis. 562. num. 2. cor. Merlin.*, permissam verò esse recusationem Judicis, etiam Delegati, & Exequutoris Litterarum Apostolicarum, utpotè delegati ad certam causam, quamvis nec adducatur, nec probetur suspicionis causa, *Cap. Judex de Offic. deleg.*, *Ros. de exequut. Litter. Apost. part. 2. cap. 7. num. 72.*, *Card. de Luc. de Judic. disc. 3. num. 63.*, præsertim quando agitur de Judicibus Exequutoribus Literarum Apostolicarum in forma gratiosa, qui a Cancellaria ad petitionem, & nominationem ipsius Provisi deputantur *leg. observandum ff. de judicib.*, *Amayden. de Styl. Datar. lib. 1. cap. 4. quæst. 1. num. 36.*

Nullam quoque fuisse asserit Sententiam declaratoriam ex defectu citationis, quæ præcedere omninò debuisset *Clem. Pastoralis de re judic.*, *Ubert. de citat. cap. 15. num. 200.*, *Rot. decis. 276. num. 2.*, *& seq. cor Cavaler.*, itaut Sententia nulla ex defectu citationis, ne per commissionem quidem, aut alio modo sanari possit, *Gomez in Compend. Signat. num. 68.*, *Gonzalez ad reg. 8. Cancell. num. 151.* Satis verò constare de citationis defectu, quum ea registrata non legatur in actis coram Judice Exequutore gestis, & a Notario extractis *Ubert. cap. 13. num. 82.*, *Rot. decis. 707. num. 1. part. 3. recen.*

Præter nullitatem, sustinet Capitulum de injustitia etiam Sententiam Exequutoris redargui posse. Ideo enim, ait, ipsius Sententiæ non paruisse, quia lis in Sacra Congregatione contra omnes Beneficiatos super personali illorum residentia pendebat. Concurrente autem rationabili causa, non parendi, quantumvis colorata, vetitum a jure esse ad Sententiam declaratoriam devenire *can. nemo Episcoporum*, *& Can. nullus quæst. 3.*, *Barbos. in cap. a nobis de sent. excom.*, *Rot. cor. Molin. decis. 239 num. 3. tom. 1.* Præsertim cum Capitulum non recusaverit beneficiatum de Champs admittere, solumque judicio S. hujus Congregationis sese submiserit *Rot. cor. Coccin. decis. 1796. num. 10. tom. 4.*

Ad IV. denique constare, dicit, de attentatis, eaque esse rigorose purganda. Capitulum sæpè allegasse pendentiam litis coram Sac. Congregatione; sæpè protestatum fuisse de actorum nullitate; sæpè Judicem monuisse, ut a judicando abstineret, vel saltem Partes ad Sac. Congregationem re-

mitteret. His tamen non obstantibus, in spretum, & contemptum Sac. Congregationis, ex abrupto, nullaque præmissa declaratione, ad prolationem Sententiæ declaratoriæ processisse; ac non obstante appellatione illicò a Capitulo ad Superiores Judices interposita, dictam Sententiam ad valvas Ecclesiæ Collegiatæ affigi jussisse, cum maximo totius Civitatis scandalo, & admiratione.

Ab altera Parte, quamvis sæpius interpellata, & diu expectata, nihil adhuc habuimus. Dignentur Emi PP. folium resumere diei 1. Februarii 1766., in quo non solum causæ status, super personali Beneficiatorum residentia, & onere adimplendi officia per se ipsos accuratè recensetur, sed plura etiam pro recto ferendo judicio super propositis dubiis maximè conferunt. Perpendenda in primis sunt apertissima Sac. Concilij Tridentini verba *seff.* 22. *cap.*4. *de reform.*, Apostolicæ Literæ Alexandri VI., decretum Ernesti Episcopi Leodiensis, & S. hujus Congregationis responsa hac super re edita diebus 27. Martii 1706. & 22. Februarii 1710.

Ad rem quoque faciunt quamplures Sac. Congregationis resolutiones, & decreta, quæ sunt apud *Fagnan. cap. Ut Abbates de ætat.*, *& qualit. num.*78. *&* 80., & quæ hac super re animadvertit *Garz. de benef. par.* 3. *cap.* 2. *num.*494., *& seq.*, *& part.*7. *cap.* 1. *num.* 99., *Gallemart. loc. citat. Concil. Trid.*, ex quibus deprehenditur, eam perpetuò fuisse ejusdem Sac. Congregationis Sententiam, ut obtinentes Dignitates, Canonicatus, vel portiones, teneantur per se, & non per se substitutum obire officia suis Dignitatibus, Canonicatibus, vel portionibus inhærentia, prout sunt canere Missas, Evangelium, vel Epistolam in suis hebdomadis, vel diebus. Atque hinc sequitur, obtinentes dd. Canonicatus, sive Dignitates, & portiones in ea ætate constitutos esse debere, ut saltem infra annum Ordinem beneficio adnexum suscipere valeant.

Quin immò tam sollicita semper fuit Sacra Congregatio in cogendis Dignitatibus, Canonicis, vel Portionariis ad interessendum Ecclesiæ, & per se ipsos inserviendum, ut limites, modumque imponendum censuerit iis etiam substitutionibus, quæ rationabili aliqua de causa interdum permittuntur. Sic in *Aquilana* 12. *Decembris* 1643., *&* 2. *Decembris* 1644. *lib.*17. *decret. pag.* 265., *&* 390., postquam declaravit, concedi posse ab Episcopo facultatem, ut Canonicus choro addictus alium ex collegis suis substituere possit, & distributiones assequatur, mox superaddidit = *Ita tamen, ut hujusmodi facultate substituendi non abutatur, & Canonicus substitutus sit præsens in Cathedrali* = Viden. Benedictus XIV. in *Instit.* 107. §.4. Viden. etiam resolutiones Sac. Congregationis in *Alatrina* 24. *Martii* 1612. *tom.* 11. *decret. pag.* 112., & in *Fulginaten.* 22. *Martii* 1721. *thesaur. resol. tom.*2. *pag.*33.

No-

Notissima sunt Eminentissimis PP., quæ de solemnitatibus in ferendo judicio, & Sententia declaratoria necessariò observandis a jure traduntur. Anno 1719. in una *Lucana Præpositura* cum ageretur quæstio in Sacra Congregatione super validitate, vel nullitate Sententiæ Reverendissimæ Nuntiaturæ Florentinæ, quæ irrita asserebatur ex defectu jurisdictionis, citationis, & transportationis actorum, proposito dubio die 16. Decembris ejusdem anni = *An judicatum, & Sententia Reverendissimæ Nunciaturæ Florentinæ favore Sacerdotis Andreæ de Valentinis sustineatur in casu &c.* = rescriptum fuit = *Negative ex defectu tamen citationis, & transportationis actorum* =

Similiter ubi actum est de judiciis, aut sententiis latis pendente lite in hoc Sacro Tribunali, vel appellatione ad ipsum interposita, passim declaravit Sac. Congregatio constare de attentatis, & esse locum purgationi. Ad rem conferunt resolutiones in *Policastren.* 18. *Martii* 1747., in *Minoren.*, *seu Amalphitana Censurarum* 11. *Iulii* 1750., in *Asculana Beneplaciti Apostolici* 10. *Maii* 1755., in *Fanen. subsidiorum dotalium* 14. *Februarii* 1761.

Dubia itaque, quæ definienda proponuntur hæc sunt.

I. *An sit standum, vel recedendum a decisis sub die* 1. *Martii* 1766. *in casu &c.*

II. *An Petrus Michael de Champs Rector Beneficii sub invocatione S. Leodegarii secundæ fundationis in insigni Collegiata Ecclesia S. Martini, teneatur præstare juramentum adimplendi per se ipsum officium hebdomadarii in Casu &c.*

III. *An sustineantur censuræ suspensionis a Divinis per Archidiaconum de Trappè ass. Exequutorem Apostolicum relaxatæ, & publicatæ in casu &c.*

IV. *An constet de attentatis, & quomodo sint purganda in casu &c.*

Non proposita, cum sequentibus.

SPIREN. REÆDIFICATIONIS ECCLESIÆ. Parochialis Ecclesia Oppidi Rothenfels, Capitulo Cathedralis Spirensis olim unita, dismembrationem passa est anno 1361., quo tempore, ut Populorum commodo prospiceretur, & mala averterentur, quæ ex distantia, itinerisque difficultate eveniebant, in Parochialem erecta fuit Ecclesia, seu Capella S. Nicolai Villæ Seelbach. Cum autem nova hæc Parochialis injuria temporis ruinam minaretur, eamque Eminentissimus Episcopus Spiren. interdicto subjecisset, orta controversia est, num onus illam reædificandi Capitulo potius, vel Parochianis incumberet. *Sess.* 21. *cap.* 7. *de Reform.*

Inte-

Interea Ædiles Margravij Badensis, qui Dominus est Villæ Seelbacensis, sequestrum injecerunt super decimis a Capitulo percipiendis, & ex pecuniis inde collectis, novæ Ecclesiæ constructionem incoharunt. Confugit illicò Capitulum ad Aulam Imperialem, cui passi sequestri detulit querelam; Ædiles verò ad Sedem Apostolicam recursum habuerunt pro controversiæ definitione. Delata Causa ad Sacram Congregationem die 30. Maij 1761, jura sua deducentibus tum Capitulo Cathedralis Spirensis, tum Regimine Margravii Badensis, & Incolis Villæ Seelbacensis duo proposita ferunt dubia = I. *An, & ad quem spectet reædificatio Ecclesiæ Parochialis Oppidi Seelbacensis in casu &c.* II. *An sit locus restitutioni Decimarum, & a quo sint restituendæ in casu &c.* = & ad utrumque favorabilis Capitulo prodiit resolutio edito rescripto = Ad I. *spectare primo loco ad reditus Fabricæ, secundo loco ad Populum, tertio ad Patronum*. Ad II. *Affirmativè, & esse restituendas a Regimine Badensi* = Videndum est folium illius diei, in quo rationes a Partibus tunc deductæ recensentur.

Quamvis autem succumbentibus potestas facta fuerit de viribus captæ resolutionis disserendi, nihilominus siluerunt semper, & adhuc silent; Quare Capitulum, quod inutiliter huc usque illos excitare curavit, confidens juribus jam deductis, & in folio relatis, supplicat, ut controversiæ finis imponatur, ope definitionis Dubii, quod ita hodie proponitur.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Sess. 24. cap. 2. & 12. de Refor.

FERENTINA PRÆCEDENTIÆ. Antiquissima est de juribus præminentialibus contentio inter Capitulum Collegiatæ S. Agathæ Oppidi Proxeudi, & alterum S. Mariæ Terræ S. Laurentii, quæ loca in Diœcesi Ferentina sita sunt. Vehementius illa emersit anno 1732. occasione Synodi ab Episcopo Fabritio Borgia celebratæ; Tunc enim Capitulum Collegiatæ Proxeudi controversiam iterum excitavit. Verum intercisa in ipso litis vestibulo remansit dissentio per decretum, quo cautum fuit, ut ex loco sedendi in Synodo, vel incedendi in publica supplicatione synodo præmittenda, nemini illatum præjudicium, aut jus aliquod quæsitum censeretur.

Indictio alterius Synodi ab Episcopo facta anno 1767. fomentum præbuit, ut eadem de jure præcedendi quæstio renovaretur: Nam Canonici Collegiatæ Proxeudi, preces Sac. huic Congregationi obtulerunt declarari postulantes, sibi jus esse præcedendi Capitulis tum Collegiatæ Terræ Sancti Laurentii, tum alterius Terræ Juliani. Die 14. Februa-

bruarij ejusdem anni preces remissæ fuerunt *Episcopo pro informatione*, *&* *voto*, cui injunctum etiam fuit, ut non retardata Synodi convocatione, & celebratione, omnes interesse habentes audiret, eisque terminum præfigeret ad deducendum jura sua in Sac. Congregatione. Quare præservatis juribus Partium consimili decreto, quo res repressa fuerat anno 1732., Synodus quiete summa, & Sacerdotum frequentia habita fuit, & absoluta.

Quamvis autem Capitulum Collegiatæ Proxeudi nullam aliam sollicitudinem deinde ostenderit, ut quæstio definiretur de jure præcedendi, ad præcludendum tamen aditum contentionibus, quæ deinceps iterum exoriri possent, Capitulum Collegiatæ S. Laurentii discutiendum exhibet dubium in calce transcribendum.

Qui jura tuetur ejusdem Collegiatæ S. Laurentii, argumentum debitæ sibi præeminentiæ primo loco petit ab Episcopi Ferentini judicio, cui plurimum deferendum esse tradit *Sperell. dec.* 179. *num.*6., *Rot. coram Ansald. tom.* 1. *dec.* 25. *num.*6., *&* *decis.* 694. *tom.*3. *part.*1. *num.*25. *cor. Molin.*, præsertim quia Episcopi Sententia innititur tum dispositioni juris, tum probatissimis monumentis.

Quo ad juris dispositionem animadvertit, ipsam Collegiatis cæteris, cum quibus lis agitur esse antiquiorem; proindeque decere, ut illis præcedat, ad *text. in Can. Statuimus*, ubi *gloss. in verb. Novi dist.* 61., *&* *in Can. Episcopus dist.* 17. *cap.* 1, *de Major. & Obedient.*, *Pignatell.*, *consult.* 21. *num.*20. *tom.*6., *&* *consult.* 172. *num.*10. *Rot. cor. Seraphin. decis.* 326. *num.*3., *&* *in Andrien. Præeminentiarum* 17. *Februarii* 1710. §. *compertum coram Aldrovando.* Hanc verò antiquioritatem, deficiente fundationis, seu erectionis instrumento, probari etiam *peræquipollens*, seu ex aliis conjecturis, adminiculis, & documentis Collegiatæ præexistentiam indicantibus, *Ostien. in cap. nobis num.*1. *de Jurepatr.*, *Barbos. in jus Eccles. tom.*2. *cap.*6. *num.*5., *Piton. discept. Eccles.* 116. *num.*4. Et hanc probationem admitti etiamsì contentio sit de præcedentia cum alia Collegiata, quæ de sua fundatione, & erectione doceret per Bullam Pontificiam, quæ tamen posterior esse comperiretur *Piton. loc. citat. num.*5., *S. Rituum Congregatio in Caputaquen.* 16. *Januarii* 1620., *&* *in Januen. Præcedentiæ* 19. *Julii* 1710.

Constare autem ex firmissimis monumentis, in Oppido S. Laurentij Collegiatam præextitisse longe ante annum 1564., idque deprehendi ex Bulla Indulgentiarum *sub datum Romæ* 28. *Januarii* 1482., in qua Ecclesia S. Mariæ ejusdem Oppidi *Collegiata* appellatur: Insuper ex publico quodam Instrumento possessionis Canonicatus anno 1530. exarato, in quo exprimitur convocatum tunc fuisse consilium Canonicorum dictæ Ecclesiæ ad sonum Campanulæ, dataque sede, & loco in Choro, novum Canonicum fuisse inter cæ-

teros

teros cooptatum: Præterea ex Bulla institutionis Canonicatus sequenti anno 1521. concessæ, in qua eadem omnia continentur: Ac demum ex Inventario die 23. Maij 1564. ad instantiam *Archipresbyteri*, *&* *Canonicorum* dictæ Ecclesiæ jussu Episcopi Ferentini exarato.

Constare etiam asserit, jus præcedentiæ retroactis temporibus Collegiatæ S. Laurentij fuisse tributum. Anno 1618. formiter examinatos fuisse Joannem Leonini annorum 87., & Joannem Antonium Masi annorum 50. Cathedralis Ecclesiæ olim Canonicos, eosque tam de propria scientia, quam de auditu disertis verbis deposuisse, Presbyteros Ecclesiæ S. Laurentii, semper habitos, & nuncupatos fuisse Canonicos, atque in anteactis Synodis post Clerum Cathedralis omnibus de reliquo Clero præcessisse.

Horum verò è conspectu, nihil obesse dicit documentum, quod a Canonicis Collegiatæ Proxeudi exhibetur ad probandum, Ecclesiam S. Agathæ in Collegiatam, usque ab anno 1564. fuisse erectam. Observat enim in hoc monumento ne verbum quidem fieri de erectione in Collegiatam, sed de unione tantum plurium beneficiorum. Additque nullam huic documento præstandam esse fidem, cum integer literarum tenor non fuerit transcriptus *Rot. cor. Molin' decis.* 1038. *num.*59. *tom.*4.

Perperam etiam proferri præstantiora Insignia, quibus Archipresbyter, & Canonici anno 1764. donati fuerunt. Animadvertit enim iisdem fere insignibus usque ab anno 1759. Capitulum Collegiatæ S. Laurentii fuisse decoratum: Ac præterea sustinet ejusmodi honoris insignia nullam denotare præeminentiam, neque alterius juribus præjudicium inferre, prout definivit S. Rituum Congregatio apud *Ursay part.*1. *discept.* 6.; *Benedict. XIV. de Synod. Diœces. lib.*3. *cap.*10. *num.* 7. *Rot. cor. Ansald. tom.*1. *decis.* 25. *num.*2.

A Canonicis Collegiatæ Proxeudi nihil aliud habuimus, præter ea, quæ in supplici libello exposuerunt, in quo tum ex erectionis documento, tum ex insigniis a Sede Apostolica obtentis jus præcedendi desumere conati sunt.

Collegialitas Ecclesiæ cum sit qualitas accidentalis, præsumi non debet, sed concludenter probari *Card. de Luc. de Benef. disc.* 14. *num.*7. *Rot. decis.* 47. *par.* 10. *Recen.*: sunt autem duo potissimum probationum genera ad evincendam alicujus Ecclesiæ collegialitatem: Primum, est, quod ex legitimo fundationis Instrumento petitur *Abbas in cap. nobis num.*7. *de Jurepatr'*, *Innoc. in cap. Postulasti num.* 1. *eod. tit.*, *Mascard. de probat. conclus.* 584. *num.*1.; alterum quod ex signis, & conjecturis elicitur *Lotter. de re benef. quæst.*14. *n.*54., *Barbos. de jur. Eccles. lib.*2. *cap.*6. *num.*5., *Card. de Luc. de præeminent. disc.* 8, *&* 51., *Rot. decis.* 215. *num.*1. *cor. Mantic.*, *&* *decis.* 234. *num.*2. *part.* 16. *Recen.*

Ad concludendam vero probationem Collegialitatis ex signis,

signis, & conjecturis, distinguenda sunt signa æquivoca ab univocis, & diligenter separanda, quæ pertinent ad Collegialitatem de materiali ab iis, quæ de formali se habent. Utraque latè explicat *Card. Petra in comment. ad constit. 7. Innocent. IV. sect. 2. num. 19., & seq. tom. 3.*, *Ferrar. in Bibliothec. jur. can. verb. Collegiata num. 32., & seq.*

Cæterum animadverti debet, quod alia requiritur Collegialitatis probatio, ubi quæstio sit circa præeminentias; alia verò si agatur de sustinenda provisione Apostolica tanquam de reservato. Siquidem in primo casu necessaria non est adeo rigorosa probatio, quemadmodum in secundo desideratur, *Scarfant. ad Ceccoper. part. 3. addit. 27. num. 44. Rot. in Thelesina Collegiatæ 4. Junii 1736. cor. Eminentissimo Crescentio.*

In præsenti casu ad effectum tantum præeminentiæ quæstio instituitur. Inquirendum est itaque, an quæ afferuntur probationes pro Ecclesia Oppidi S. Laurentij, ejusmodi sint, ut eam collegiatam fuisse evincant ante annum 1564., ac proindè ante Ecclesiam Proxeudi.

Episcopus Ferentinus in sua informatione Ecclesiæ Collegiatæ S. Laurentij omninò favet. Testatur vidisse, ac benè perpendisse antiquissima documenta, ex quibus *non obscura signa, conjecturæ satis urgentes, & perspicuæ enunciativæ eruuntur, quæ dictæ Ecclesiæ Collegialitatem indicare videntur*. Hinc ita concludit = *Ex supra allegatis illi: S. Laurentii primum post Capitulum Cathedralis deberi locum censerem in Synodalibus actibus, alteris vero Proxeudi secundum* =

Ad EE. PP. modo spectat decernere.

An, & cui debeatur præcedentia tam in sedendo, quam in incedendo in Synodo Diæcesana, aliijque Functionibus Ecclesiasticis in casu &c.

MACERATEN. Delatis a Philippo Romagnoli Præposito Ecclesiæ Collegiatæ S. Blasii Montis Milonis querelis, quod Capitulum injustè ipsum mulctasset in sc. 84.72.2. pro tot fallentiis ab interessentia Chori, dum Sacras exceperit confessiones ab anno 1750. ad annum 1761., in Congregatione diei 14. Februarii anni proxime elapsi duo Dubia data sunt I. *An Præpositus Ecclesiæ Collegiatæ S. Blasii Terræ Montis Milonis sit punctandus, dum audit confessiones in dicta Ecclesia.* II. *An sit servanda taxa punctaturarum, seu potius reformanda, & quomodo*; rescriptumque fuit *Ad* I. *Negative pro tempore, quo audit confessiones*. *Ad* II. *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, & fiat taxa approbanda ab Episcopo ad formam Concilii, & Bullæ erectionis.* *Sess. 24. cap. 12. de Reform.*

Contra hæc modo Capitulum insurgit, & ad I. inquit, Benedictum XIV. in erectione Collegiatæ sequuta anno 1759. præcipue ad Chori servitium respexisse: ob id tum distributionum ratam etiam quoad Præpositum, tum earum amissionem ob absentiam, præscripsisse excepta causa infirmitatis, vel legitimi impedimenti: huic proinde Præpositum quoque subesse legi, ipsumque Choro non intercessentem, etiam dum excipit Sacramentales confessiones, obnoxium esse punctaturis.

Nec jure a Choro abesse posse ob onus audiendi confessiones in erectione Præposito injunctum: Advertit enim Præpositum fuisse quoque in Chori Præfectum deputatum: inverosimile ideo esse, quod ipsi data tacite fuerit facultas ab illo abessendi causa excipiendi confessiones: & revera Summum Pontificem expresse dedisse exemptionem eis, quibus voluit, nimirum Canonico, & Beneficiato Curato; alios tamen quatuor Canonicos tametsi ex erectione idem onus habentes excipiendi confessiones, punctaturis, dum eas excipiunt, subesse; ipsumque Præpositum in visitatione anni 1760. libenter se promptum declarasse ad fallentias solvendas.

Suadere hoc ipsum ex una parte defectum necessitatis, quod Præpositus confessiones excipiat tempore divinorum Officiorum, cum septem extent confessarii quibus satis Populo consultum est; ex altera parte id suadere urgens Ecclesiæ, & Chori servitium; quia in Capitulo constituto ex octo Canonicis, & tribus Beneficiatis, si a servitio Chori eximantur Præpositus, aliique quatuor Canonici idem onus excipiendi confessiones habentes, cum altero Canonico, & Beneficiato curam animarum exercentibus, Choralia Officia penitus negligerentur, in Festis præsertim solemnibus, in quibus magnus solet esse Populi concursus ad Sacramentum Pœnitentiæ.

Ad II. inquit, die 8. Junii 1752. duos ad efformandam taxam electos fuisse a Capitulo deputatos: hos juxta legem erectionis eam perfecisse, eamque a nemine hactenus fuisse controversam: Imo semper inviolabiliter servatam, & ab Episcopo in Sacra visitatione anni 1760. approbatam: perperam idcirco, veluti recenter factam declamari, vel de nullitate redargui.

Nec nullitatis vitio affici ob non habitam rationem emolumentorum Parochialium, cum hæc inter Beneficii fructus non recenseantur, nec in taxa distributionum sint computanda: Eo minus dici posse nullam ob non detracta onera Cathedratici, collectarum, aliorumque, cum Præpositus integra scuta 100. ab omni onere exempta ex lege erectionis consequi debeat. Nec demum posse rectè redargui ob præscriptam æqualem fallentiarum divisionem inter omnes præsentes, cum Benedictina erectio æqualem inter

omnes

omnes illarum divisionem præscribat, non pro ratione ejus, quod quisque percipit ex reditibus Ecclesiæ.

Contra Præpositus eadem repetit, quæ in anteacto suo libello dixerat. Viden. folium *diei* 20. *Decembris* 1766., quo ejusdem rationum momenta late expenduntur.

Concilium Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 12. *de Ref.* statuit = *Distributiones vero, qui statis horis interfuerint recipiant, reliqui quavis collusione, aut remissione exclusa his careant*: spreta penitus qualibet contraria consuetudine, ut edixit Sac. Congregatio *die* 24. *April.* 1593. Episcopo Ruben = *Caveat*, *ut distributiones non dentur*, *nisi actu inservientibus*, *non obstante quacumque consuetudine etiam immemorabili*, ut in *lib.* 2. *litt. Episc. lim. visit. pag.* 13.

Disceptatum sæpius est, an Canonici Choro non interessentes, ut aliqua munera, vel Ecclesiastica Officia exerceant, distributiones lucrentur. Communiter autem recepta est distinctio hæc; Aut eadem munera mere gratuita sunt, & immediate respiciunt utilitatem, & decus Ecclesiæ, cui inserviunt, & tunc ex hac causa absentes lucrantur distributiones: Hinc Sacra Congregatio in una *S. Severini* 15. *Novembris* 1659. proposito: *An Canonicus sit punctandus ob ejus a Choro absentiam*, *vel potius interessentia in organis pro servitio Ecclesiæ sit reputanda ad effectum percipiendi distributiones*; censuit *gaudere*, *si stipendium pro musica non recipiat. lib.* 21. *decr. pag.* 802. Et in *Adiacen.* 11. *Julii* 1671. proposito Dub. IV. *An Canonicus, qui solus in arte per totam Diœcesim in Cathedrali tempore solemnium officiorum organum pulsat.*, *& aliquando etiam psalmos cantat alternatim cum aliis Canonicis existen. in Choro*, *punctaturis subjaceat*, *ac si non intersit*: respondit *Negative*, *dummodo non habeat salarium*, *lib.* 27. *decr. pag.* 144.

Vel non respiciunt immediate Ecclesiæ servitium, & tunc si ea onera voluntaria sunt, nullæ distributiones debentur, ut censuit Sacra Congregatio de Canonico Concionatore in *Adjacen. punctorum* 10. *Septembris* 1678.; de inquisitore S. Officii in *Civitaten.* 21. *April.* 1591., *& in Calaritana* 1. *Martii ejusdem anni lib.* 5. *decret. pag.* 39., de publico Lectore Theologiæ, & juris Canonici in universitate *Segnien.* 28. *Aprilis* 1592. *lib.* 7. *decret. pag.* 41. *Bononien.* 1597. *lib.* 9. *Decret. pag.* 6.: de voluntarie coadjuvante Archipresbyterum in cura animarum *Firmana* 6. *Febr.* 1639. *dec.* 16. *pag.* 153., & de celebrantibus Missam tempore Divinorum Officiorum etiam in Capellis, quas habent in titulum *Mediolanen. decret.* 1. *pag.* 50., *Ortonen.* 27. *Febr.* 1706., *& in Salernitana decretorum* 1. *Sept.* 1732. *ad X.*, *& XI. Dub.*

Si vero necessaria sunt ex lege fundationis, vel ex mandato Episcopi, & tunc distributiones debentur: ut de Canonico Curato, dum curæ animarum inservit, censuit Sac. Congregatio in *Tridentina fructuum* 3. *Febr.* 1725., de Canonico Pænitentiario Sacras Confessiones excipiente tempore divi-

divinorum Officiorum in *Viterbien.* 15. *Martii* 1631., *lib. decr.* 14. *pag.* 407., & de coadjuvante Parochum de mandato Episcopi in *Mediolanen. ad cap.* 3. *Sess.*22. *de ref. posit.* 41.

Speciatim vero de Canonicis Sacras Confessiones tempore Divinorum Officiorum excipientibus, Sacra Congregatio in una *Neritonen.* 27. *Junii* 1624. proposito: *An Canonici, quibus non incumbit, uti Canonicis, onus audiendi confessiones, si pro iis audiendis absint a chori servitio lucrentur distributiones quotidianas*, respondit *non lucrari*.

In una *Lucana* 3. *Martii* 1635. censuit *Oratori ita in locum Pœnitentiarii ad audiendas confessiones ex neccessitate, & legitima causa ab Episcopo deputato, dum tempore deputationis confessiones actu audit, deberi distributiones quotidianas, non secus ac si divinis in Choro interesset lib. dec.*15. *pag.* 175.

In una *Suessana* 13. *Septembris* 1636. *benigne annuit, ut Orator pro tempore, quo confessiones in Ecclesia Cathedrali audit, si & quatenus consensus* Capituli *accedat distributiones quotidianas percipere possit lib. decret.* 15. *pag.* 401.

In una *Taurinen.* 4. *April.* 1637. respondit *ex statuto Capituli non posse Canonicos, dum confessiones audiunt, distributiones quotidianas percipere, sed injungendum Archiepiscopo, ut loco Pœnitentiarii per eum deputandi in prima vacatione* Canonicatus *ad illius Collationem spectantis, Canonicum idoneum sibi benevisum deputet, ut interim loco dicti Pœnitentiarii confessiones audiat, & distributiones, prout Pœnitentiarius, percipere valeat, ita tamen ut cesset hujusmodi facultas eo ipso, quo dicta vacatio evenerit lib. decr.* 15. *pag.* 514.

Et in una *Nullius Putignani* 6. *Maii* 1741. disceptato *An Abbas possit expunctare absentes Sacerdotes illos, qui tempore divinorum officiorum vel confessionali assistunt, vel pulsant Organum*, respondit *Pulsantes Organum absque stipendio, & audientes confessiones ex deputatione non amittere distributiones*.

Dignentur EE. PP. decernere.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Die Sabbathi 14. Maji 1768. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

DIgnentur EE.PP. resumere Folium postremæ Congregationis, ubi descriptas invenient quatuor Causas, quæ priores in hodierno Folio recensentur. De his itaque, aliisque ex ordine postea relatis, placeat, quid juris dijudicandum sit, ea qua pollent doctrina, definire.

LEODIEN. BENEFICIORUM. *Sess.23. cap.28. de Reform.*

I. *An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 1. Martii 1766. in casu &c.*

II. *An Petrus Michael de Champs Rector Beneficii sub invocatione S.Leodegarii secundæ fundationis in insigni Collegiata Ecclesia S. Martini, teneatur præstare juramentum adimplendi per se ipsum officium Hebdomadarii in casu &c.*

III. *An sustineantur censuræ suspensionis a Divinis per Archidiaconum de Trappè ass. Exequutorem Apostolicum relaxatæ, & publicatæ in casu &c.*

IV. *An constet de attentatis, & quomodo sint purganda in casu &c.*

Ad I. In decisis, & amplius. Ad II. Affirmativè, & amplius. Ad III. Negativè, & amplius. Ad IV. Affirmativè, & amplius, & esse purganda per viam rigorosam.

SPIREN. REÆDIFICATIONIS ECCLESIÆ. *Sess 21. c[illegible] de Reform.*

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Dilata, & proponatur omnino in mense Augusti etiam unica.

Sess.24.cap.12. de Reform.

FERENTINA PRÆCEDENTIÆ.

An, & cui debeatur Praecedentia tam in sedendo, quam in incedendo in Synodo Diœcesana, aliisque Functionibus Ecclesiasticis in casu &c.

Deberi Collegiatæ S. Laurentii.

Sess.24. cap.2. &12.de Reform.

MACERATEN.

An sit standum, vel recedendum a decisis, in casu &c.

In decisis, & amplius.

Sess.25. cap.5. de Reform.

GERUNDEN. CENSUS. In Tarraconensi Provincia immemorabilis viget consuetudo, Provincialibus etiam Constitutionibus comprobata, qua ex Ordinarii facultate, & decreto quis potest Ecclesiastica quædam Beneficia sub nomine Personatus erigere, & dotare, ea lege, ut sibi, & duobus ejus immediatis Successoribus liceat eadem Beneficia extinguere, & bona jam illis addicta in aliud transferre Opus pium, quod in Instrumento illorum erectionis, & dotationis sibi specialiter præservaverit, quemadmodum testatur *Romaguer.ad Constit.Syn.Gerunden.lib.3.tit.4.,Rigant. ad reg.4.Cancell.§.2.num.22.*

Servato hujus consuetudinis ritu, Sacerdos Pontius Marti unum Personale Beneficium fundavit, dotavitque, assignato in ejus dotem, præter cætera bona, quodam censu in sorte librarum 600. olim creato a Francisco Marti ejus fratre cum fidejussione Josephi Valldejuli. Anno autem 1708. hunc Personatum extinguere statuit, ejusque bona addicere alteri pio Operi in illius fundatione reservato, pro maritandis nimirum puellis, & erudiendis pueris in litteris; in ejus Testamento mandans, ut nova hæc erectio differretur ad tempus, quo ex fructibus suæ hæreditatis extingueretur dictus census, cujus pecunias asseruit in sui commodum versas fuisse.

At sicuti orta fuit dubitatio, an ea extinctio fieri posset ex fructibus bonorum jam Deo dicatorum; ita post obitum Testatoris facta quidem fuit nova pii Operis erectio, sed census non fuit extinctus. Et quum imposterum a nemine penderentur ejus fructus; hinc Curia Ecclesiastica

ctica Gerunden. anno 1741. ad solutionem condemnavit hæredes principalis Debitoris, & Fidejussoris. Anno tandem 1757. Franciscus Valldejuli Josephi fidejussoris filius, & hæres monitorium in eadem Curia Ecclesiastica expedivit, quo declarari postulavit, censum ad formam testamenti Pontii Marti extinctum remansisse. Illo autem, dum lis penderet, defuncto, Josepha de la Torre ejus Vidua preces Sanctissimo Domino Nostro porrexit, ut dignaretur *dispensare in quocumque jure, dispositione, aut Constitutione Canonica supradictam testamentariam dispositionem impedientibus, ut in praxim juxta ipsius Fundatoris mentem reduci possit, & consequi refectionem damnorum illatorum bonis, & hæredibus principalis debitoris, ejusque fidejussoribus*.

Remissis precibus Sacræ Congregationi, auditoque de more Episcopo, locus factus est disputationi dubiorum, quæ infra referuntur.

Quoad I. Causæ piæ Administrator ait, pro valida census erectione militare juris præsumptionem, *Rot.dec.355. n.1. coram Ludovis., & decis.357. num.3. coram Cerro*; ejusque esse alterius partis probare nullitatem, & quidem plenè, & concludenter; nam si hæc ambigua sit, pro validitate, cui suffragatur juris præsumptio, est respondendum, *Rot. dec.219.num.1.part.2.Recent.*

A longe vero hic abesse nullitatis probationem, quia præsumptioni hic additur longæva, & continuata fructuum solutio ab anno 1704. ad annum usque 1733. sine ulla querela a debitoribus peracta, quæ ad validitatem comprobandam sufficeret, etiamsi per sexdecim tantum annos facta fuisset, *Rot. dec.16.num.16. de Censib. coram Falconer.*, Accedere hic præterea rem anno 1741. judicatam, qua hæredes principalis debitoris, & fidejussoris condemnati fuerunt ad solvendos fructus dicti census ab anno 1733. usque tunc decursos, nec non *pensiones a cætero decurrendas unacum expensis*, sin minus ad dimittenda bona ab ipsis possessa; proindeque nefas esse adversus rem semel judicatam insurgere, *Rot.dec.918.num.51., & dec.1008. n.4. cor.Molin., & in Interamnen. Salviani 1. Decemb. 1758. coram Emo Elephantutio*.

Ad II. animadvertit, prædictum censum fuisse prius a Sacerdote Pontio Marti una cum aliis bonis assignatum pro dote Beneficii Personalis; deindeque pro fundatione Operum piorum; unde concludit, illius fructus una cum sorte principali effectos fuisse reditus spirituales, & pios, *Navar.consil.8. de Jurepatron.litt.D., & num.3., P.Muniessa in Dissertat. de Personat.Cathalon. in Append. Oper.Moral. sect.2. n.2.* Nec idcirco erogari posse, nisi in Causam piam, in Instrumento erectionis Beneficii præservatam, quæ, sequuta ejusdem Beneficii extinctione, jure quodam proprio in bonis assignatis succedit, *Romaguer.ad Constit.Syn.Gerunden. lib.3. tit.4. cap.1.*

cap.1. num.3., *Rot. decis.379. num.6. & 13. part.5. Recentior.*: Extinctionem vero census nec inter Causas pias recenseri; nec in fundatione Beneficii fuisse præservatam.

Nilque obesse, ait, quod Pontius Marti in suo testamento census redemptionem imperaverit. Observat enim insubsistentem omnino, atque irritam fuisse hujusmodi dispositionem; Idque ex eo deprehendi, quod præfatus Pontius nequaquam ex suis bonis causam piam dotavit, sed ex bonis Beneficiorum Personalium, quæ obtinebat, quæque, utpote Ecclesiastica, de sui natura, & juxta Constitutiones Provinciales Tarraconenses converti tantummodo poterant in causas pias in illorum erectione præfinitas. Subdit insuper, eumdem Pontium in erectione, & dotatione beneficii ab ipso erecti, ne verbum quidem fecisse de extinctione census cum fructibus piorum operum explenda, prout eam demandare potuisset, quoties Episcopi auctoritas, & decretum intercesserat.

Denique animadvertit, census creationem a Francisco Marti peractam cum fidejussione Josephi Valldejuli haberi ex publico, solemnique instrumento. De hoc autem rationem potius habendam, quam de simplici, & suspecta Pontii assertione, qua declarare præsumpsit, Franciscum debitorem, & Josephum fidejussorem nullam ex hujusmodi censu utilitatem percepisse *l.hæredes palam §.1.ff.de testam.*, *Cyriac. controv.210.num.29.*

Contra verò Pars altera contendit ad I., pecunias censuales Emptori numeratas, in ipso stipulationis actu fuisse ab eo immediatè restitutas. Hinc apertè intelligi numerationem simulatam fuisse *Leg.qui sic solvit 56. ff. de solut.*, *& leg. Fratre num.6.ad 8. ff.de condict. indebit.* Maximi verò hac super re faciendam esse declarationem a Pontio emissam, tum quia continet ipsius confitentis præjudicium *Angel. de confess.lib.1.quæst.1.num.16.*, *Rot.dec.236. coram Cels.*, tum quia facta legitur ad propriæ conscientiæ exonerationem, & in supremo elogio, *Rot.dec.90.num.16.part.8.*, *dec.63.num.10. part.11.*, *decis.465.num.34. part. 19. tom.2. Recent.*, tum demum quia res est cum Exequutoribus ab ipso Pontio designatis, quibus fas non est confessioni a Testatore factæ contradicere, cum præsertim facta appareat in eo Testamento, in quo concredita ipsis fuit hæreditatis administratio *Covarruv. lib. 2. cap. 18. num. 10.*, *Rot. coram Gregor. decis.179. num.3.*

Addit, dictum censum fuisse creatum contra formam substantialem Pianæ Constitutionis præscribentis realem pecuniæ numerationem, itaut pretium a dominio Emptoris abductum efficiatur ipsius Venditoris *Leonell.ad d.Bullam glos.6. in fin.*, *Cenc. de censib. quæst.49. num.13.*, *& quæst.50.num.6.*, *Rot.in Recent. dec.430. num.primo part.19.tom.2.*. Hinc dubitari non posse, quin dictus census tanquam vitiosus, & nullus

lus haberi debeat; maximè cum in fine Bullæ decretum irritans sit adjectum. Atque hinc nec dubitari posse de nullitate fidejussionis, quæ irrito contractui accessit, præsertim ex defectu formæ substantialis: hac enim concurrente nullitate, juramenti vinculum firmare nec potuit accessoriam fidejussoris obligationem *Leg. Fidejussor §. fin. ff. de fidejuss.*, *Cephal. consil. 438. num. 28. & 32.*, *Cenc. de censib. quæst. 59. num. 2.* Atque idcirco jus esse tam Venditori, quam Fidejussori repetendi fructus metu mandati indebitè solutos, *idem Cenc. de censib. quæst. 88. num. 1. 4. 5. & 9.*, *Rota in Recent. decis. 99. num. primo, & seq. part. 6.*, *& in Faventina pecuniaria 3. Januar. 1764. §. 5. cor. Olivatio*.

Ad II. Inquit, Pontium in suo testamento redemptionem census demandasse, & modum pro illius redemptione præscripsisse. Voluntatem proinde Testatoris esse religiosè custodiendam, nec ullum hæredi relinqui arbitrium ab ea recedendi *L. cum a Matre Cod. de rei vindic.*, *Menoch. cons. 89. num. 128.*, *Rot. coram Merlin. dec. 721.*, *& cor. Cavaler. dec. 189. num 2. & seq.*

Perperam vero excipi, Pontium Marti nonnisi ex bonis, ac reditibus Personalis Beneficii causam piam dotasse, eademque bona reddidisse Ecclesiastica, ac proinde non in usus prophanos, prout esset census redemptio, sed in causam tantummodo piam erogari posse. Respondet enim, hanc exceptionem concludenter, ut par esset, nullimode probari, nisi exhibeatur inventarium bonorum a Testatore relictorum, ut indè dignoscatur, an alia bona, præter illa Beneficii, in ejus hæreditate extiterint *L. fin. §. Licentia Cod. de jur. deliber.*, *Rot. dec. 246. num. 3. & seq. cor. Cavaler.*, & nisi proferatur etiam Beneficii Personalis fundatio, cum non una, eademque sit omnium hujusmodi Beneficiorum natura, sed plures ex iis recenseantur, de quorum dotibus licet aliqua ex parte disponere *Piton. discept. Eccles. 29. num. 8.*. Compertum id satis esse in ipsa Tarraconensi Provincia, ubi pro Diœcesum varietate diversimodè personalia Beneficia institui solent, & ex his nonnulla reperiri, quæ potius piæ fundationes, quam Ecclesiastica Beneficia appellari possunt, *Rigant. ad reg. Cancell. par. 1. reg. 9. §. 2. n. 25. & seq.*.

Denique nihil obstare consuetudinem, aut Constitutiones Synodales Tarraconenses. Advertit enim, consuetudinem induxisse quidem personalium Beneficiorum erectionem, sed determinatè tamen, & secundum dispositionem Fundatorum, quorum voluntati legem non imposuit, *Rot. decis. 379. sub num. 7. part. 5. tom. primo Recent.*. Fundatoris autem voluntatem in casu, de quo agitur, eam esse, ut census redimeretur. Quod si huic dispositioni aliquo modo obsisterent Synodales Tarraconenses leges, Sedi Apostolicæ pro dispensatione ad cautelam consulendum foret. Hu-

jusce dispensationis æquitatem suadere census nullitatem, vel saltem dubium, quod in illius creatione substantiale aliquod vitium irrepserit, cum in dubio tutiori consilio prospiciendum sit Animæ tum Testatoris, tum Administratorum causæ piæ, *Cap. In Civitate in fin. Extra de Usuris*, *Sanchez consil. moral. lib. 4. cap. 1. dub. 53. num. 1.*

Censum realem, qui jus dicitur percipiendi annuam pensionem ex prædio, aliove fundo, vendi absque ulla usuræ labe, & emi posse, declararunt Martinus V. *in Extravag. 1. de empt. & vendit. inter communes*, Callixtus III. *in Extravag. 2. eodem tit.*, & S. Pius V. *in Constitut. Cum onus* edita 14. *Kalend. Februar.* 1568.. Ut autem omne usuræ vitium ab hujusmodi censu procul absit, quædam servandæ sunt conditiones, quarum aliquæ ex ipso jure naturæ, aliæ verò ex Jure Ecclesiastico, seu ex præfatis Summorum Pontificum Constitutionibus proficiscuntur. De his fusius agit *Navarrus in comment. de usuris num. 40. & seq.*. Inter cæteras conditiones jure Ecclesiastico requisitas, ea recensetur, ut scilicet census non constituatur, nisi *ex pecunia numerata, præsentibus Testibus, ac Notario, & in actu celebrationis Instrumenti, non autem prius recepto integro justo pretio*, quemadmodum legitur in dicta Piana Constitutione §. 2.. Interrogatus verò idem Summus Pontifex, *an id, quod de pecunia numerata dicitur, prohibeat quominus in dotium assignatione census creari possit*, respondit, declaravitque altera sua Constitutione incipien. *Etsi Apostolica Sedes* edita die 10. Junii 1570. §. 9. *in dotium assignandarum casu, censuum erectionem, & Constitutionem prædictam respectu actualis numerationis coram Notario, & Testibus faciendæ, locum non habere, sed in hoc casu census ipsos etiam pecunia ad manum non habita creari posse*.

Dissimulari tamen non potest, in pluribus Regionibus dictam Pianam Constitutionem non fuisse usu receptam, vel si primitus recepta fuit, per contrariam deindè consuetudinem fuisse abrogatam, prout de Gallia, Belgio, & Germania affirmant *Lessius lib. 2. de just. cap. 22. num. 20.*, *Haunoldus de just. tract. 10. num. 316.*, *Piringh. ad tit. de usur. num. 85.*, *Wiestner ibidem num. 81.* Narrant etiam *Gutierez lib. 2. pract. quæst. quæst. 177. in fin.*, & *Felicianus Solis lib. 1. de censibus cap. 7. num. 2.*, eumdem Summum Pontificem ad petitionem Catholici Regis Philippi II., Hispanis indulsisse, ut ad suæ Constitutionis exactam observantiam, quoad eas conditiones, quæ Juris Divini, aut naturalis non essent, nequaquam obstringerentur. Viden. Benedictus XIV. *de Synod. Diœces. lib. 10. cap. 5. num. 5.*

Inquirendum igitur est, num in creatione census, de quo agitur, erratum quidquam fuerit contra substantialem formam in Piana Constitutione præscriptam: Insuper an hujusmodi Constitutio vim habeat, usuque recepta sit in

Tar-

Tarraconensi Provincia: An denique non intervenisse in actu stipulationis pecuniam numeratam, inferri possit ex his Pontii verbis, quæ in Testamento leguntur: *Ridondò quello in mia utilità, e li detti Principali* (Franciscus Marti debitor, & Joseph Valldejuli fidejussor) *che si sottoscrissero, non ne riportarono, ne ebbero verun commodo, o utilità, ma il tutto cedette in mio benefizio*. Cum præsertim ex Apoca in calce Instrumenti adjecta de pretii solutione constare videatur.

De Testatoris voluntate pro redemptione census, antequam opus pium exequutioni mandaretur, dubitari non potest. Apertissima sunt illius testamenti verba: *A me appartiene in sgravio di mia coscienza di redimerlo, ed estinguerlo: Perciò voglio, e dispongo, che la predetta fondazione della detta Causa Pia non abbia principio, ne principiar possa a distribuire porzioni, fin tanto che il sudetto censo realmente, ed effettivamente non sia redento, ed estinto*. Modum indè præscribit, quo dicti Census redemptio fieri deberet, iterumque eadem repetit, quæ superius mandaverat.

De hac suprema Pontii Marti voluntate definiri tutò non potest, an sit adimplenda, vel non, nisi prius constet, ex quibus præcisé bonis Causam Piam dotaverit, num scilicet ex bonis dumtaxat Beneficii Personalis, vel etiam ex propriis bonis; & nisi etiam luculenter probetur, quæ fuerit natura, & indoles Beneficii ab eo fundati. Utrumque ex cathalogo bonorum ab eo relictorum, & ex Instrumento fundationis Beneficii Eminentissimi PP. colligere dignabuntur.

Episcopus in sua relatione inter cætera hæc habet: *Quia Pontius Marti non dotavit causam a se sic, ut præfertur, fundatam, ex bonis suis propriis, sed ex beneficiis personalibus, seu personatibus peculiaribus hujusce Provinciæ, Tarraconensibus propterea communiter nuncupatis, quæ obtinebat, & Personatus hujusmodi, utpotè Ecclesiastici, de sui natura, & juxta constitutiones Provinciales Tarraconenses solummodo extingui possunt, & converti in causas pias .... de quibus certè non est, immò nec aliquid pietatis præsefert relata census extinctio, & propriæ obligationis solutio a Fundatore imperata; Idcircò, spreta ejusmodi Fundatoris voluntate tanquam illegitima, Administratores dictæ Causæ piæ ab initio illius semper mediis legalibus compulerunt Debitores controversi census, licet reluctantes, ad debitam solutionem; Et nunc modernus Administrator litem pendentem, & longè jam productam agit contra Oratricem, & Franciscum Valldejuli solvere recusantes, quæ quidem Oratrix valdè diffidens de suo jure recursum habere voluit ad VV. EE. Mihi autem nulla apparet justa prætensæ disputationis causa, sed expectandus videtur exitus litis*.

Dubia itaque, quæ EE. VV. sapientiæ definienda proponuntur, hæc sunt.

I. *An constet de nullitate census, itaut sit locus restitutioni fructuum in casu &c.*, & quatenus negativè.

II. *An sit locus redemptioni dicti census ad formam Testamenti Pontii Marti, in casu &c.*

Utatur jure suo coram Ordinario, & recurrat post exitum Causæ.

Sess. 23. cap. 6. de Reform.

SENOGALLIEN. CANONICATUS. In Testamento, quod anno 1743. condidit Anna Felix Evangelisti, mandavit, ut de bonis suis hæreditariis nova erigeretur Præbenda Canonicalis in Collegiata Ecclesia S. Medardi Oppidi Rocchæ Contradæ ejus Patriæ, reservato Jurepatronatus activo favore Lucæ Angeli Bruni de Castro Palatii Diœcesis Forosempronii, ejusque Filiorum, & Descendentium masculorum, iisque deficientibus Patronatum deferri voluit ad fœminas ex familia Lucæ Angeli descendentes. Utraque verò linea tum masculina, tum fœminina extincta in Jurepatronatus substituit Capitulum dictæ Collegiatæ S. Medardi.

Primus ad novum Canonicatum ab ipsa met Testatrice nominatus fuit Sacerdos Blasius Bruni Lucæ Angeli filius; in successivis verò vacationibus præscripsit, *che sia sempre preferito altro di detta Famiglia, purchè vi sia capace di servire al Coro*; Et quatenus nullus Sacerdos, aut Clericus de dicta Familia Bruni adesset, Patronis injunxit, *che siano tenuti nominare un Figlio, o Figlio de' Figli, e Discendenti in infinito della Signora Elisabetta figlia di detto Signor Luca Angelo, e Moglie respettivamente del Signor Medardo Angelelli di questa Terra di Rocca Contrada ad esclusione di ogni altro*. Patronis denique terminum sex mensium ad præsentandum assignavit; Canonico autem pro tempore, præter Chori servitium, onus imposuit celebrandi per se, vel per alium tres Missas qualibet hebdomada.

Vita functo Canonico Blasio Bruni die 15. Maji 1767., nominatus fuit die 6. sequentis mensis Junii Clericus Joseph Bruni in ætate annorum duodecim constitutus, *riservato però sempre il beneplacito della Santa Sede Apostolica sopra la dispensa dell'età*. Pro hac dispensatione preces datæ sunt Ssmo D.N., ab eoque remissæ ad Sacram hanc Congregationem, quæ Episcopi votum exquisivit.

Interim Sacerdos Franciscus Angelelli per lineam fœmininam a supradicto Luca Angelo descendens, nondum elapso termino sex mensium Patronis ad præsentandum a Testatrice concesso, supplicem obtulit libellum Summo Pontifici, quo narravit, se juxta fundationem unicè qualifica-

catum reperiri, Josephum verò Bruni ob defectum ætatis inhabilem esse. Literas proinde Apostolicas pro collatione Canonicatus impetravit, cujus deindè possessionem adeptus est. Verum urgente Josepho [a Patronis præsentato, quamvis Emus Pro-Datarius illiusSupplicationem pro provisione Canonicatus cum dispensatione ætatis semel, atque iterum rejecerit, nihilominus Partes postea remisit ad Sacram Congregationem, coram qua jura sua experiri mandavit.

Hoc itaque est disputationis subjectum; Et Josephus ait, se unicum esse nominatum, Filium etiam unius Patroni nunc extantis, & prælativam quoad omnes habere ipsius Testatricis vocationem. Æquum proinde esse, ut sibi dispensatio concedatur *Vivian. de Jurepatron. lib. 6. cap.6. num. 9.*, *Corrad.in Prax.Benefic. lib.*4.*cap.9.n.*10.,*Piton.de contr.Patron. alleg.*100.*num.*340.

Nihil autem obesse defectum ætatis a Concilio Tridentino præscriptæ. Sustinet enim Concilii dispositionem [locum habere in Beneficiis tantummodo Ecclesiasticis Episcopi auctoritate institutis *Corrad.loc.cit.cap.*2.*num.*17.,*Rot. part.*1. *diverſ. deciſ.*482. *num.*5., atque idcircò eidem dispositioni minimè subesse PræbendamCanonicalem,de qua hic agitur, quæ non Ordinarii auctoritate, sed privata Testatricis voluntate erecta fuit.

Ubi vero supradicta Præbenda, verè, & propriè Beneficium Ecclesiasticum dici posset, putat adhuc, idoneitatem non fuisse a Testatrice requisitam relativè ad tempus vacationis, sed Præsentationis a Patronis infra sex menses perficiendæ; Atque idcircò satis esse, ut ea superveniat intra tempus Patronis ad præsentandum assignatum *Felin. in cap. Cum se de rescript.*, *Garz. de Benefic. part.*7. *cap.*1.*num.* 32., *Narbon. de ætat. ann.*14. *quæst.*54. *num.*8., *Lother.de re benefic. lib.*2. *quæst.*48. *num.*92.. Nec ullum intercedere discrimen inter idoneum naturaliter, & idoneum ex dispensatione, ut notant *Lother.lib.*1.*quæst.*40.*n.*167.,*Piton.cit.alleg.*100. *num.*329., *Rot. in Orisingen.Canonicatus* 10.*Maji* 1715. *§. Non subsistente cor.Cerro*.

Eo vel magis quia præsentatio facta fuit sub expressa conditione reportandi dispensationem Apostolicam, quæ quidem conditio efficit, ut præsentatio suspensa remaneat usque ad tempus obtentæ dispensationis; & subsequens dispensatio ad tempùs ipsum præsentationis retrotrahatur *Vivian.loc.cit. num.*9., *Corrad.loc.cit.num.*14., *Piton.loc.pariter cit. num.*335.

Asserit præterea, ex defectu ætatis nullum *jus certum*, & *actu quæsitum* alteri Parti accessisse, sed jus tantum *eventuale*, & *in spe*, quando scilicet prælativè vocatus habilitatem intra certum tempus non assequatur. Ad impediendam verò dispensationis gratiam necessarium esse jus certum,

& actu

& actu quæsitum *Card.de Luc. de Jurepatron.disc.*70.*num.*17., *Piton.disceptat.Eccles.*13. *num.*39. Præsertim quando ille,qui sub pratextu præjudicii contradicit, *subsidiariè* vocatus est, si nimirum deficiat habilitas illius, qui sub spe futuræ dispensationis fuit præsentatus *Piton.ibid.num.*12.,*& de controv. Patron.alleg.*100. *num.*338. *& seq.*

Contra verò Sacerdos Angelelli opponit, Eminentissimum Pro-Datarium, qui ipsam Papæ personam repræsentat in his, quæ gratiosa concernunt, *Card.de Luc. de relat. Roman.Cur. disc.*4. *&* 13. *num.*1., non semel, sed bis, causa cognita, Josephi supplicationem pro dispensatione super defectu ætatis rejecisse. Ex hoc infert, non posse ulterius de dispensatione disceptari; Maximè, quia res adhuc integra dici nequit, cum idem Sacerdos, jure suæ qualificationis fuerit interim de Canonicatu provisus, ejusque possessionem adeptus fuerit; proindeque in præjudicium juris, ex provisione, & possessione sibi quæsiti, non posse Adversarium ad beneficium dispensationis admitti, *Piton. de controvers.Patron. allegat.* 85. *num.* 11. *&* 12., *Rota in Asten. Beneficii* 1. *Februarii* 1737. *§.* 10. *coram Sanctissimo*.

Addit hujusmodi dispensationis beneficium haud ita facile concedi a Dataria, quando res est de dispensando præsentatos, vel vocatos ad Canonicatus Collegiatarum, præsertim insignium: Idque servari etiamsi iidem Canonicatùs sint de Jurepatronatus Laicorum, cum in personis ad illos præsentatis aptitudo quædam, & consilium requiratur, *Rot. decis.*1311. *num.* 27. *tom.*2. *coram Molines*. Has autem qualitates præsumi non posse in puero undecim circiter annorum.

Nihil prodesse dicit clausulam illam *Utatur jure suo* in secundo decreto Eminentissimi Pro-Datarii appositam. Tum quia hæc clausula, utpotè generalis trahi non potest ad delegationem examinis super dispensatione, quæ specialissima mentione indigeret, & de qua expresè constare debuisset, *ad Text.in L.unica Cod.mandat.*, *cap.super eo de offic.deleg.* Tum etiam quia jus petendi dispensationem disertissimis verbis sublatum fuerat præcedentibus ejusdem decreti verbis, nimirum *Eminentissimus D. Pro-Datarius rejecit instantiam*, *& amplius*. Hinc conjicit, per alteram clausulam *Utatur jure suo*, præservatum tantummodo fuisse jùs futurum, & aliud quodcumque, de quo coram eodem Emo Pro-Datario singillatim actum non fuerit.

Multoque minus prodesse rescriptum Sanctissimi D. N., quo preces a Josepho oblatæ, ad hanc S. Congregationem die 16. Junii fuerunt remissæ. Animadvertit enim post hujusmodi rescriptum habitum ab ipso Josepho fuisse recursum ad Datariam, ut ad beneficium dispensationis admitteretur; atque idcirco non amplius uti posse Principis liberali-

galitate, qua fuerat abusus, *Fagnan. in cap. olim num.* 12. *de verb. significat.*

Clariora hæc fieri subdit, si ratio habeatur piæ Testatricis mentis, & apertissimæ legis fundationis. Testatricis mentem eam fuisse, ut ad Canonicatum ille nominaretur, qui *sia capace di poter servire al Coro*. Distinctionem verò, quando idoneitas intervenire debeat tempore vacationis, vel tempore præsentationis, locum dumtaxat habere, si habilitas præscripta sit *a lege*, vel *a consuetudine*, non autem quando, prout in casu, *ab homine* præscripta est, *Piton. controv. Patron. allegat.* ... *num.* 4., *Rot. in Aretina Beneficii* 24. *Januarii* 1735. *§.6. coram Peralta*. Præsertim quia Testatrix usa est hac loquendi formula *vi sia capace*, cum verbum *sia* idoneitatem denotet tempore vacationis Canonicatus, *Piton. alleg.* 65. *n.* 19., *Corrad. in Prax. Benef. lib.* 2. *cap.* 10. *n.* 106., *Lambertin. de Jurepatr. lib.* 2. *par.* 2. *quæst.* 1. *art.* 13., *Rot. in dicta Aretina §.6.*

Idque magis constare ex ea lege fundationis, qua præcipitur, ut Patroni intra terminum sex mensium *siano tenuti, & obligati, e debbano far la nomina in Soggetto come sopra idoneo, e dentro il detto termine omninamente debba seguire la detta nomina*. Cum itaque idoneitas quoad Josephum non adfuerit tempore vacationis Canonicatus, nec verificari possit intra terminum sex mensium ad præsentandum assignatum, consequens esse, ut ex lege fundationis ad beneficium dispensationis admitti nequeat.

Contendit denique Sacerdos Angelelli, frustra sibi opponi defectum nominationis Patronorum. Ait enim necessariam non fuisse sui nominationem, cum unicus esset qualificatus inter invitatos *Rot. in Asten. Beneficii* 1. *Februarii* 1737. *coram Sanctissimo, & in Monasterien. Canonicatus* 20. *Junii* 1752. §. 12. *coram Vicecomite*. Maximè quia Josephus, qui tempore vacationis idoneus non erat, nec etiam poterat idoneus effici ad assequendum Canonicatum intra terminum faciendæ nominationis.

Concilium Tridentinum *sess.* 23. *cap.* 6. *de Reformat.* confirmans, quæ in jure constituta expressè sunt *Cap. Indecorum de ætat., & qualit.* ita edixit: *Nullus prima Tonsura initiatus, aut etiam in minoribus ordinibus constitutus, ante decimumquartum annum beneficium possit obtinere*.

Sacra Congregatio ætatis veniam indulgere consuevit juxta verosimilem Fundatorum mentem, ubi actum est de linea prædilecta, & primo loco in fundatione vocata. *In Barchinonen. Dispensationis* 16. *Januarii* 1740. illam concessit Præsentato sub spe obtinendæ dispensationis, ad exclusionem Sacerdotis posterius contemplati. *In Balneoregien. Dispensationis*, quamvis ageretur de puero decenni ad Canonicatum Ecclesiæ Cathedralis præsentato, & Capitulum sese opponeret, innixum testamentariis Fundatoris tabulis, in qui-

quibus adjecta legebatur clausula = *dum sint habiles* = nihilominus die 21. Junii 1760. proposito dubio = *An sit relaxanda Supplicatio* = rescriptum fuit = *Affirmativè* = Fusius de hac ætatis dispensatione actum est in Folio Causæ *Verulana Archidiaconatus 30. Januarii proxime elapsi*, quod EE.PP. rogantur relegere.

Episcopus de more auditus plura refert, quæ dispensationi favent. Inter cætera verò hæc habet = *Postremo unum de duobus, vel Canonicus Angelelli falsum Summo Pontifici exposuit, asserendo, se descendentem ex linea fæminina Fundatricis Canonicatus, cum tamen certum sit, Annam Felicem absque filiis decessisse, vel in multis vera reticuit, & illud signanter, quod Testatrix in omnibus vacationibus requisierit Oratorum nominationem, & præsentationem, quam ipse reportare non curavit penitus, ac si a Testatrice directè fuerit vocatus ad Canonicatum, quod quidem falsum esse evincit dispositio eadem Testamenti. His, aliisque rationum momentis ab utraque Parte deductis potior sane mihi videtur causa Clerici implorantis gratiam dispensationis super defectu ætatis.*

Inquirendum tamen est in præsenti casu; an per duplex decretum Emi Pro-Datarii, quorum utroque rejecta fuit supplicatio Josephi, & præsertim per posterius, cui addita fuit clausula *& amplius*, sublatum eidem fuerit jus petendi in hoc S. Tribunali Supplicationis relaxationem, vel potius hoc jus præservatum dici possit per aliam clausulam = *Utatur jure suo*.

His itaque inspectis, placeat EE. VV. sapienti, quo solent, oraculo definire

An sit locus dispensationi ætatis, in casu &c.

Negative, & amplius.

Sess. 23. cap. 1., & sess. 25. cap. 5. de Reform.

NOVARIEN. Placuit cl. mem. Cardinali Joanni Antonio Serbelloni olim Episcopo Novariensi sejungere, ac dismembrare à Parochiali Ecclesia S. Mariæ Majoris Vallis Vigletii Communitates Albonii, & Druonii, & in novam Parochialem erigere Ecclesiam S. Sylvestri ejusdem Communitatis Druonii, *injuncto onere Hominibus, & Vicinis dictorum Locorum Druonii, & Albonii solvendi singulo anno Curatis dictæ Parochialis Ecclesiæ S. Mariæ eam primitiam, & alia solita, ac cum pactis, modis, ac formis, prout in facto reperitur*. Renuentibus verò dictis Hominibus impositum onus subire, plures hinc ortæ sunt lites, quas tandem diremit transactio inita anno 1569. cum Rectoribus Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Majoris.

In-

Inter cæteras concordiæ pactiones, altera hæc fuit = *Quod Communia, & Homines Druonii, & Albonii teneantur dare, & solvere omni anno in quolibet Festo Nativitatis D.N. Jesu Christi usque in perpetuum libras 170. Imperiales præfatis DD. Curatis, & eorum Successoribus . . . . & illam quantitatem casei usque modo dari solitam, & consuetam . . . . & libras tres Imperiales pro recognitione Baptismatis singulo anno usque in perpetuum* = Altera vero = *Quod ipsi DD. Curati, & eorum Successores teneantur, videlicet aliquis eorum singulo die Mercurii cujusli et hebdomadæ ire ad celebrandum in d. Ecclesia S. Sylvestri de Druonio Missam unam tantùm.*

Negligere cæperunt progressu temporis Parochi pactionum implementum. Eos idcirco primum excitavit Curia Ecclesiastica Novariensis decreto anni 1649. Iterumque in eamdem negligentiam ipsos relapsos damnavit anno 1764. Vicarius Generalis mandans, *prædictos RR. Parochos debere singulis diebus Mercurii celebrare Missam in Ecclesia S. Sylvestri, illamque applicare pro eisdem Communitatibus* = At die 7. Junii ejusdem anni, ipsemet Vicarius Generalis, priori suspenso decreto, jura tantummodo Partibus reservavit.

Variis interim hinc indè peractis apud Senatum Taurinensem, Homines tandem Druonii, & Albonii preces Sacræ Congregationi porrexerunt, petentes confirmationem Decreti Vicarii Generalis, quo Parochi ad Missæ celebrationem adiguntur. Super hisce precibus, audito prius Episcopo, concordata fuerunt Dubia in calce conscripta.

Ad I. inquiunt Homines Communitatum Druonii, & Albonii, transactionem clarum præseferre onus Parochis injunctum celebrandi Missam per se ipsos. Sustinent enim verba illa *ipsi Curati teneantur ire*, non solum significare discessum è loco, & accessum ad Ecclesiam Sancti Sylvestri, sed indicare etiam restrictionem, & personalitatem; præsertim ob verba immediatè adjecta *videlicet aliquis eorum*, *Rot. decis.* 1178. *num.* 4., & *decis.* 680. *num.* 8. *coram Cerro, & cor. Ansaldo dec.* 382. *num.* 23. Perperam proinde in re tam clara disceptari.

Onus autem hujusmodi jure Parochis impositum fuisse affirmant. Cum enim ipsi jura in transactione sibi reservaverint, quæ omnimodam dependentiam Ecclesiarum Druonii, & Albonii evincunt, & certissimum comprobant Parochiale munus ipsis inhærens, æquitati idcirco maximè consonum esse, ut ipsi per se ipsos, & non per alios, onus Missæ statuta die Mercurii celebrandæ, subire teneantur *Fagnan. in cap. Extirpandæ §. Qui verò num.* 4. *de Præbend.*, *Piton. discept. Eccles.* 42. *num.* 17. Eo vel magis, quia sublato personali onere, Communitates prædictæ ex transactione nihil utilitatis reportassent, eaque tota Parochis cessisset, quod est contra Transactionis indolem, & naturam *Cap. qui sentit de reg.*

reg.jur. in 6. leg. secundum naturam de reg. jur., *Rot. dec.*1232. *n*.4. *cor. Lancett.*

Nec attendendum, quod nulli præjudicium inferatur, sed impleatur pactum celebrationis Missæ etiam quando Parochi per alium huic oneri satisfaciant. Respondent enim, frustra de ratione disceptari, quoties placuit de certo modo specialiter convenire; Nec esse in alterius Partis arbitrium pactum adimplere per æquipollens, cum ad implementum quisque teneatur ea præcisa forma, quam Contrahentes statuerunt *leg. si in Insulam*, *& leg. à Titio ff. de verb. oblig.*, *Rot. dec.*275. *num.*5. *part.*14. *Recen.*, *dec.*745. *n.* 11., *&* 12. *cor. Emerix Jun.*, *& cor. Falconer. decis.* 2. *num.*3. *tit. de Empt.*

His adijciunt observantiam, de qua constare ajunt ex decreto Episcopi Novariensis anni 1649., qui re maturé perpensa, Parochos adegit ad implementum oneris per se ipsos juxta Literam transactionis. Adduntque ita semper fuisse usu servatum, & exequutum. Favere proindè tum rem judicatam, tum pacificam observantiam, quarum alterutra satis esset ad rem etiam dubiam declarandam *leg. si de interpretatione ff. de legib.*, *Castren. cons.* 348.*in fin.lib.*1., *Rot. coram Coccin. dec.*1609. *num.*2., *& cor. Lancett. dec.*115. *num.*14.

Ad II. Animadvertunt, constantem esse Sac. Congregationis Sententiam, pro regula amplexam, ut non celebratio solum, sed etiam Sacrificij applicatio injuncta censeatur, quamvis de applicatione mentio expresse habita non fuerit. Ab hac regula eo minus recedendum in præsenti casu, quo Parochi præter libras 170. Imperiales, quas in compensationem applicationis, & incommodi recipiunt, jus etiam habent honorificum cogendi Homines Druonii, & Albonii ad interessendum Divinis Officiis in Ecclesia S. Mariæ Majoris certis temporibus peragendis. Hinc inferunt, quod si Parochi decimas, & honores sibi vindicant jure Parochialitatis, eodem etiam jure Missam applicare teneantur, quamvis decimæ pro Missarum eleemosina minimè sufficerent juxta decretum *Concil. Trident. sess.*25. *cap.* 1. *de Reform.*, & statuit *Benedict. XIV. in constit. cum semper* 103. *tom.*1. *Bull.* §.5.

Parochi S. Mariæ Majoris ad I. contra tuentur, obligationem celebrandi per se ipsos non censeri inductam, cum expressa in transactione non legatur *Fagnan. in cap. Ut Abbates num.* 52., *& seq de ætat.*, *& qualit.*, *Adden. ad decis.* 108. *coram Ludovis. num.* 15., *Rot. decis.* 825. *num.*5. *coram Merlin.* Verba autem transactionis importare tantummodo onus celebrationis, quod adimpleri potest etiam per alium, quoties expressa prohibitio deficiat *Pignatell. tom.* 7 *consult.* 2. *num.* 4., *& seq.*, *Rot. in Tudertina* 5. *Maij* 1728. *cor. Calcagnin.*, *&* *in Majoricen.* *Bene-*

Beneficii 27. *Martii* 1743. §. 9. *cor. Vicecomite*. Maxime quia Missæ celebratio singulis diebus Mercurii designata fuit pro commodo, & utilitate Populi Druonii, ne scilicet is die, qua Parochus S. Sylvestri adire tenetur Albonium ad Sacrum peragendum careret Missæ Sacrificio.

Proferunt ipsi quoque observantiam, quæ in dubio Transigentium mentem declarat, *leg. si de interpretatione ff. de legib.*, *Rot. coram Molin. dec.*579. *num.*21. *tom.* 2. De hac constare asserunt ex depositionibus Testium affirmantium, Parochos retroactis temporibus, tam per se, quam per alios, absque ulla dd. hominum querela, oneri celebrationis Missæ satisfecisse. Ita testari præsertim de facto proprio Sacerdotem Joannem Baptistam Borgis, qui pluries pro dd. Parochis Missam celebravit. Hisce autem Testibus informatissimis, & de facto proprio deponentibus, plurimum esse deferendum *Farinac. de Testib. quæst.* 63. *num.*35., *Rot. cor. Mantic. decis.* 6. *num.*9., *& cor. Ludovis. decis.* 172. *n.*5.

Addunt, onus hoc apud ipsos fuisse etiam ante Transactionem, qua non aliud actum fuit, quam celebrationis diem præfinire. Tunc autem Parochis licuisse onus implere per alium; Hinc illæsam mansisse libertatem etiam post transactionem, quæ aliter non disponit expresse; cum transactio sit contractus stricti juris, neque ad casus non expressos trahi possit *Bald. in leg. sub prætextu num.* 7., *Cyriac. controv.* 874. *num.*9., *Urceol. de transact. quæst.* 8. *num.*5., *Rot. coram Molines decis.* 827. *num.*12. *part.* 2. *tom.*3.; Præsertim quia post transactionem non solum aucta non fuerunt, sed longè imminuta emolumenta, & Primitiæ Parochis solvendæ; Quare inverosimile est iri voluisse in pactionem, ut novum onus Parochis adjiceretur.

Ad II. ajunt, Missæ applicationem nec ex verbis transactionis, neque ex Transigentium mente posse desumi. Literam Transactionis ferre dumtaxat onus celebrationis, ab hoc autem onere inferri non posse ad obligationem applicationis, cum hoc sit onus a celebratione diversum *Barbos. ad Concil. Trident. sess.* 23. *cap.* 1. *num.*4. *in fin.*, *Pignattell. consult.*138. *num.*3. *tom.*1. *Rot. in Hispalen. Applicationis Missæ* 14. *Junii* 1751. *cor. Emo Migazzi*.

Mentem verò Transigentium eam fuisse, ut prospiceretur Populi utilitati, quemadmodum referunt Testes; Hinc inferri, volitam quidem fuisse celebrationem, non vero applicationem *Amostaz. de caus. piis lib.* 2. *cap.*3. *n.* 46. *Pignattel. tom.* 1. *consult.*138. *n.*6.; Fortius, quia ante transactionem Parochi ad solam celebrationem tenebantur, & quia rursus in aliis locis, quæ membra sunt Ecclesiæ Matricis S. Mariæ Majoris, & ad quæ singulis hebdomadis accedunt, nullum habent onus applicationis.

Hac autem super re sibi favere contendunt observan-

tiam, eamque desumunt, tum ex Testimonio Sacerdotis de facto proprio deponentis, cui plurimum adhærendum existimant ad excludendam applicationem *Pignattell. consult. 219. num. 1. tom. 4. Rot. in dicta Hispalen. cor. Elephantutio §. 3.*, tum etiam ex deficientia Libri, seu Tabulæ, in qua vel onus applicationis recenseatur, vel aliquis ex Curatis, aut alter Missas ibidem celebratas conscripserit, ut fieri de more debuisset. Et in quavis dubietate, standum esse pro applicationis exclusione, cum in dubio pro oneris exclusione sit ferendum judicium *leg. quidquid 99. ff. de verb. oblig.*, *Amostaz. de caus. piis lib. 2. cap. 3. num. 48.*, *Pignattel. tom. 1. consult. 38. n. 4.*

Nihili faciendum esse dicunt Votum Vicarii Generalis Novariæ adhærentis applicationi. Observant enim, Sac. Congregationem non Vicario, sed Episcopo supplicem libellum remisisse, ejusque votum requisivisse. Vicarium in hac ipsa causa sententiam pronunciasse Anno 1764. favore Communitatum, ac proinde quasi coactum mentem suam aperuisse, secundum id, quod decreverat. Ipsum prætérea valdè suspectum ex eo habendum esse, quod mentionem nullam fecerit posterioris decreti, quo Sententiam a se latam revocavit. Falsum denique ex eo dignosci, quod onus applicationis tacitè iniunctum dixerit, etiamsì non fuerit expressum.

Duæ itaque sunt quæstiones altera *de celebratione per se ipsum*, altera *de applicatione*. Ad utriusque resolutionem præstat inprimis animadvertere, ad inducendum onus celebrationis per se ipsum, necesse non esse, ut in fundatione cautum id fuerit verbis expressis, sed satis esse, id colligi posse ex æquipollentibus verbis *cap. in his de verb. oblig. Fagnan. in cap. Ut Abbates de ætat.*, *& qualit. num. 76.* Quare cum quidam Testator disposuisset, ut sui hæredes nonnulla bona darent cuidam Clerico *cum onere, ut cui dederint ille teneatur pro Anima &c. celebrare annuam Missam cantatam in qualibet annali die mortis ipsius Testatoris.* Proposito dubio = *An is, qui vult consequi tale Legatum debeat esse Sacerdos, & teneatur per se ipsum Missam celebrare* = Sac. hæc Congregatio die 28. Junij 1605. respondit = *Quoad celebrationem Missæ posse etiam per alium huic oneri satisfacere, nisi fundationi, præter expressa, insint alia verba, quæ significent, ut per se ipsum id muneris expleat.*

Alii esse possunt casus, in quibus obligatio celebrandi per se ipsum, tametsì nominatim non dicta, injuncta nihilominus censeri debeat æquipollenter ex tenore dispositionis, & ex vi verborum, quibus Testatores usi sunt in onere imponendo. Ex his casibus nonnullos a Sac. Congregatione definitos hic infra subiicio ad quæstionis ornatum. Post sequutam cujusdam Capellaniæ erectionem, cum præsentari debuisset Capellanus, *qui serviat in Divinis eidem Capellæ*,

læ, & ibidem continue divina celebret, Missam, & Officia nocturna, & diurna, & residentiam continuam faciat juxta Ecclesiam S. Andreæ, & serviendo d. Capellæ. Quæsitum fuit; An Rector ejusdem Capellæ teneatur residere, & subire onera per se ipsum. Et Sac. Congregatio die 20.Julii 1600. censuit, *Rectorem teneri residere, & munia hujusmodi explere per se ipsum.*

Præterea in disceptationem venit fundatio his verbis concepta: *Quod Capellani, & quilibet illorum debeat dicere pro Anima mea in dicta mea Capella 192. Missas recitatas quolibet anno in perpetuum . . . Item quod sit Presbyter, bonus Christianus, bonæ vitæ, & famæ, & non habeat onus alicujus Officii, nec obtineat aliquam Præbendam, Vicariam, Rectoriam, nec curatum, nec aliquod aliud beneficium, sed quod solum debeat se occupare, & assistere servitio istius meæ Capellæ, & non in aliqua alia re, sive Præbenda.* Dubitatum fuit, an Capellanus teneretur præcise per se ipsum celebrare; & die 12. Maii 1606. responsum fuit = *Secundum ea, quæ proponuntur, teneri celebrare per se ipsum.*

Insuper actum est de alia fundatione, in qua hæc legebantur. *Omne incrementum, & lucrum proveniens ex summa 500. scutorum dari debeat Capellano, qui dictæ Societati in divinis inserviat . . . & quod Sylvester Oliverius, si voluerit pro Capellano d. Societatis inservire, cæteris præferri debeat.* Sac. autem Congregatio censuit die 23. Februarij 1608. *Ex dictis verbis, quæ Sylvestrum præferri mandant, eum per se ipsum inservire teneri.*

Denique, aliis omissis, post dotationem cujusdam Capellaniæ, propositum fuit examen conditionum, quæ in ea legebantur, videlicet, ut *Beneficialis ipsius Ecclesiæ, seu Capellæ omni die, seu saltem quinquies in hebdomada Missam in dicta Ecclesia celebrare teneatur, justo tamen impedimento cessante, & si negligentes fuerint, vel remissi ad celebrandam ipsam Missam, seu ipsam Missam non celebraverint, beneficialis incurrat pœnam solidorum . . . pro qualibet vice convertendam in utilitatem Ecclesiæ.* Sac. Congregatio hac super re consulta decrevit *Ex verbis fundationis teneri obtinentem hujusmodi beneficium per se ipsum celebrare*, ut refert *Fagnan. in citat. cap. Ut Abbat. n.78.*

Secus verò constanter respondit, quoties a fundatione abessent verba, quæ saltem æquipollenter personale hujusmodi onus præseferrent, ut variis adductis resolutionibus probat *Fagnan. eod. in loc. num.65., & seq.*, & *Pignattel consult. Canonic. lib. 7. tom. 2.* Exemplum præ omnibus habetur in *Januen. Capellaniarum*, in qua Religiosi Carmelitæ contendebant, injunctum Capellanis fuisse onus celebrandi per se ipsos, quod elicere conabantur ex verbis a Testatore adjectis: *Primieramente debbano pagare ogn'anno il provento di Luoghi dieci di essi ad un Sacerdote da essi eligendo, che dovra*

rà celebrare ogni giorno all' Alba per commodità della povera gente. Et inferius: *Quando stimassero, che quel Sacerdote, che dirà detta Messa non avesse su cienza, o genio per far d. Scuole*. Insuper hæc addiderat: *Dicendo però la Messa quotidianamente, ed offerendo il Sacrificio*. Ac demum ita dispositionem concluserat: *Li sudetti sette Cappellani dicano a vicenda un Mese per uno la Messa all' Alba, per non dar sempre questo incommodo al Maestro della Scuola*. Sacra enim Congregatio hac perpensa dispositione die 14. Aprilis 1736. rescripsit, posse satisfieri onerì celebrationis Missarum *etiam per alium*. Viden. *thesaur. resol. tom.*7. *pag.*184.

Ponderandum est itaque, num verba illa Transactionis: *quod ipsi DD. Curati, & eorum Successores teneantur, videlicet aliquis eorum singulo die Mercurii cujuslibet hebdomadæ ire ad celebrandum*: quamvis non apertè, implicite tamen, & æquipollenter personale onus importent celebrandi per se ipsos. Num insuper quidquam quoad dictum personale onus desumi possit ex observantia, vel saltem ex juribus Parochialitatis, quorum aliqua Parochi S. Mariæ Majoris sibi reservarunt.

De altero disputationis capite Vicarius Generalis Novarien. hæc habet: *Censui onus celebrandi ab obligatione applicandi nullatenus sejungi posse, sequendo hujusce supremæ Congregationis regulam, juxta quam onus applicationis censetur tacite injunctum, etiamsì non exprimatur, quoties verbis expressis, aut validis conjecturis non apparet de contraria voluntate ejus, qui Missas celebrari mandavit; istamque regulam eo certius in casu sequendam putavi, quia ex toto transactionis contextu ne minima occurrit conjectura, volitam fuisse dictæ Missæ celebrationem ad solum Populi commodum, satisque congruum est Missæ stipendium, ut respondere valeat incommodo Parochorum, & consuetæ elemosinæ Missarum cum applicatione*.

Circa eamdem rem plura dicta sunt in folio Causæ, cui titulus *Tridentina applicationis Missarum diei* 27. *Februarii proximæ elapsi*. Viden. etiam resolutiones in *Camerinen. celebrationis Missarum* 25. *Martii*, *&* 18. *Aprilis* 1722., *in Ferrarien. applicationis Sacrificii* 11. *Junii* 1729., *in Mediolanen. applicationis Missarum* 11. *Maii* 1748.

Ex his itaque dignoscent EE. PP. quid respondendum sit sequentibus dubiis.

I. *An Parochi Ecclesiæ S. Mariæ Majoris Vallis Vigletii, & eorum pro tempore successores teneantur scilicet aliquis eorum singulo die Mercurii cujuslibet hebdomadæ ire ad celebrandum per se ipsum Missam in Ecclesia Curæ S. Silvestri de Druonio in casu &c.*, & quatenus affirmativè.

II. *An iidem Parochi teneantur applicare dictam Missam pro Populo Curæ S. Sylvestri in casu &c.*

Non proposita, cum reliquis.

NUL-

NULLIUS SEU FARFEN. CANONICATUS. Capitulum Ecclesiæ Collegiatæ S. Laurentii Oppidi Toffiæ Anno 1620. concessit sodalitio S. Laurentii Capellam Majorem, ac Altare sub eadem invocatione S. Laurentii ea lege, ut confratres eamdem Capellam dotare tenerentur annuo reditu triginta scutorum, ut hic annuus reditus assignaretur, seu uniretur Capitulo, Archipresbytero, & Canonicis præfatæ Collegiatæ ad erigendum quintum Canonicatum sub reservatione jurispatronatus favore Sodalitii, ita tamen ut Archipresbytero, & aliis Canonicis jus esset participandi *dell'entrata da assegnarsi a detto quinto Canonico, in modo che detta entrata con tutte le altre siano communi a tutti, siccome le distri uzioni solite*, & ut vicissim dictus quintus Canonicus æque particeps esset *nelle divisioni de frutti, ed altre entrate degli altri Canonici*, & æque contribuere teneretur *nelli pesi, ed obblighi di detta Collegiata*.

Sess. 24. cap. 15. de Reform.

Assignavit illo ipso anno Sodalitium in dotem Capellæ tresdecim census, quorum sortes non excedebant scut. 335., & annuos reddebant fructus scut. 30., atque hujus Dotis intuitu quintus Canonicus admissus fuit ad æqualem Massæ Capitularis participationem. Reductis vero progressu temporis fructibus censuum, cum ex his non amplius haberentur annua scuta 30., Sodalitium anno 1742. ad Capituli petitionem decrevit dotem reintegrare, & id ipsum confirmavit anno 1754., probavitque Eminentissimus Abbas. Verum cum hæc reintegratio effectu vacua remanserit, petit modo Capitulum, ut dictus Canonicatus dismembretur a massa Capitulari, vel saltem ut Sodalitium adigatur ad Dotis supplementum ad quantitatem usque annuorum scut. 30., & ad præstandam quantitatem defectam quoad tempus præteritum.

Ad I. inquit, contractum anni 1620. onus injecisse Sodalitio præstandi annua scuta 30., & correspective ad id Capitulum admisisse novum Canonicum; Ex Dote autem assignata modo vix percipi annua scuta 20.; locum ideo esse dismembrationi, & recessui a contractu, nam cum is sit contractus innominatus, in eo admittitur pœnitentia, *Faber. de error. pragm. decad.* 44. *error.* 8. *Rocca disput. jur.* 105. *n.* 1.; imo admitti etiam, ait, in contractibus nominatis ob inadimplementum correspectivorum pactorum *l. cum te fundum Cod. de pact. Rot. coram Merlin. decis.* 229. *num.* 2. *& coram Merlin. decis.* 497. *num* 2., præsertim concurrente, ut in casu, enormi læsione *Rot. in Cæsenatan. Bonorum* 20. *Febr.* 1728. *§.* 2. *cor. cl. mem. Aldrovando, & in confirm.* 31. *Janu.*, *&* 27. *Junii* 1729. *per tot. cor. cl. mem. Card. Millino*.

Ad II. ait, Sodalitium in contractu Anni 1620. onus suscepisse dotandi Capellam in annuis scutis 30., hanc obligationem non in specie, sed in quantitate emissam fuisse: assignationem

nem idcirco censuum non liberasse Sodalitium a promissa quantitate, *Rot. cor. Lancett. dec. 367. n. 6.*, *& in Romana Legatorum 16. April.* 1706. § *& denique cor. Priolo*, sed ipsum semper teneri ad integram annuorum scutorum 30. præstationem, ac ad deficientis ratæ supplementum *Marin. resol. jur. lib. 2. cap. 124. num. 11. Rot. in rec. decis. 165. per tot.*, *& coram Lancett. decis. 367. num. 7.*. Præsertim quia Capitulum assignationi dictorum censuum nec interfuit, nec suis juribus renunciavit; contra vero Sodalitium obligationem adjecit *de evictione in forma*, *& ad omnia damna*: & quia ulterius accedunt solemnes ejusdem Sodalitii agnitiones circa ejus obligationem supplendi defectam quantitatem, quas emisit annis 1742., & 1754., quasque probavit in Sacra Visitatione Emus Abbas.

Hinc ad III. concludit, teneri Sodalitium ad reintegrandam massam Capitularem de ea quantitate, quæ usque nunc defecit promissæ summæ annuorum scutorum 30. *Rot. in Romana Pecuniaria 22. Febr. 1728. §. fin. coram Gamacbes*: Et sic exposcere rationem æquitatis, cum usque nunc Canonicus a Sodalitio electus ad æquam participationem massæ Capitularis admissus, annua fere sc. 60. semper perceperit. Nec ullam suffragari posse Sodalibus bonam fidem; cum hæc exclusa remaneat ex littera contractus anni 1620., multoque magis ex capitularibus resolutionibus ann. 1742., & 1754., & ex decretis Sacræ Visitationis Emi Abbatis.

Sodalitium licet pluries monitum frustra usque nunc fuit expectatum.

Emus Abbas censet, Capituli preces pro reintegratione promissi annui reditus scut. 30. justitiæ innixas esse, *semel ac juxta formam utriusque ex recitatis instrumentis Sodalitium pro erectione sui Canonicatus primario constituere pepigit dotem in annuo reditu, seu quantitate* 30. *scutorum*, *subsequenter autem speciem ipsius Dotis constituit per assignationem censuum*, *nec aliter quam correspective ad illam certam reditus quantitatem censeri valet, fuisse a Capitulo stipulatam socialem unionem dicti Canonicatus*, *adeoque non data reintegratione conventi reditus*, *nil minus sequeretur, quam ut eidem Capitulo jus esset recedendi a communione*. *Confratres auditi pro deducendis juribus Sodalitii super postulatione Capituli hoc unum proposuerunt*, *quod ejus vires impares sint ad reintegrationem constituti reditus scutorum* 30., *quodque si Canonico Blasi non placet retinere Canonicatum*, *pro ut tenuerunt sui decessores*, *libera sibi est dimissio*, *neque alter deerit*, *cui conferatur procul ab excitandis tot prætensionibus adversus Capitulum*.

Licet certum in jure sit, in contractibus innominatis locum esse pœnitentiæ, ac rescissioni, si vel res adhuc integra maneat *leg. si pecuniam ff. de condict. caus. dat. Dionis. Gottofr. in leg. 1. §. 4. ff de rer. permut. not. 1. Rot. in Romana Rescissionis contractus 13. Martii 1752. §. 9. coram Vicecomite*, vel una tan-

tantum parte sit impletus contractus *leg.* 1. *§.4. ff. de rer. permut. leg.ult. de cond. caus. dat. non secut. leg. naturalis §. Et si* 1. *ff. de prescrip. verb.*, *Leotard. de usur. quæst.* 82. *num.*55., *& Rot. in Romana Officii Vacabilis* 5. *Dec.* 1763. *§.fin. cor. Veri*, advertendum tamen, jam ab anno 1620. census a Sodalitio fuisse assignatos, a Capitulo longissima observantia acceptatos, & usque nunc Canonicos a sodalibus electos semper admissos fuisse ad æqualem cum cœteris Canonicis massæ Capitularis participationem.

Tota ideo quæstio eo redit, an Sodalitium sit adigendum ad supplendam quantitatem annuorum scut. 30., vel saltem sit locus rescissioni contractus ob imminutos reditus, gravemque obventam læsionem. Ad I. communis recepta est distinctio, quod vel in obligatione deducta est ipsa annua quantitas, & tunc quælibet secuta fundi assignatio nec limitat promissam præstationem, nec obligationem extinguit hæredum, integram perpetuo conservandi promissam quantitatem *leg. Lucius Titius ff. de alim., & cibar. legat.*, *leg. quidam* 99.*ff. de legat.*1.

Vel in obligationem principaliter deducta fuit constitutio Dotis, seu traditio fundi reddentis certos annuos fructus, ita ut isti nonnisi demonstrative fuerint enunciati, & tunc assignata semel dote, vel tradito fundo enunciatum annuum fructum traditionis tempore reddente, resoluta remanet quævis ulterior hæredum obligatio, nec ipsi tenentur enunciatos annuos reditus perpetuo manutenere *leg. Firmio §. quando dies legat. ced.*, *leg. Lucius ff. de leg.* 2. *leg. cum certus* 5. *ff. de vin. tritic., & oleo leg.*, *leg. ex eo viro ff. eod. tit. & Lar. de anniv.*, *& capell. cap.* 15. *num.*20., *& Rot. decis.*433. *num.* 6. *& seq. cor. Cerro*.

Verba concessionis Anni 1620. hæc sunt = *Che detta Compagnia, e confratri debbano dotare detta Capella, ed altare d'entrata annua di scudi* 30. *ad effetto di detta entrata per celebrarvi la settimana = Item che detta Compagnia, e confratri debbano detta entrata di scudi* 30. *assegnare, ed unire al Capitolo, Arciprete, e Canonici della Chiesa Collegiata = Item che di detta entrata si debba creare un quinto Canonicato, e che detta Compagnia, e Confratri possino nominare detto Canonico, e che il d. quinto Canonico abbia da contribuire nelli pesi, ed obblighi di d. Chiesa Collegiata*.

Quoad petitam vero rescissionem contractus anni 1620. ob decrementum redituum Canonicatus Sodalitii, ponderandum est, an exequuta jam utrinque suscepta obligatione, eaque per seculum, & ultra pacifice servata, licitum modo sit Capitulo prætextu læsionis a suscepta tunc obligatione resilire.

EE. PP. singulis assueta justitia perpensis dijudicent.

I. *An in prima proxima vacatione sit locus dismembrationi Canonicatus de jurepatronatus societatis S. Laurentii Terræ Tophiæ a Mas-*

a Massa Communi Capitulari Collegiatæ dicti loci in casu &c., *& quatenus negative*.

II. *An societas S. Laurentii teneatur supplere fundum dicti Canonicatus usque ad annua scuta 30.*, *& in eadem summa respective manutenere in casu &c.*

III. *An hujusmodi augumentum solvendum etiam sit a societate pro annis præteritis*, *in quibus Capitulum non percepit integre dicta annua scuta 30. in casu &c.*

Sess.24.cap. 12. de Reform.

DERTHUSEN. JUBILATIONIS. Joseph Feliu Archidiaconus Major Ecclesiæ Cathedralis Derthusen. post completum quadragenarium Ecclesiæ servitium, annos octo ut Coadjutor, & ultra Annos 32. ut verus Canonicus, jam septuagenarius supplicavit pro perpetua Chori vacatione, seu indulto *jubilationis*, ut fructus suæ dignitatis etiam absens lucrari posset. Datis ad Episcopum litteris, ut audito Capitulo referret, Archidiaconus plures coram eo Testes induxit, quibus laudabile quadragenarium servitium probaret. Dum vero ajebat, se solis fructibus, amissis distributionibus, contentum esse; Capitulum opposuit dumtaxat, id novum esse in Ecclesia Derthusen. exemplum: At postquam Archidiaconus declaravit, se consequi etiam velle distributiones, quas percipiunt Jubilati, Capitulum acriter contradixit, excipiens exemplum esse novum, ipsum tendere in detrimentum Cultus Divini, & petenti deficere quadragenarium laudabile, & continuum servitium, quod pluribus adductis testibus probare sategit. Post præfixum hinc Capitulo terminum, preces nunc renovat Archidiaconus pro perpetua vacatione cum indulto percipiendi fructus, & distributiones.

Inquit ipse, assueta Sacræ Congregationis æquitate universalem inductam esse consuetudinem, ut Canonici, qui quadragenarium continuum, & laudabile servitium exhibuerunt, indulto jubilationis donentur pro lucrandis integre fructibus, & distributionibus *Bened. XIV. de Synod. Diœces. lib.13. cap.9. §.15.*, illudque concedi, etiamsì omne desit in aliqua Ecclesia peculiare statutum jubilationem indulgens, & desit quoque jubilationis exemplum *Ceccop. lucubr. can.lib.2. tit.6. num.8.*, *Fargn. de jurep. part.5. can.7. cas. 2. num.3.*, simulque deficiat senectus, aut mala valetudo *Sac. Congr. in Feltren. Jubilationis* 11. *Janu.* 1721.

Indulgendam idcirco sibi jam septuagenario perpetuam vacationem: maxime cum nullum ex ea Cultus Divini detrimentum emergat *Ceccop. d. lib.2. tit.6. num.10.*, & contra obligationem ipse emiserit de omnibus oneribus Dignitati annexis sive per se, sive per alium implendis *Sac.Congr. in Senen. 16. Martii* 1726., ac demum possit Episcopus quan-

quandocumque indultarium ad Ecclesiæ servitium juxta varias necessitates pro suo arbitrio revocare *Bened. XIV. de Synod. Diœces. lib.13. cap.9. §.15.*, *& Scarfant. ad Ceccop. addit.3. num.19.*

Ambigi vero non posse de continuo, ac laudabili quadragenario servitio: id luculenter probari ex testibus numero pluribus coram Episcopo examinatis, nec id a Capitulo fuisse impugnatum, nisi postquam actum est de lucrandis etiam distributionibus: ad meram propterea emulationem, vel injusti lucri cupiditatem referendam esse Capituli contradictionem, testesque ab eodem adductos spernendos prosus esse, ut Capituli mercenarios, nullam causæ scientiam reddentes, contradictoria, & inverosimilia de mera credulitate deponentes, & aperto mendacio ab aliis testibus numero pluribus, certamque causam scientiæ reddentibus convictos.

Episcopus Anno 1764. retulit = *In actis ad mei instructionem in hac Curia actitatis Capitulo Canonicorum hujus Almæ Sedis, atque Archidiacono majori communicatis, ipsisque auditis constat, præfatum Archidiaconum majorem quadraginta duorum annorum spatio horis canonicis personaliter, & continuò interfuisse, exceptis aliquibus intervallis, sive temporum spatiis, quibus infirmabatur, vel ægritudinem aliquam patiebatur, vel causa recreationis, ut mos est in hac alma sede, ab eadem proficiscebatur; Ita ut in quadraginta duobus annis verificetur per duodecim annos horis nocturnis, & diurnis interfuisse, & per reliquos triginta horis tantummodo diurnis, per primos octo annos uti coadjutorem, per reliquos triginta quatuor annos, defuncto jam suo Principali, tamquam Principalem.*

Ac demum relatis testium depositionibus concludit = *Hæc sunt EE. DD., quæ in actis certo certius constant, quæque satis meo judicio demonstrant, residentiam personalem Archidiaconi majoris in hac Ecclesia fuisse continuam, atque laudabilem, quod ipsis trium testium declarationibus a Capitulo productorum sufficienter evincitur, a testibus antea per Archidiaconum majorem productis declaratur, atque ab omnibus notitiam hujus controversiæ habentibus a me secreto interrogatis fatetur, atque supplicationem gratiæ supplicatæ suadere videntur.*

Nullum de perpetua ob solum longum servitium vacatione, ex juris canonici sanctione privilegium habetur, cum tamen in lege Mosaica Levitæ post diutinum accuratum servitium, ab omni deinceps onere, & laboribus renunciarentur immunes *Numer. cap.* 8. itemque veteranis militibus post vicena stipendia emeritis honesta missio, & a belli laboribus immunitas concederetur *leg. a muneribus ff. de vacat.*, *& excus. muner.*, *& leg.* 1. *Cod. de Veteran.*; ita in aliquibus Ecclesiis sensim vel statuto, vel consuetudine usus invaluit, ut Canonici, vel Beneficiati post præstitum certo statuto tempore continuum laudabile servitium, de-

inceps perpetua vacatione donarentur, eo etiam intuitu, ut ſpe hujus immunitatis alacriores redderentur ad diligentius ſervitium.

Verum cum Concilium Tridentinum ſanxiſſet = *Non liceat vigore cujuslibet ſtatuti, aut conſuetudinis ultra tres menſes ab iiſdem Eccleſiis quolibet anno abeſſe, ſalvis nihilominus earum Eccleſiarum conſtitutionibus, quæ longius ſervitii tempus requirunt ſeſſ.* 24. *cap.* 12. *de Ref.*, dubitatum fuit, an abrogatæ forent omnes conſuetudines peculiares, vel ſtatuta Eccleſiarum, quæ jubilationem poſt certum ſervitii tempus concedebant. Negativam ſententiam tenuit *Ceved. collect.* 15. *ad* 6. *num.*8., Affirmativam *Navar. conſ.* 12. *de Cler. non reſid.*

Hinc cum in *Eccleſia Compoſtellana* ſtatutum eſſet, & immemorabilis temporis uſus invexiſſet, ut beneficiati poſt quadraginta annos vacarent ſine ulla fructuum, & diſtributionum jactura, prima poſt Concilium petiit declarari, *An ſalva dicta Tridentini ſanctione, præmiſſum ſtatutum quoad conceſſionem emeritæ requiei poſt quadragenarios labores inter beneficiatos dictæ Eccleſiæ in futurum, pro ut hactenus, ſervari queat*. Et ſan. mem. Gregorius XIII. *Audita relatione Congregationis Concilii dixit tollerandum eſſe hoc Statutum lib.* 2. *decret. pag.*60.

Hæc tollerantia licet ex peculiaribus cauſis; nempe *ob non bonam aeris temperiem loci, rapidis ventorum flatibus fere continuo concuſſam, & frequentibus maritimis procelloſis pluviis conturbatam, nec non prolixum, & nocturnum in dicta Eccleſia in Divinis aſſiduum obſequium, adeo ut fere nullus, vel rariſſimus quadragenarium miniſterium ratione ſui beneficii in ea facere queat*, in cauſa fuit, ut indiſcriminatim deinde, & promiſcuus harum conceſſionum uſus in Eccleſiam manarit, & quaſi in jus proceſſerit, ut poſt *quadraginta annos* omnimoda ceſſatio, & perpetua vacatio cum integra fructuum, & diſtributionum perceptione petatur, & concedatur quotidie.

Verum ad obtinendam jubilationem non ſufficit ſervitium annorum 40., niſi probetur fuiſſe *continuum*, & *laudabile* juxta Sacræ Congregationis praxim, ut colligitur ex ipſam formula indulti: hinc vel denegata fuit jubilatio, non obſtante ſervitio 40. annorum, ſi hoc non fuit continuum, & laudabile ut in *Romana Jubilationis* 6. *Auguſti* 1712., vel jubilatio, quamvis conceſſa, fuit revocata, ſi poſtea conſtitit, illud non fuiſſe continuum, & laudabile, ut in *Maceraten. Jubilationis* 8. *Martii* 1698.

Quæ vero obtentæ vacationes a Choro impediant, quominus ſervitium, pro continuo habeatur late definivit S. Congregatio in *Dubiis Jubilationum* 17. *Dec.* 1718., quibus propoſito I. *An indulgenda ſit jubilatio Canonicis, & beneficiatis, qui ſpatio* 40. *annorum Eccleſiis inſervierunt, licet dicto temporis ſpatio*

cum-

cum debitis licentiis, & indultis abfuerint ab Ecclefiis, & vel ex caufa infirmitatis, vel ex caufa ftudiorum, vel pro fuæ Ecclefiæ fervitio, vel ratione munerum, pro quibus obtinuerunt indulta abeffendi pro diebus, & horis, vel indulto fimpliciter & abfolute abeffendi ab Ecclefia, durante officio ipfis comiffo, refpondit *Affirmative quoad abfentes ex caufa infirmitatis cum debitis licentiis, & indultis, vel pro fuæ Ecclefiæ fervitio, vel cum indulto abeffendi pro diebus & horis, negative autem quoad abfentes ex caufa ftudiorum, & quoad habentes indulta abeffendi abfolute, durante officio*

Nihil tamen refert, an fervitium quadragenarium uniforme, vel difforme fit. Nam illi, qui partim tamquam Clericus Beneficiatus, partim tamquam Beneficiatus Ecclefiæ Lateranenfis per quadraginta annos infervi it, data fuit jubilatio in *Romana Jubilationis* 12. *Decembris* 1699. : item juxta praxim Sac. Congregationis nunquam ei negata fuit, qui partim tamquam coadjutor, partim tamquam Principalis, quadragenarium fervitium præftitit ut in *Brixien.* 27. *Martii* 1683., *in Novarien.* 4. *Aug.* 1691., *in Bergomen.* 11. *Februarii* 1695., *in Bergomen. Jubilationis* 8. *Augufti* 1716., *& in citattis Dubiis Jubilationum* 17. *Decembris* 1718., quibus propofito II. *An indulgenda fit jubilatio illis, qui infervierunt fpatio annorum* 40., *fed partim in una Ecclefia, partim in alia, aut tamquam Canonici in ambabus, aut tamquam beneficiati in una, & Canonici in alia; nec non illis, qui in una, & eadem Ecclefia per totum tempus infervierunt, fed partim tamquam Clerici beneficiati, & aliquando partim tamquam beneficiati, partim tamquam Canonici, vel partim tamquam coadjutores, & partim tamquam Principales, & titulares*, refpondit *negative ad primam partem affirmative ad fecundam*.

Hæc autem fecumfert jubilatio, ut ea præditus omnes fructus capiat, & diftributiones, ut in *Viterbien.* 26. *Augufti* 1628., *in Romana* 13. *Maii* 1651., *in Romana* 19. *Aprilis* 1692., *& in Leodien. jurium Parochialium* 19. *April.* 1704., etiam extraordinarias, ut in *Burgi S. Donnini* 19. *Aprilis* 1704. *& in Mantuana Jubilationis* 16. *Martii* 1737., itemque emolumenta anniverfariorum, quæ dantur in anno, nifi expreffe aliter Teftatores dixerint ut in *Novarien. Jubilationis* 29. *Novembris* 1681. *in Lunen. Sarzanen. Jubilationis* 30. *Aprilis* 1684. : imo etiam fallentias, ut in *Reatina Diftributionum* 19. *Aprilis* 1692., *& in Aquipendii jubilationis* 23. *Martii* 1697. Et ut nihilominus immunis fit ab omnibus oneribus, & functionibus Canonicalibus, ita ut nec per fe, nec per alium ad eas implendas teneatur, ut præfertim de Miffa Conventuali refpondit Sac. Congr. in *Aquipendii jubilationis* 23. *Martii* 1697., *& in Senen. Celebrationis, & Applicationis Miffæ Conventualis* 12. *Maii* 1759., & *in Civitatis Caftellanæ* 20. *Septemb.* 1766. ; imo nec ad refidendum tenea-

teneatur, ut in *Sancti Angeli in Vado* 15. *Aprilis* 1690., *in Patavini jubilationis* 9. *Iunii* 1714., *& in Dubiis jubilationum* 17. *Decemb.* 1718. *ad V. Dub.*

De oneribus vero adnexis dignitati obtentæ a Canonico jubilato, in una *Fulginaten.* 22. *Novembris* 1619. hæc habentur: *Joannes Baptista de Justis, attento servitio* 40. *annorum, & ultra uti Canonicus, & Decanus Ecclesiæ Cathedrali præstito, jubilationem obtinuit, nuper autem collato sibi a SSmo Prioratu ejusdem Cathedralis supplicat; vel sibi novam jubilationem concedi, vel potius declarari, eamdem sibi prodesse jubilationem respectu Prioratus. Sacra &c. audita relatione Episcopi Fulginaten., & attento quadragenario servitio, & ultra laudabiliter, & continuo præstito in eadem Cathedrali, censuit Oratorem nova jubilatione non indigere, sed jam obtentam sub die* 18. *Decembris* 1688. *eidem suffragari etiam respectu Prioratus, de quo fuit nuper a SSmo provisus in omnibus, & per omnia servata forma ejusdem indulti*: Et in *una Senen.* 16. *Martii* 1726. proposito *An indultum jubilationis concessum Fabio Ballato olim Canonico Ecclesiæ Metropolitanæ Senen. eidem suffragetur post obtentam in eadem Ecclesia Dignitatem Decanatus*, respondit *Affirmative, dummodo in solemnioribus inserviat*.

Cautum tamen diligentissime fuit, ne per has concessiones cultui divino inferretur detrimentum, quod si evenerit, etiam jubilatus ad inserviendum vocatur, ut in *Aquilana* 27. *Septembris* 1659. *ad III. Dub. in Sabinen.* 2. *Octob.* 1717., *& in Dubiis jubilationum* 17. *Decemb.* 1718., quibus proposito IV. *An non obstante jubilationis indulto, jubilatus cogi possit ad inserviendum, si Divinus cultus detrimentum patiatur*, Sac. Cong. respondit *Affirmative*: quare datæ sunt semper arbitrio Episcopi & aliquando etiam expresse cum facultate revocandi ad servitium, si Ecclesiæ status ita postulasset.

Qua itaque EE. PP. juris Sacri peritia egregie ornantur sententiam dicent.

An sit locus indulto jubilationis in casu &c.

Die

Die Sabbathi 4. Junii 1768. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

TRes Causas, quæ priores in ordine recensentur Eminentissimi PP. descriptas invenient in folio præcedentis Congregationis, pro cujus reassumptione rogantur. Super his igitur, aliisque in hodierno folio notatis, sapientissimum EE. VV. judicium desideratur.

NOVARIEN.

Sess. 23. cap. 1., & sess. 25. cap. 5. de Reform.

I. *An Parochi Ecclesiæ S. Mariæ Majoris Vallis Vigletii, & eorum pro tempore successores teneantur, scilicet aliquis eorum, singulo die Mercurii cujuslibet hebdomadæ ire ad celebrandum per se ipsum Missam in Ecclesia Curæ S. Silvestri de Druonio in casu &c.*, & quatenus affirmativè

II. *An iidem Parochi teneantur applicare dictam Missam pro Populo Curæ S. Silvestri, in casu &c.*

Ad I. Negativè, & amplius. Ad II. Negativè, & amplius.

NULLIUS, SEU FARFEN. CANONICATUS.

Sess. 24. cap. 15. de Reform.

I. *An in prima proxima vacatione sit locus dismembrationi Canonicatus de jurepatronatus Societatis S. Laurentii Terræ Tophiæ a Massa Communi Capitulari Collegiatæ dicti loci, in casu &c*, & quatenns negative

II. *An Societas S. Laurentii teneatur supplere fundum dicti Canonicatus usque ad annua scuta 30., & in eadem summa respectivè manutenere, in casu &c.*

III. *An hujusmodi augumentum solvendum etiam sit a Societate*

pro

pro annis præteritis, in quibus Capitulum non percepit integrè dicta annua scuta 30., in casu &c.

Dilata.

Sess. 24. cap. 12. de Reform.

DERTHUSEN. JUBILATIONIS.
An sit locus indulto Jubilationis, in casu &c.

Non proposita, attento obitu Oratoris.

Sess. 24. cap. 4. de Reform.

ASCULANA MATRIMONII. Matrimonium iniit mense Aprilis anni 1765. Dominicus Cruciotti Villæ Turris S. Luciæ cum Francisca Guajani Villæ Tallacani coram hujus Villæ Capellano Curato Dionysio Antici, & duobus testibus. Traducta vix Sponsa ad domum Viri, rumor invaluit, eam simulatum præstitisse consensum in matrimonium; Quare, suadente Sponsæ Patruo Parocho Villæ S. Savini, ut falsus rumor evanesceret, ambo Conjuges consensum coram proprio Sponsi Parocho renovarunt.

Paucis inde revolutis diebus, Sponsa a Viro divertens, Villam Tallacani, & maternam domum repetiit. Initio autem mensis Julii ejusdem anni 1765. Joanna Sponsæ mater querelam detulit ad Curiam Episcopalem Asculanam de stupro ante conjugium, & de incestu deinde admisso a Sacerdote Nicolao Cruciotti cum Francisca Fratris Uxore. Magna hinc actorum mole conflata, contra Sacerdotem Nicolaum contumacem die 28. Maji 1766., lata fuit sententia eum damnans ex causa dicti stupri, & incestus Ergastulo ad septennium.

Dum hæc agebantur contra Sacerdotem Nicolaum in Curia Asculana, Dominicus Sponsus institit, ut cogeretur Uxor ad secum cohabitandum, sibique restitueretur; sed edito decreto differente cohabitationem, usque dum processus stupri, contractæque ante matrimonium affinitatis completus fuisset, Dominicus ab hac dilatione provocavit: Causaque ad Sacram Congregationem delata, completisque criminis actis, iisque transmissis, postulat nunc Dominicus Vir, ut matrimonium validum renuncietur, & cogatur Uxor ad simul cohabitandum.

Inquit, rem esse de matrimonio jam contracto, ac consummato: non aliter proinde dissolvendum esse, nisi certò constet de impedimento affinitatis *cap. ex literis* 24. *de testibus*,

cap.1. de consanguin.; ac nonnisi testes omni exceptione majores in hoc judicio esse admittendos *cap.super eo 22. de testib.*, *& cap.super eo 3. de eo qui cogn. consang.*

Apertam vero calumniam præseferre affinitatis querelam in Curia Episcopali deductam: clare id evinci ex summo studio, & desiderio Capellani Antici, ne matrimonium iniretur, & ut initum dissolveretur sub specie, modo consensus simulati, modo stupri per Levirum ante matrimonium illati: ex ardenti rursus Sponsæ desiderio nubendi cum Ascensio Tramazini, propter quod causam utramque alteram post alteram simulaverit; ex impudentia etiam ipsius Matris accusantis, quæ filiæ pudori non pepercit: ex ipsa insuper cunctatione querelæ ad id tempus delatæ, quo non amplius de delicto constari posset ex inspectione Mulieris: ex conspiratione præterea Capellani Antici, Ascensii Tramazini, Sponsæ, & Matris Sponsæ in Sacerdotem fratrem, summoque odio, æmulatione, & invidia: ex muneribus quoque in hanc rem Capellano, aliisque datis: & demum ex curis tam ante, quam postea impensis ad seducendam Sponsam, ne iniretur matrimonium, & contractum irritaretur.

Nec quidquam contrarium evinci ex actis criminalibus; in his enim Sponsam de stupro testimonium tulisse: cæteros testes solum de auditu ab eadem Sponsa, vel de publica fama ab ipsa Sponsa evulgata testari: Eosque esse vel consanguineos, vel inquisitos, vel pessimis moribus imbutos: inepta autem hæc omnia esse ad matrimonium dissolvendum, *Leg. Quoniam liberi* 10. *Cod. de testibus*, *Pirrhing in jus canon. lib.*4. *tit.*13. *§.*13. *num.* 17., etiamsi Sponsa sub sibillorum tormento delictum confirmaverit *Farinac.cons.*216. *in pr.*, *& quæst.*43.*num.*99.

Imo contendit, delictum undique excludi tum ex optima per Sacerdotem fratrem usque nunc habita vivendi ratione tum ex nulla unquam per eum habita dormitione in domo Sponsæ: tum ab aliis conjecturis, & argumentis desumptis vel ex inverosimilitudine, quod Sponsa ad vitandum stuprum Matrem non evocaverit in proxima mansione dormientem: vel ex matrimonio, quod postea hilari, ac pacato animo contraxit: vel demum ex diuturno silentio, quod deinceps habuit. Hinc concludit, calumniosam, & improbam esse accusationem matrimonii nulliter contracti, Sponsamque esse cogendam ad cohabitationem cum Viro, juxta præceptum Apostoli *ad Roman. cap.*7., nec non *ad Corinth. cap.*7.

Defensor matrimonii pro suo officio pugnat contra nullitatem matrimonii: Ait enim, excepto examine Franciscæ Sponsæ, etiam sub sibillorum tormento confirmato, nullam aliam haberi delicti probationem: ac cæteros testes de auditu tantum ab ipsa Sponsa, cui credendum non est, depo-

nere. Vel saltem postulat judicium differri, usque dum in gradu appellationis abstersum, sublatumque remaneat quodcumque impedimentum ab asserto stupri crimine desumptum.

Affinitas, quæ *est personarum proximitas ex coitu proveniens, omni carens parentela gloss. in declar. arbor. affin. caus. 35. quæst. 5.*, de jure antiquo dirimebat matrimonium usque ad septimum gradum *cap. nullum, & cap. æqualiter caus. 35. quæst. 3.*; at novo, & hodierno jure affinitas ex copula licita, idest conjugali, dirimit matrimonium tantum usque ad quartum gradum *cap. non debet 8. de consanguin., & affin.*; illa vero, quæ oritur ex copula illicita, idest fornicaria, vel adulterina solum dirimit matrimonium usque ad secundum gradum, ut expresse statuit *Conc. Trident. sess. 24. de Reform. Matrimon. cap. 4.* his verbis: *Præterea Sancta Synodus gravissimis de causis adducta impedimentum, quod propter affinitatem ex fornicatione contractam inducitur, & matrimonium postea factum dirimit, ad eos tantum, qui in primo, & secundo gradu conjunguntur, restringit, in ulterioribus vero gradibus statuit, hujusmodi affinitatem matrimonium postea contractum non dirimere.*

De modo autem probandi impedimentum affinitatis, communiter distinguitur; vel enim agitur de matrimonio nondum contracto, & tunc ad illud impediendum levis sufficit affinitatis probatio: vel agitur de matrimonio jam contracto dirimendo, & tunc requiritur probatio plenissima: ita respondet Alexander III. *in cap. super eo 22. de testib. Respondemus, quod si non est firmatum matrimonium inter eos, Matre asseverante, ipsos esse consanguineos, non debent conjungi: si vero matrimonium est firmatum, non debet sine plurium juramento dissolvi.*

Hinc idem Alexander III. *in cap. 3. de eo, qui cogn. consanguin.* hæc habet: *De illo, qui Uxorem Fratris, antequam ei matrimonio jungeretur, se proposuit cognovisse, respondemus, quod nisi hoc publicum, & notorium fuerit, aut idoneis testibus comprobatum, prædictum matrimonium occasione illa ipsum impetere non permittas.*

Quare dum agitur de inito matrimonio dissolvendo, nequidem sufficit unisona confessio utriusque Conjugis de contracta affinitate; etiamsi pars viciniæ eamdem acclamaret, ut respondit Cœlestinus III. *in cap. super eo 5. de eo qui cogn. consanguin.*: *Super eo, quod postulasti edoceri, utrum conjugatus, qui ante contractum matrimonium Uxoris suæ consanguineam carnali commixtione cognovit, cum id fateatur uterque, & aliqua pars viciniæ hoc acclamare dicatur, sit ab Uxore sua judicio Ecclesiæ separandus, tuæ fraternitati respondemus, quod propter eorum confessionem tantum, vel rumorem viciniæ separari non debent, cum & quandoque nonnulli inter se contra matrimonium velint colludere, & ad confessionem incestus facile prosi-*

li-

lirent, si suo judicio crederetur per judicium Ecclesiæ concurrendum: Rumor autem viciniæ non adeo est judicandus validus, quod nisi rationabiles, & fide dignæ probationes accedant, possit bene contractum matrimonium irritari.

Ac in eodem judicio audiendi non sunt, nisi Testes probatæ vitæ, & opinionis, juxta celeberrimum Alexandri III. responsum *in cap. in literis 24. de Testib.*, ibi: *Quidam nobilis tui Episcopatus quamdam sibi legitimè copulans, cum eam in domo fere per septennium tenuisset, consobrinam Patris ejus antequam eam duceret, se asseruit cognovisse. Ad quod probandum testes de familia sua tres produxit. Respondemus igitur, ut (si res ita se habet) pro illorum testimonio, ipsum ab Uxore nulla ratione dividi patiaris, nec contra ipsos aliquos audias, nisi probatæ essent vitæ, & opinionis, de quibus verosimile non esset, quod deberent pro aliquo dejerare.*

Hisce præmissis, præstat, silente Francisca Uxore, singula referre, quæ ex actis criminalibus resultant, & inter monumenta Causæ non habentur. De eodem stupro ante conjugium patrato a Sacerdote Cruciotti amplè deposuit ipsa Francisca Uxor, suamque depositionem etiam sub sibillorum tormento confirmavit: Joanna Mater Sponsæ delictum hoc coadjuvat, deponens, adveniente die noctis secuti stupri vidisse Sponsæ cubile sanguine aspersum: ac cæteri testes numero plures deponunt tantum de eodem stupro vel ex publica fama, vel ex auditu a Matre, vel a Sponsa, insimulque testantur de mala fama, ac effœminata indole Sacerdotis Cruciotti.

Perpendendum hinc, an hæ probationes pares sint ad contracti matrimonii dissolutionem. Sacra Congregatio in una *Ravennaten. Matrimonii*, qua stuprum non tam ex publica fama, quam ex plurium testium depositione evincebatur, cum Testes ob varias contractas inimicitias aliquas paterentur exceptiones, proposito *An constet de validitate Matrimonii, in casu*, respondit die 13. Septembris 1721. *Non constare de nullitate Matrimonii.*

Quæritur

An constet de nullitate Matrimonii, seu potius sit locus coactioni, in casu &c.

Dilata, & ad mentem.

CAMERINEN., SEU FABRIANEN. MATRIMONII. *Sess. 24. cap. 1. de Reform.*

Invaluerat in Civitate Fabriani rumor de matrimonio, quod die 4. Februarii 1760. inter Comitem Ludovicum de Vecchis, & Franciscam Urbani ejus Matris Cubiculariam ferebatur contractum. Ratum illud fuisse Parochus testa-

batur, irritum verò contendebat dictus Comes Ludovicus, tum ex defectu *consensus*, cum per jocum nonnulla familiaria verba coram Parocho protulisse contenderet, tum ex defectu *formæ*, cum duo Testes, qui aderant, nihil certi intellexerint, quemadmodum in extrajudiciali depositione asseruerant. Hinc die 27. Junii 1761. tria dubia Sacræ huic Congregationi proposita fuerunt I. *An constet de Matrimonio*, & quatenus Affirmativè II. *An sit locus coactioni*. III. *An sit locus subministrationi alimentorum, & sumptuum litis in casu &c.* = Rescriptumque fuit: Ad I. *Dilata, & examinentur Testes formiter*. Ad II. *Dilata*. Ad III. *Affirmative, & ad D. Secretarium pro taxatione*.

Peracto formali Testium examine, cum eorum dicta contradictiones continerent, nec satis claré explicarent substantialia facta, & circumstantias, hinc in examine reperito die 11. Septembris 1762. necesse fuit, ut responderetur: *Dilata, & denuò examinentur Testes formiter in Urbe juxta instructionem, & ad mentem*.

Interea pertractata Concordia, Francisca consilium iniit claustralem vitam eligendi; Comes verò Lodovicus spopondit ei subministrare sumptus omnes ad hoc propositum exequendum, præter annua scuta tria, quoad viveret: Sed, renuente Episcopo eamdem Franciscam ad habitum Religiosum admittere, nisi Sacræ Congregationis judicium accederet, oportuit idcircò die 28. Septembris 1765. aliud dubium disputare = *An liceat Franciscæ Professionem emittere in casu &c.* = Dubitatum autem tunc fuit, num matrimonium, quatenus validè contractum foret, dici posset consumatum; & EE. PP., ut omnia accuratius illustrarentur, nihil hac super re statuendum censuerunt, nisi expleto prius formali Testium examine, quare rescripserunt = *Dilata, & in decretis sub die* 11. *Septembris* 1762.. Vid. folium diei 4. Augusti 1765.

Traductis itaque ad Urbem duobus Testibus, examinati hi fuerunt coram Eminentissimo Pirellio Sacræ hujus Congregationis tunc emeritissimo Secretario, adstante etiam Matrimonii Defensore. Nunc propterea instauratur disputatio eorumdem dubiorum, quæ hactenus indecisa remanserunt.

Ad I. animadvertit Comes Ludovicus, Concilium Tridentinum *sess*. 24. *cap*. 1. *de Reformat*. non alia de causa duorum, vel trium Testium præsentiam in matrimoniis celebrandis præscripsisse, quam ut de matrimonio certò constaret, idque a Testibus posset affirmari. Hinc infert, ex Theologorum, & Canonistarum opinione Testes matrimonii non tantum materialiter, & physicè præsentes esse debere, sed etiam moraliter, & humané, ita nimirum, ut mutuum Contrahentium consensum percipiant, atque intelligant.

His

His præmiſſis, conſtare dicit ex apertiſſimis Teſtium depoſitionibus juramento firmatis, ipſos minimè audiviſſe verba a Contrahentibus prolata, quamvis eodem in cubiculo manerent. Teſtium autem juramento deferendum omninò eſſe, cum agatur de re, quæ ab animo pendet, & aliis nequit innoteſcere, *Cyriac. controv.*245.*num.*30., *Rot. coram Buratt.decis.*179.*num.*12.,*&* *decis.*876.*num.*13. *coram Anſaldo*. Maximè quia juramentum ab iis emittitur, quorum nihil intereſt, matrimonium vel firmum, vel nullum declarari *Zypæus lib.* 4. *de Sponſ.*, *&* *Matrimon. conſultat. canon.* 3. *num.primo*, *Urſaya diſceptat. Eccleſ. tom.* 8. *part.*1. *diſcept.* 14. *num.* 60. *&* 62.

Inveroſimile autem non eſſe, Teſtes, licet in eodem cubiculo exiſtentes, Contrahentium verba non audiviſſe. Advertit enim, eos minimè fuiſſe rogatos, ut matrimonio adeſſent, atque idcircò intentos haud eſſe debuiſſe verbis ab aliis prolatis: Parochum verò ſeorſim accitum fuiſſe ad nonnullorum paſſuum diſtantiam: Contrahentes demum verſos in Parochum, iſtique proximos fuiſſe loquutos.

Negat præterea, Teſtes affectare, ſe non audiviſſe, & non intellexiſſe verba Contrahentium. Affectationem quippe tunc ſolum admitti, quando ipſi in cauſa fuiſſent, ne verba audirent, aut intelligerent, obſtruendo aures, aufugiendo, vel aliud quid ſimile peragendo, ut notat *Benedict.XIV. de Synod.Diæceſ. lib.*13. *cap.*23. *§.*10. Horum autem nihil a Teſtibus actum fuiſſe; & quatenus etiam aliquid ejuſmodi egiſſent, nihilominus non cenſeri probatum contractum matrimonii, nam ea, quæ de Parocho affectante non intelligere diſponit *Concil.Trident.ſeſſ.*24. *cap.* 1. *de Reform.* trahi non poſſint etiam ad Teſtes *Conſtantin. adnotat. ad vot.* 526. *num.* 162. *&* *ſequen. tom.* 4. *edit. Venet. ann.* 1759.

Nec obeſſe, quod Teſtes vix prolatis a Parocho verbis illis = *in faciem Eccleſiæ* = intellexerint, mutuum interveniſſe conſenſum Contrahentium. Reſpondet enim, conſenſum deprehendi non poſſe, niſi ex ipſorum Contrahentium verbis, aut ſignis *Leuren. For. canon. lib.* 4. *tit.*3.*quæſt.*153. *num.* 2., *Girilald. oper.moral. tom.*3. *tract.*10. *cap.*7. *dub.* 12. *num.* 92., *Clericat.de Matrim.decis.*35.*num.*21., non ex illatione a verbis alterius educta.

Eo vel magis, quia Teſtium præſentia non ad ſolam matrimonii probationem præſcripta fuit, ſed etiam ad illius formam. *Clericat. loc.citat.*, *Rot. in Florentina Matrimonii decis.*657.*num.*1., *&* *in Vicentina Matrimonii dec.*308. *num.primo coram Dunozet.Sen.*. Et propterea, mutuum Contrahentium conſenſum non per æquipollens, ſed in forma ſpecifica percipi a Teſtibus debuiſſe *Urſaya tom.* 1. *part.* 12. *diſceptat.* 2. *num.* 140.; & interveniſſe oportere ipſo tempore, quo actus in eſſe producebatur, *Clericat. loc. citat.*, *Juſt. de diſpen-*

pensat.Matrim. lib.2. cap.10. num. 100. . Concludit proinde, nullam habendam esse rationem de Testibus Matrimonii, quippe qui non exContrahentium verbis,sed ex illisParochi mutuum consensum perceperunt, neque eo temporis puncto, quo illum Contrahentes præstiterunt, sed longè post, ut in examine affirmarunt.

Advertit denique, frustra in præsenti controversia allegari regulam illam, quod in dubio standum sit pro Matrimonio. Hanc enim regulam locum habere putat in dubio juris, non autem in dubio facti, *Ursaya tom.2.part.2.discept.1.num.68., Oliver. de nullit.Matrimon. part.3.fol.77., Rot.dec.227.num.5. coram Tanar.*. Neque procedere, quando matrimonium fuit clandestinè contractum contra formam a Concilio traditam; nam hoc notabilem habet contra se suspicionem,*Ursaya to.3. part.1.discept.1.§.9.num.19., Monacell.Formul.For.Eccles.to.2. tit.16.form.2,num.28.*

De II. dubio nihil dicit, cum a definitione primi dependeat de secundo judicium.

Quoad III. ea repetit, quæ in præcedentibus scriptis anni 1765. deducta fuerunt, atque in folio ejus anni recensentur. Addit tamen, ex novissimo formali Testium examine in Urbe expleto, manifestam fieri *negativam*, ut vocant, *coarctatam*, consummationis matrimonii exclusivam. Ex eo enim colligi, sustinet, Franciscam post tentatum clandestinum matrimonium per paucas horas in domo Comitis Ludovici permansisse, & hoc quidem tempore duos Testes fuisse præsentes, excepto dumtaxat modico intervallo *d'un Miserrere in circa*, quo tamen Comes Ludovicus in cubiculo Matris moratus est. Postquam verò Testes abierunt, permanente adhuc Comite Ludovico in eodem Matris cubiculo, Franciscam fugam arripuisse. Ex his autem necessariò sequi, carnalem copulam fuisse impossibilem.

Defensor verò Matrimonii ad I. dubium contendit, præsumi non posse, quod Testes Contrahentium verba non audierint. Advertit, ipsos in eodem angusto cubiculo fuisse versatos, a Contrahentibus insuper expressa fuisse verba = *con alta, e chiara voce*, ac demum ex iis, quæ viderunt, & audierunt, atque ex facto ipso, rebusque gestis, intellexisse consensum matrimonio præstitum.

Matrimonii perfectionem, etiam post decretum Concilii Tridentini, haberi ex mutuo Contrahentium consensu per Parochum, & Testes præsentes quomodolibet percepto, & intellecto, *Boss. de Matrim. cap.3. §.17. num.47., Rot. in Majoricen. Matrimonii 3. Julii 1748. §.6. coram Canilliac.* Per hanc qualemcumque consensus perceptionem certam haberi, & sufficientem Matrimonii probationem, ac proinde abundè satisfieri menti, & dispositioni Concilii, *Navar. lib.4. de clandest. despons. consil.11., Leuren. lib.4. eodem tit. quæst.53.*

*quæst.*53.*n.*2., *Bened.XIV.de Synod.Diæcef. lib.*13.*cap.*23.*n.*10. *in fin.* . Nec aliter doceri a Doctoribus ab altera Parte adductis .

Advertit etiam, hic agi de Testibus, qui Virum, & Mulierem ambos sibi notos videbant, atque cognoscebant, quique præterea, etsi verba ab ipsis prolata non audivissent, re tamen ipsa intelligere debuerunt quid actum fuerit. Monet denique, plenam habendam esse fidem Parocho, qui de matrimonio coram se, & Testibus contracto testatur *Gratian. discept.*481.*num.*8., *Sanchez de Matrim.lib.*3.*disp.*41., *Ursaya discept.*2.*num.*43.*& seq.*

II. dubio prætermisso, ad III. animadvertendum proponit, Franciscam die 7. Decembris 1760. epistolam dedisse suo in Urbe Procuratori, in qua jurejurando interposito apertissimè professa est, matrimonium eadem die fuisse consummatum. Hujusmodi idcircò confessionem posterioribus declarationibus resistere, eisque fidem minuere ad *Text. in Leg.*2. *ff. de Testib.*

Concilium Tridentinum *sess.*24.*cap.*1. *de Reform. Matrim.* hæc statuit = *Qui aliter, quam præsente Parocho, vel alio Sacerdote, de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus Testibus Matrimonium contrahere attentabunt, eos Sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos, & nullos esse decernit, prout præsenti decreto irritos facit, & annullat* = Certum autem est, Parochi, & Testium præsentiam non corporalem dumtaxat esse oportere, sed etiam moralem, itaut sciant, & intelligant quid agatur, & ut ipsius Parochi, & Testium depositione Matrimonium probari possit, atque hoc pacto malis occurratur ex matrimonio clandestino metuendis.

Ponderandum est itaque, an Testium præsentia in casu, de quo agitur, talis habeatur, qualis ad contractum matrimonii requiritur. Quamvis enim illi die 6.Februar. 1760. affirmaverint = *Partissimo anche noi senza sapere cosa fosse, siccome non lo sappiamo neppur oggi, a riserva di alcune ciarle, che si fanno per la Città* = nihilominus in epistolis ad propriæ conscientiæ exonerationem postea scriptis, & in formali examine, aliter rem se habuisse declararunt. Nam P.Paulus Stufa inter cætera ita dixit = *Avendo inteso il Curato, che disse quelle parole in faciem Ecclesiæ, io capii, che si fossero sposati* = deindè dixit Franciscæ = *Sei trista, l'hai fatta, stà forte, che è fatto.*

Inspectio itaque erit, an sufficiat, quod Testes, etsi non intellexerint verba, quibus Contrahentes mutuum consensum interposuerunt, perceperint tamen ex circumstantiis, atque ex facto ipso, rebusque gestis, illos præstitisse consensum in matrimonium; vel potius necesse sit, ut consensus *præcisè, & in forma specifica* a Testibus percipiatur, & intelligatur; quod est præsentis inspectionis subjectum.

Vul-

Vulgatissima res est, ac firmissima Sacrorum Canonum, & Ecclesiæ doctrina, posse quemlibet ex Conjugibus a matrimonio tantum *rato*, & non consummato resilire, ut statum Regularem amplectatur, *Alexand.III. in cap. Verum 2.*, *Innocent.III. in cap.Ex parte 14. de convers.Conjug.*, *Concil. Trident. sess. 24. can. 6. de Matrimon.*, idque procedere altero etiam Conjuge invito, ac repugnante, *d. cap. Verum de convers. Conjug.*

Quamvis autem super non sequuta matrimonii consummatione, haud ita facile deferri soleat Conjugum assertionibus, quoties utrique ad alias nuptias transire contendunt, nihilominus quando alter ex Conjugibus perpetuam agere vitam in Monasterio desiderat, ejus assertioni non immeritò fides adhibetur, *Gloss. in cap.1. verb.probari de frigid.*, cum præsumi non possit, ipsum dimittendo Conjugem velle per falsitates, & mendacia Deo se vovere *Canon.2. caus.33.quæst.1.*,*Innocent.in d.cap.1.de frigid.*,*de Just.de dispensat. lib.2.cap.14.num.107.*

Quoniam verò Francisca jurejurando prius asseruit, se cognitam fuisse a Comite Ludovico, postea contrarium pluries affirmavit pari interposito juramento, hinc inquirendum erit, an priori potius, vel posteriori ejus assertioni sit deferendum. Notandum tamen, Franciscam matrimonii consumationem negasse a die 17. Maji 1760., scilicet octo ferè mensibus antequam à suo Urbis Procuratore instrueretur. Hanc autem negationem iterum juramento confirmasse anno 1764. coram Notario, & Testibus. Asseruisse præterea consumationem in epistola scripta ad petitionem, & instigationem sui Procuratoris: Illam secundum Testes esse admodum improbabilem. Ac denique, Comitem Ludovicum illam excludere suo juramento.

Quandoque ubi actum est de consummatione matrimonii, præter juramentum Conjugum, demandata fuit inspectio corporis Mulieris, ut inter cætera contigit in *Neapolitana Matrimonii* 11.*Aprilis* 1761.,in qua pariter quæstio erat de Matrimonio rato, & non consumato ad effectum ingrediendi Religionem. Graviores ibi aderant circumstantiæ, & ea præcipuè, quod conjuges simul condormierant, actumque conjugalem absolvere tentaverant, quæ sanè juris præsumptionem de sequuta copula inducit. Verum in quadam *Januen.* apud *Ursayam tom.3.part.2. disceptat.21.num.134. & seq* inspectionem hanc minimè necessariam Sacra Congregatio existimavit.

Sententia Episcopi, quam pandidit in suis postremis literis diei 26.Februarii 1765., habetur in folio hujus Causæ die 24. Augusti ejusdem anni. Narrat ipse, Testes non audivisse verba, ex quibus matrimonium induci contendebatur. Addit, priorem Mulieris declarationem de matrimonii consumatione extortam fuisse ab illius in Urbe De-

fen-

fensore; aliàs verò Franciscam juramento etiam interposito, contrarium affirmasse; matrimonii consumationem fuisse moraliter loquendo impossibilem. Concludit tandem, petitam a Muliere facultatem, qua admittatur ad Regularem professionem, ex ejus sententia denegari non posse.

Operæ pretium visum est, hæc omnia recensere, ut sapientissimi Patres singulis expensis circumstantiis, prout res postulat, judicium proferant.

I. *An constet de Matrimonio, in casu &c.*, & quatenus affirmativè

II. *An sit locus coactioni, in casu &c.*

III. *An liceat Franciscæ Professionem emittere, in casu &c.*

Ad I. Negativè, & amplius. Ad II. Provisum in primo. Ad III. Provisum in primo.

THELESINA MISSÆ CONVENTUALIS. In relatione statu Ecclesiæ Thelesinæ, Reverendissimus Episcopus narravit, in Collegiata Ecclesia S. Martini Civitatis Cerreti præter Missas 156. cum Cantu, aliasque 2527. sine Cantu pro Benefactoribus in specie, ac præter Missas pro Populo privatas in diebus festis de præcepto, celebrari quidem quotidiè cum Cantu Missas Conventuales, has tamen a limine fundationis non applicari pro Benefactoribus in genere. Datum idcirco fuit eidem Episcopo in mandatis, ut Canonicos moneret ad applicandam Missam pro Benefactoribus in genere. At contextualiter subjunctum ita fuit: *Quod si Canonici onere hoc gravari se nimium conquerantur ob redituum tenuitatem, ad Nos confugiant oportet ad impetrandam diminutionem.* *Sess.23. cap.1. de Reform.*

Supplices itaque modo petunt Canonici, ut Sac. Congregatio declarare dignetur, ejusmodi applicationis oneri se non esse obnoxios.

Exponunt primo Ecclesiæ Collegiatæ originem, eamque repetunt ex unione quinque Parochialium, videlicet Sanctæ Mariæ, S. Bartholomæi, S Angeli, S. Blasii, & Sancti Christophori, nec non ex septem simplicium Beneficiorum adnexione Ordinaria auctoritate anno 1544. facta ab Alberico Jaquinto tunc Episcopo Thelesino, & anno 1548. à san.mem. Paulo III. confirmata. Educunt ex hoc, ipsos teneri tantummodò ad implementum onerum, quibus Parochiales, & Beneficia unita gravabantur; proindeque cogi nullo modo posse ad applicationem Missæ Conventualis pro Benefactoribus in genere, cum onus hujusmodi Parochialibus, & Beneficiis unitis non esset adnexum, *Pasqual. de Sacr.nov.leg.tom.2.quæst.385.num.1.*, *Vrsaya discept.Eccl.tom.2. part.1. discept.32.*

Addunt, tale onus ne lege quidem fundationis, & erectionis ipsis fuisse impositum, cum nil aliud fuerit eisdem injunctum, quam Missas, & alia Divina Officia celebrare, ac curam gerere Animarum dictæ Civitatis. Cessante autem præcisa obligatione in fundatione Collegiatæ, & concurrente contraria consuetudine, nequaquam gravari posse onere applicationis Sacrificii pro Benefactoribus in genere, *Scarfanton. ad Ceccoper. lib.3. tit.4. animadvers.num.2.*

Proferunt etiam redituum tenuitatem, incertamque, ac difficilem illorum exactionem. Asserunt, reditus, deductis oneribus, quæ plura numerantur, vix ascendere ad scuta 16. pro singulis Canonicis; atque hoc tenui emolumento teneri Choro inservire, quamplures Missas cum cantu celebrare, & Animarum curæ incumbere. Hos præterea reditus diminutionis periculo subesse, cum plerumque consistant in censibus ad rationem ducatorum septem, vel octo pro centenario, & Magistratus Neapolis consuevisse annuos censuum fructus ad ducatos quinque in singula centum reducere.

Episcopus Thelesinus, qui super precibus Canonicorum fuit auditus omnia confirmat, & Supplicantium votis annui posse existimat.

Notum est, Missæ Sacrificium inter horas Canonicas minimè referri *cap. Presbyter de celebrat. Miss.*. Comprehendi tamen sub nomine Officii Divini *Can. de iis dist.* 12.. Hinc quemadmodum in Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesiis Divinum Officium quotidiè recitari debet, ita Missa etiam Conventualis debet singulis diebus celebrari, prout apertè præcipiunt Sac. Canones.

Perspicuæ pariter, & unisonæ sunt de hac re Sacræ hujus Congregationis resolutiones, jubentes applicationem Missæ Conventualis pro Benefactoribus in genere; eo prorsus modo, quo Missa Parochialis ab iis, qui curam Animarum gerunt, singulis saltem diebus festis pro Populo sibi commisso applicari debet. Hujusmodi resolutiones legi possunt apud *Merati ad Gavant. part.2. tom.1. pag.*808.

Verum S. Congregatio ob redituum tenuitatem indulgere consuevit, ut Missa Conventualis festis tantùm diebus applicaretur, quemadmodum definivit in *Camerinen. Missæ Conventualis* 5. *Junii* 1706., *in Narnien.* 11. *Junii* 1712., *in Veliterna* 14. *Martii* 1722., *in Spoletana* 23. *Maji ejusd. anni*, *in Ptentina* 19. *Junii* 1728., *in Spalaten.* 23. *Julii* 1729., & alibi passim.

Similiter declaravit, ex injuncta Missæ Conventualis applicatione non censeri imposterum exemptos Canonicos ab aliorum onerum implemento, & Missarum applicatione, quæ de more prius adimplebantur. Hinc in *Ferrarien.* 18. *Martii* 1719. proposito dubio IV. = *An supposita obligatione applicationis Missæ Conventualis teneatur Capitulum imposterum continuare in recitatione nocturni a Mortuis, & in celebratione Missæ*

sa cantatæ cum applicatione prima die cujuslibet mensis non impedita pro Benefactoribus=responsum fuit=Ad IV. *Affirmativè.*

Has omnes resolutiones repetitis vicibus editas Apostolica auctoritate confirmavit san.mem. Benedictus XIV. in Constitutione *Cum semper* 103. *tom.* 1. *Bull.* §. 11., *& seq.*, & providè etiam substulit excusationes, quæ ad declinandam quotidianam Missæ applicationem pro Benefactoribus in genere proferri solebant. Inter cætera verò hæc ad rem faciunt ex §. 19. desumpta = *Alii denique obtenderunt exiguitatem hujusmodi distributionum, quæ, ob detractam Eleemosinam quotidianam pro Missa Conventuali, ad nihilum ferè redactæ, vix foret, ut ab aliquo curarentur, cum magno detrimento servitij Ecclesiæ præstandi, Tridentina quidem Synodus Sess.* 24. *cap.* 15. *opportunas rationes ostendit, quibus Canonicalium Præbendarum inopiæ valeat provideri. Si verò designatam a Concilio viam, ut ferè evenire solet, nequaquam iniri posse contingat, reliquum erit ad Congregationem Concilii recursum habere, cujus erit, perspecto ex vestris relationibus rerum statu, auctoritate Apostolica a Prædecessoribus Nostris eidem impartita, & a Nobis etiam præsentium tenore confirmata, quotidianam applicationem Missæ Conventualis pro Benefactoribus in genere, ut alias, ad Festos tantummodo dies reducere.*

Facile ex hoc deprehendi potest, an applicationi Sacrificii pro Benefactoribus in genere obstet animadversio, quod in Collegiatæ, vel Canonicatuum erectione nulla de hac applicatione mentio habita fuerit. Latè de hoc agunt, & negativam sententiam tuentur *Pignattell. consult.* 321. *num.* 1. *tom.* 1., *Ursaja discept.* 32. *num.* 7. *tom.* 2. *part.* 1.. Perspicua sunt Sac. Congregationis responsa in *Eluen.* 4. *Maij* 1646. *ad IV. dub. lib.* 18. *decret. fol.* 97., in *Alexandrina* 26. *Aprilis* 1653. *lib.* 19. *decretor. fol.* 409., in *Burgen. S. Donnini Missæ Conventualis* 16. *Maij* 1716. *lib.* 66. *decret. fol.* 223., & in *Asculana onerum* 8. *Maij* 1734., & 19. *Januarij* 1735.

His itaque perspectis EE. PP. dijudicabunt

An Capitulum, & Canonici Collegiatæ Parochialis Ecclesiæ Civitatis Cerreti teneantur celebrare, & respectivè applicare Missam Conventualem pro Benefactoribus in genere, & quibus diebus, in casu &c.

Dilata, & firmetus status coram Ordinario servatis servandis.

VIGILIEN. INSIGNIUM. Mansionariis, seu Hebdomadariis Cathedralis Ecclesiæ Vigilien., die 30. Februarij 1763. tributa fuit ab Episcopo facultas deferendi super *Cottam Almutiam Laneam violacei coloris absque Caputio, ornatam in foraminibus, & nodulis carbosino colore.* Occasione vero S. Visitationis die 24. Decembris 1766. idem Epi- *Sess.* 24. *cap.* 11. *de Reform.*

scopus ordinaria auctoritate mandavit, ut deinceps Hebdomadarii prædicti utantur Almutiis cum caputio Laneo, vel Serico coloris violacei, vel rosæ siccæ, quorum foramina, & noduli sint ornata serico coloris rosæ siccæ.

Non æquo animo id ferentes Canonici Collegiatarum Ecclesiarum S. Adoeni, ac SS. Matthæi, & Nicolai, qui cum Canonicis Cathedralis unum componunt Capitulum, querelas detulerunt ad Sac. Congregationem, & post Episcopi relationem, res modo disputatur.

Contendunt itaque iidem Canonici, Episcopo jus non esse insignia concedendi Almutiæ cum Caputio *Barbosa in Summa decis. Apostol. collect. 20. num.5.*, *Corrad. in prax. benef. lib.2. cap.14. num.1.*; Id Summo Pontifici, de cujus regalibus concessio est, esse privativè reservatum *Gratian. discept. forens. cap.145. num.52.*, *Pignattell. consult.60. num.3. tom.6.*, *Scarphanton. ad Ceccoper. lib.1. tit.7. num.1.*

Nec ad rem facere nonnulla Sac. Congregationis rescripta, quibus Episcopus innititur, cum ea spectent Canonicos, non verò Capellanos, ad quos jus Ordinarijs non protrahitur *Novar. in Sum. Bullar. comment. 85. num. 13.*, *Barbos. loc. citat. num.6.*, *& collect. 302. num.3.*, *Pignattel. cons.59. num.13. tom.6.*. Maximum autem intercedere discrimen inter Canonicos, & simplices Capellanos; hi enim habentur veluti Ministri Canonicorum, nec partem ullam habent in Capitulo *Gonzal. ad reg. 8. Cancell. gloss. 11. n. 12.*, *Pignattel. consult.54. n.5. tom.6.*, *& cons. 60. num. 5.*, *Rot. in Recen. decis.309. num.4.*, *& decis.351. num.2. part.6.*. Atque idcirco Sac. Congregationis decreta, quæ decori consulunt Capituli, nullomodo trahi posse ad Capellanos, sub eorum dispositione non comprehensos *Rot. in Recen. decis.34. num.16. part.11.*, *decis.278. num.12.*, *& 13. par.12.*, *& decis.121. num.7. part.13.*

Minus etiam ad rem facere, ajunt, quod plurimi Mansionarii illustrium Ecclesiarum Regni Neapolis ex Indulto Apostolico donati sint usu Rocchetti, & Cappæ magnæ. Respondent enim, controversiam hic non esse de mansionariis, sed de Capellanis, qui simplices censentur Clerici Canonicorum servitio addicti, nullum Collegium constituentes; quique præterea non ex Apostolico indulto, sed ex Episcopi concessione insignia gestare præsumunt.

Nil demum referre, quod præfata insignia diversa sint ab iis, quibus Canonici, ex Apostolica dispensatione utuntur. Asserunt enim quæcumque ea sint, illorum concessionem sustineri non posse ex defectu Ordinariæ potestatis in Episcopo, & hac de causa habenda esse, ac si concessa non fuissent.

Ex parte Capellanorum, & Promothoris Fiscalis, nihil adhuc habuimus, quin immò Episcopus, ait, se tanti rem non æstimare, ut Promothor Fiscalis curam sibi sumat

mat tuendi concessionem. Rationes tamen, quibus ad eam motus fuit, ita exponit = *Mansionarii in hac Cathedrali Ordinem constituunt, qui, etsi iidem Mansionarii, seu Hebdomadarii, quoad majorem partem, sint ad nutum amovibiles, perpetuus tamen est, & quoddam Collegium facit: quoad majorem inquam partem, novem enim ex iis diebus tantùm Festis Ecclesiæ inservientes, & ad Laicorum præsentationem instituti, Beneficiati sunt perpetui. Cum igitur hic Ordo, seu Collegium Mansionariorum sit perpetuum, nihil obstare vidi, quominus aliquo insigni donari posset. Mansionarii enim illustriorum hujus Regni Ecclesiarum ex indulto Apostolico, ut satis liquet, Rocchetto, & Cappa Magna ornantur* = Deindè enumerans Ecclesias, quorum Mansionarii nonnulla, ac diversa gestant insignia, sic concludit = *Cum tot Mansionariorum Collegia, vel etiam qui sunt ad nutum amovibiles, majoribus insigniis ornentur, & ista Sacra Congregatio in Mileten. 4. Decembris 1591., in Sorana 14. Aprilis 1725., in Terracinen. 25. Ianuarii 1727., Episcopos jure ordinario minora insignia dare posse declaraverit, Mansionarios meæ Ecclesiæ Almutio, & Caputio donavi, insigni ab illo, quo utuntur Collegiatæ, longè diverso.*

S. Gregorius Magnus *l.3. Epist. indict. 11. Epist.96. edit.Maur.*, hæc scribit ad Joannem Ravennatem Episcopum = *Illud autem, quod pro utendis a Clero vestro mappulis scripsistis, a nostris est Clericis fortiter obviatum, dicentibus nulli hoc unquam alii cuilibet Ecclesiæ concessum fuisse: Nec Ravennates Clericos, vel illic, vel in Romana Civitate tale aliquid cum sua conscientia præsumpsisse, nec si tentatum esset ex furtiva usurpatione sibi præjudicium generari. Sed etiamsi in qualibet Ecclesia hoc præsumptum fuerit, asserunt emendandum, quod non concessione Romani Pontificis, sed sola subreptione præsumitur.*

Et *lib.8. indict. 1. epist. 27.* ad Joannem Episcopum Syracusanum, idem Summus Pontifex hæc habet = *Pervenit ad nos, Diaconos Ecclesiæ Catanensis calciatos compagis incedere præsumpsisse; quod quia nulli hactenus per totam Siciliam licuit, nisi solis tantummodo Diaconis Ecclesiæ Messanensis, quibus olim a Prædecessoribus nostris non dubitatur esse concessum, benè recolitis. Quia ergo tantæ temeritatis ausus non est leviter attendendus, cum omni hoc Fraternitas vestra subtilitate requirat, & si ita, sicut ad Nos pervenit, invenerit, utrum a se, vel alicujus hoc auctoritate præsumpserint, Nobis subtiliter innotescat; ut cognita veritate, quid fieri debeat, disponamus.*

Ex his inferunt Canonistæ, facultatem concedendi usum canonicalium insignium, unicè, ac privativè Supremæ S. Sedis auctoritati esse reservatum, & hanc semper fuisse tum Rotæ opinionem, ut in *Thelesina Delationis insignium 4. Iunii 1736. num.2. coram Eminentissimo Crescentio*; tum etiam sententiam SS. Rituum Congregationis, ut in *Comen. 25. Ianuarii 1602., in Placentina 16. Ianuarii 1620., in Leodien. 20. Martii 1728., in Trivicana 28. Aprilis 1731., & in Brugnaten. 28. Novembris 1735.*

Ani-

Animadverti tamen debet, ex insignibus alia esse majora, alia minora; Quamquam nonnulli sentiant, Ordinarias Episcopi facultates neque extendi ad concedenda minora, & præsertim illa simplicis Mozzettæ violacei coloris, & præcipuè *Navar. quæst. forens. part. 1. quæst. 24.* atque etiam *Rota in Isernien. Insignium 1. Iulii 1697. coram Pio, & in citata Thelesina coram Eminentissimo Crescentio*; Prout, & Sac. Rituum Congregatio, ut in *Marsicen. 16. Iunii 1633.*, in *Alexandrina 22. Iunii 1705.*, *in citat. Trivicana, & Brugnaten.*, atque in una *Hydruntina*, cum Archiepiscopus Caputium nigrum, quo prius utebantur Canonici mutasset in violaceum, resolutum fuit, id non licuisse, neque licere sine S. Sedis indulto, quemadmodum refert *Ricciardell. in Lyc. Eccles. tom. 2. cap. 21. num. 22., & 23.*

Nec dissimilis fuit Sententia Sac. hujus Congregationis in *Taurinen. 21. Iunii 1641.*, *in Tarvisina 8. Februarii 1659.*, *& in Neritonen. Plurium 12. Iulii 1760.*, in qua proposito dubio = *An liceat Dignitatibus deferre Mozzettas violaceas, & Portionariis subobscuras* = etsì Dignitates se tuerentur immemorabili consuetudine, Portionarii verò eas ex consensu Episcopi assumpsisse dicerent ante annos 25., nihilominus rescriptum fuit *Negativè in omnibus*.

Omittendum tamen non est, diversam fuisse Sac. Congregationis sententiam, quoad concessionem Minorum insignium Ordinaria Episcopi facultate Canonicis tributam; Nam proposito dubio = *An, & quæ insignia jure suo Ordinario Episcopus conferre possit Canonicis suæ Cathedralis nulla habentibus insignia* = die 5. Julij 1727. sequens prodiit resolutio = *Sacra Congregatio &c. inhærendo Decretis alias editis, & signanter in Mileten. 4 Decembris 1591., in Sorana 14. Aprilis 1725., & in Terracinen. 25. Ianuarii 1727., respondit non posse Episcopum Canonicis conferre insignia Cappæ, sed hanc concessionem esse Sedi Apostolicæ reservatam; posse tamen jure suo Ordinario prædictis Canonicis conferre minora quædam insignia, Almutiæ videlicet, Caputii, & Zambardæ*, ut habetur in *lib. 77. Decret. pag. 420.*

Hinc primum ponderandum est, num Almutia coloris violacei insigniis minoribus sit accensenda; Deinde, an hoc decretum mentionem habens de Canonicis Ecclesiæ Cathedralis nulla habentibus insignia, patiatur, ut Episcopus Mansionariis etiam, & Portionariis, seu Capellanis largiri possit insignia minora. Viden. resolutio in *citat. Neritonen. Plurium 12. Iulii 1760. in Thesaur. resolut. tom. 29. pag. 75., & 96. ad XIV. Dub.*

Ex his EE. PP. decernere dignabuntur.

An Indultum ab Episcopo Vigiliensi concessum Capellanis Ecclesiæ Cathedralis deferendi Almutiam, & Caputium sustineatur in casu &c.

Dilata, & ad mentem.

AU-

AUXIMANA INDULTI. Alexander Antonius Gentiloni e Monte Philoptrano Auximanæ Diæcesis jussit, ut ex sua domo erigeretur Ecclesia sub invocatione S. Mariæ Angelorum, in eaque suis bonis constitueretur *una Congregatione di Sacerdoti nel numero di otto, oltre un altro, quale sia superiore, o Arciprete, col peso di recitare quotidianamente il divino Offizio ad uso di Canonici, e di celebrare trè Messe la settimana per ciascheduno nella Chiesa, e Coro rispettivamente da fabricarsi*; ac sororem Joannam Baptistam usufructuariam reliquit *con piena, ed ampla facoltà di ordinare, fare, ed eseguire nel miglior modo, che a lui piacerà l'erezione di detta Congregazione, rimettendo tutto in suo potere di fare, e disfare &c., e colla facoltà di nominare tutti, e singoli Sacerdoti di detta Congregazione da erigersi, e di lasciare, e trasferire il jus di nominare a quelle persone, o famiglie, che le parerà, e le piacerà con titolo di juspatronati*. *Sess.6.cap.22. de Reform.*

Joanna Baptista adhuc vivens de Ecclesia ædificanda voluntatem implevit, eamque moriens integre confirmavit, statuitque non solum novem Capellanias, sed decimam etiam de suo auxit; Eas diversis nominibus distinxit: Jus nominandi certis familiis pro unaquaque dedit, & præsertim pro Capellania sub invocatione *S. Michaelis Arcangeli* Philippo Lavinj consanguineo, ejusque descendentibus. Certas quoque leges de nominandis dedit, & præcipue *che non possieda cura d'Anime, o altro benefizio di residenza, con cui non siano mai compatibili dette Capellanie, e possedendo debba dimetterlo nel termine di tre mesi dal dì, che avrà avuta la nomina di alcuna di esse, se vorrà conseguirla*.

Facultatem item Capellanis dedit, *che ad uso de Canonici possa ognuno di loro godere due mesi l'anno di vacanza o continua, o interpolata, purchè solamente due per volta di essi Cappellani manchino dal Coro per causa di detta vacanza, e non vi sia detrimento al servizio della Chiesa*: imo *se per causa relevante avrà bisogno qualcuno di loro mancare dal Coro, o sia residenza oltre gli detti due Mesi, dà la facoltà al Sacerdote Superiore, o Arciprete, e bisognando a lui, o in dilui mancanza al Cappellano più anziano di possesso di riconoscere detta causa, e concedergli quel tempo gli bisognerà, purchè non ecceda lo spazio d'altri due Mesi dentro l'anno, e non ne nasca pregiudizio al servizio di Dio, e adempimento de loro obblighi, per la buona armonia de quali ordina, che se alcuno de Cappellani o per non essere ancora Sacerdoti effettivi, o per altro impedimento non potrà adempire la celebrazione di quelle Messe, quali gli toccaranno ogni settimana, debba farle celebrare o da uno degli altri Cappellani, o dal Loro Sagrestano con la solita elemosina secondo la consuetudine di questa Terra di Monte Filotrano, e non volendo, o non potendo questi celebrare, possa allora farle celebrare da qualsivoglia altro Sacerdote*.

Capellaniam sub invocatione S. Michaelis Arcangeli Anno

no 1754. obtinuit *Carolus Lavinj* a Patronis nominatus. Is autem post sedula, ac tam diuturna usque nunc in loco residentiæ habita studia, exoptans vel in munere Prædicationis, vel Vicarii Generalis, vel aliis hujusce modi fructum studiorum suorum consequi, anno 1766. preces Sanctissimo dedit pro indulto abessendi, ac implendi onera Capellaniæ per alium. Verum quia interrogatus Episcopus, de auditis Capellanis retulit, quod repugnaverint, & contradixerint, precibus ideo ad Sacram Congregationem remissis, de illo impetrando *Carolus* nunc urget.

Inquit, rem esse de Capellania mere laicali ab omni Ordinarii jurisdictione exempta: Non exposcere ideo personalem residentiam, nec implementum onerum per se ipsum, nisi id clare, aperteque ex fundatorum voluntate resultet *Innoc. in cap. fin. num.* 1. *de Cler. non resid.*, *Abbas in Cap. extirpandæ §. Qui vero num.* 8. *de Præb.*, *Marant. resp.* 2. *num.* 6. *tom.* 5., *Constant. Vot. decis.* 35. *num.* 12., *Card. de Luc. de Benef. disc.* 58. *n.* 2., *Rot. dec.* 825. *n.* 2. *cor. Merlin.*, & *dec.* 84. *n.* 5. *cor. Priolo*.

Nullum autem residentiæ onus erui posse ex injuncta celebratione trium Sacrorum singulis hebdomadis, cum nullibi implementum eorumdem *per se ipsos* fuerit præscriptum, nec *per alios* impleri vetitum *Rot. cor. Merlin. decis.* 825. *num.* 8., & *cor. Priolo dec.* 84. *num.* 8.: Tantoque minus ex injuncto onere recitandi quolibet die Divinum Officium, cum in hisce Capellaniis, seu Officiaturis, deficiente expressa lege fundationis, ex eo tantum inducatur residentia conpropria, & causativa inducens solum amissionem emolumentorum, & distributionum, non vero propria, & præcisa sub pæna privationis *Card. de Luc. de Benef. disc.* 58. *num.* 4., *Rot. coram Priolo dec.* 175. *n.* 7.

Hinc concludit, se non teneri ad personalem residentiam, nec ad implenda onera per se ipsum, ac proinde quod sibi jure licet, libentius Apostolico indulto abessendi confirmandum esse: Maxime quia fundatoribus consanguineus est, consensum habet patronorum: nullum Ecclesiæ, ac cultui divino detrimentum infertur, & communis observantia viget implendi onera per alium tum in ipsamet Ecclesia Montis Philoptrani, tum in aliis Provinciæ Marchiæ. Ad æmulationem vero, & invidiam referri oppositionem aliorum Capellanorum, qui nullo rationis fundamento, nulloque proprio interesse invident alieno bono, & publicæ utilitati.

Episcopus deliberationem ipsam, quam initis consiliis Capellani fecerunt, transmisit, de suo nihil addidit. Ea ante oculos habenda est: Nihil enim Capellani usque adhuc dederunt. Summatim hæc habet. Fundatores dictas Capellanias instituisse pro auxilio familiarum nominatarum, & adeo voluisse personalem residentiam, ut easdem in-

com-

compatibiles declaraverint cum aliis beneficiis residentialibus: obstare ideo apertam Fundatorum voluntatem, ne per incognitos Clericos Ecclesiæ inserviant, neve ad alia munera implenda ab Ecclesia absint. Idque pessimi futurum esse exempli, cum deinceps quoque alii ex iisdem, imo urgentioribus causis, facile idem indultum sint petituri, & obtenturi. Falsum esse suppositum stilum inserviendi Choro per alium, sed tantum, urgente legitimo impedimento, aliquando absentes subrogasse alios pro implemento onerum Missarum, vel pro exercitio muneris Diaconi, & Subdiaconi in festis solemnioribus.

Nullam vero subesse causam concedendi indultum *Carolo*. Hunc nunquam *concionatoris* munus gessisse, & facile etiam idem implere posse vel tempore bimestris vacationis in fundatione concessæ, vel obtenta diuturnioris temporis absentia a Decano. Officium *Vicarii Generalis* valde remotum esse, cum studiis legalibus nunquam operam dederit, nec laurea sit insignitus. Longævum usque nunc præstitum *Ecclesiæ servitium* non laudabile, nec premio dignum esse, cum singulis annis plurium mensium punctaturis semper fuerit mulctatus.

Demum addit, Carolum ultra aliam Capellaniam Laicalem in Oppido Appignani, retinere Canonicatum in Oppido *Montecchio*, a cujus residentia fuit a sa. mem. Benedicto XIV. dispensatus expressa lege, ut in Ecclesia S. Mariæ Angelorum resideret: immerito ideo nunc quoque indultum abessendi ab Oppido Philoptrani petere contra expressam legem sa. mem. Benedicti XIV., & apertam voluntatem Fundatorum.

Communis distinctio est de residentia præcisa, & causativa. Præcisa requiritur certe in Beneficiis, vel Capellaniis, quæ servitium Chori habent in Cathedrali vel Collegiata Ecclesia *Fagnan. in cap. ut Abbates de ætat., & qualit., Barbos. in Sum. Apost. verbo Capellania num. 2., Antonel. de Regim. Eccles. lib. 3. cap. 3. num. 6. Piton. de contr. patr. alleg. 27. num. 5., Rigant. ad Reg. Cancell. reg. 1. §. 8. num. 25.*, vel adnexum onus assistendi Divinis Officiis in Ecclesia Parochiali, & Parochum adjuvandi *Piton. discept. 28. de contr. patr. per tot., Sac. Congregatio in Nepesina Capellaniæ 16. Novembris 1708., & in Tudertina Capellaniæ 25. Januarii 1738.*

Vel si pæna amissionis contra non residentes injuncta sit *Leuren. in for. benef. part. 1. sect. 3. cap. 1. quæst. 364., Garzias de benef. part. 11. cap. 1. num. 90., Lotter. de re benef. lib. 3. cap. 27. num. 3., Rot. in Monasterien. Parochialis 16. Februarii 1748. §. 3. coram Eminentissimo Migazzi*. Aut si onera per se ipsum implenda mandentur *Piton. discept. 142. num. 3. Panimol. decis. 130. num. 12., Rot. coram Emerix. dec. 1240.*

*num.*4., *in rec. dec.*140. *part.* 4. *tom.*1., & Sac. Congr. in *Romana Præpositur*æ 1. *April.* 1719., *&* *in Romana Capellaniarum* 27. *Januarii* 1728.

Perpendenda itaque sunt verba erectionis de qualitate nominandi, *che non possieda cura d'Anime, o altro beneficio di residenza, con cui non siano mai compatibili dette Cappellanie, e possedendo, debba dimetterlo nel termine di tre Mesi dal dì, che avrà avuta la nomina di alcuna di esse, se vorrà conseguirla.*

Ponderandum, an facultas celebrandi Sacra per alium, restricta sit ad casum expressum, *che alcuno de Cappellani o per non essere ancora Sacerdoti effettivi, o per altro impedimento non potrà adempire la celebrazione di quelle Messe, quali gli toccheranno ogni settimana.*

Ponderanda item ea verba sunt, *che ad uso de Canonici ognuno di loro possa godere due mesi di vacanza o continua, o interpolata, e che se per causa rilevante avrà bisogno qualcuno di loro mancare dal Coro, o sia residenza oltre gli detti due Mesi, da la facoltà al Arciprete, e bisognando à lui, ò in dilui mancanza al Cappellano più anziano di possesso di riconoscere detta causa, e concedergli quel tempo gli bisognerà, purchè non ecceda lo spazio di altri due Mesi dentro l'Anno, e non ne nasca pregiudizio al servizio di Dio, e adempimento de loro oblighi.* Viden. resolutiones Sac. Congregationis in *Vintimilien.* 18. *April.*1654. *in Ferrarien. Capellaniæ* 3. *Martii* 1703., *in alia Ferrarien. Capellaniæ* 26. *Martii* 1707. *in Civitatis Plebis* 15. *Decembris* 1708., *in Romana* Capellaniæ 13. *Martii* 1709., *in Bononien. Capellaniæ* 1. *Junii ejusdem anni*, *in Senogallien. Capellaniarum* 9. *Septembris* 1713., *in Aquilana Capellaniæ* 18. *Julii* 1733. *in Auximana* 17. *Januar.* 1761., *&* *in Lucen.* 1. *Martii* 1766.

Hisce præhabitis, perpendendum est, an justæ, vel necessariæ causæ urgeant pro indulto abessendi concedendo. Ante oculos habenda sunt, quæ a *Carolo* afferuntur, quæque a cæteris Capellanis opponuntur. Non sane quæstio modo est de indulto ex causa studiorum, quæ nunquam datur ultra vigesimum quintum ætatis annum juxta *Generale Decretum super Reformatione indultorum* 2. *Maii* 1693., & quidem cum amissione omnium distributionum *Spoletana Indulti* 19. *Julii* 1704., *Melevitana Indulti* 28. *Sept.* 1743.

Quæritur.

An sit consulendum SSmo pro gratia in casu &c.

Non proposita, cum sequenti.

BAR-

BARCHINONEN. . Aromatariæ Regularium Civitatis Barcinonæ jam dudum, & vario tempore causa fuerunt Controversiarum actarum cum Collegio Aromatariorum ejusdem Civitatis. Prima exarsit anno 1633. cum Regularibus Ordinis Prædicatorum, & Minorum Observantium coram Sac. Congregatione Immunitatis, quæ edixit, *che a detti Padri sia permesso l'avere, tenere, ed esercitare Bottegha di arte farmaceutica, o spezieria per uso proprio, dei diloro benefattori, e poveri gratis, ma non per vendere, lucrare, ne far mercimonio di dette medicine*. Et hæc resolutio extensa deinde fuit ad alios Regulares ejusdem Civitatis in vim decreti Vicarii Generalis Barchinonen. *diei 5. Maji 1648.* *Sess.22. cap.1. & 12. de Refor.*

Acta iterum fuit hæc quæstio cum Patribus Ordinis Prædicatorum in hac Sacra Congregatione, propositis I. *An prohibenda sit Regularibus facultas exercendi publice Aromatariam pro sæcularibus*. II. *An concedenda tantum pro Religiosis, pauperibus, & Benefactoribus*, responsum fuit die 12. Novembris 1672. *Ad I. Affirmativè, Ad II. Affirmative non solum pro dictis, sed etiam pro aliis, dummodo vendantur parata bona fide, & non lucri causa*, quæ decreta litteris Apostolicis in forma Brevis confirmata fuerunt.

Conquerente postea dicto Collegio contra Patres Ordinis Prædicatorum tum de inobservantia decretorum, ac Litterarum Apostolicarum, tum de prava earumdem interpretatione, tum demum de publicitate eorum Aromatariæ, prodiit in Tribunali A. C. die 3. Decembris 1686. Sententia pro omnimoda decretorum, & Litterarum Apostolicarum executione cum expressa declaratione, *quod medicinæ, & alia medicamina, quæ non sunt jam parata bona fide, sed de recenti componuntur lucri causa, & parentur cum receputis, ut vulgariter dicitur* le ricette del Medico, *seu medicorum pro purgatione corporum, & aliis infirmitatibus, non possint vendi aliis personis præter expressas in dictis Decretis*; quæ Sententia deinde in Sacra Rota, post remissoriam confirmata fuit, ac insuper additum, ut Aromataria in secretiori collocaretur Conventus loco, ut ex decisionibus in *Barchinonen. Aromatariæ* 2. *Junii* 1690. *cor. Manuel.*, 14. *Januarii* 1692. *coram Caccia*, 7. *Maii* 1736., & 7. *Martii* 1738. *cor. cl. mem. Card. Calcagnino*; Idque ipsum Statutum quoque fuit de aliis Regularibus ejusdem Civitatis, nempe Trinitariis, S. Augustini, Servorum Beatæ Mariæ, S. Francisci de Paula, Carmelitis, & Beatæ Mariæ de Mercede, ut in *Barchinonen. Aromatariarum* 21. *Januarii* 1746. *cor. clar. mem. Card. Millino*, solemni inde edita eodem anno 1746. Rotali Sententia, cui Regulares omnes acquieverunt.

Verum non satis apta hæc reputans Collegium ad propria jura servanda, tollendosque illiciti mercimonii abusus in Regularibus, preces dedit SSmo Domino Nostro pro omni-

moda prohibitione diſtribuendi, vendendique medelas, ſponte offerens, ac publico ſpondens inſtrumento, ſe gratis medelas omnes pauperibus diſtributurum. Precibus ad hanc Sacram Congregationem remiſſis *eum omnibus facultatibus neceſſariis, & opportunis, quibuſcumque non obſtantibus*, modo inſtat, ut ad occurrendum cuicumque prætextui, ac colori illiciti mercimonii reſcribatur *prohibendam eſſe diſtributionem medelarum etiam pauperibus, & benefactoribus, & quamcumque venditionem aliis perſonis, etiam medelarum, quæ aſſerantur parata bona fide*.

Inquit, Regularibus non ſolum vetandum eſſe quodlibet mercimonium, ac lucroſum quæſtum in venditione medicaminum *Fagnan. in cap. nimis prava* 59. *de exceſſ. Prælat.*, *Thomaſ. de Beneſ. lib.*3. *part.*19. *num.* 8., *Piton. diſcept. Eccleſ.* 67. *num.*25., ſed expedire etiam, ut quælibet eis adimatur occaſio, ac prætextus, quo quæſtui operam dare poſſint ex illorum venditione *Rot. deciſ.* 540. *num.*7. *part.*2. *recen.*, *coram Coccin. deciſ.*459. *per tot.*, *& coram Emerix. Jun. deciſ.* 576. *num.*12.. Idque præ oculis maxime habuiſſe decreta Sac. Congregationum Immunitatis, & Concilii, nec non Rotales ſententias non ſolum expreſſe Regularibus vetando quamlibet medicaminum venditionem, exceptis jam paratis, ſed etiam præſcribendo, ut Aromatariæ in ſecretiori Conventuum loco ponerentur ad removendum quoque occaſionem, facilemque acceſſum Emptorum, qui medelas ſibi paraturi captent libenter occaſionem eas mercandi, ubi illæ propalam extantes eorum oculis ſeſe offerunt.

Has nihilominus Supremorum Tribunalium Sententias, & proviſiones impares prorſus fuiſſe ad tollendos abuſus, & prætextus illiciti mercimonii in Regularibus, & ad evertendum Collegii præjudicium. Suſtinet enim Aromatarias non in ſecretiori Conventuum loco reconditas fuiſſe, ſed vel nunquam ab antiquo publico loco remotas vel in alium æquè publicum locum translatas eſſe, amplius ſub prætextu vendendi medicamina jam parata, eaque diſtribuendi pauperibus, & benefactoribus; libere uſque nunc diu, noctuque exerceri mercimonium cujuſcumque illorum ſpeciei; cuicumque venienti, convento pretio illa vendi, omnibuſque publice, & palam aditum patere ad emptiones numerata pecunia ineundas, ac in vetito mercimonio tot ſpretis decretis, Literis Apoſtolicis, deciſionibus, ac Rotalibus Sententiis perſeverari. Conſtare hæc omnia ex examine plurium teſtium rogatorum Anno 1748., & ex poſteriori jurata depoſitione aliorum quamplurium de facto proprio, certaque Scientia deponentium, ex quibus plures ſunt Sacerdotes, Medici, & Chirurgi.

Non tam ergo expedire, quam neceſſarium eſſe, ut ad omnem

nem occasionem, & colorem exercendi mercimonii vitandum, omnino prohibeatur Regularibus distributio, ac venditio cujusvis generis medelarum, ne alias inutilis reddatur Sacrorum Canonum dispositio, & effectu vacua remaneant edita decreta, Sententiæ, & provisiones: Nec remedium hoc novum, ac inusitatum esse, cum idem præscriptum fuerit in Urbe a sa. mem. Innocentio XIII. quoad Aromatarias Regularium, idemque etiam præscriptum fuerit in Civitate Neapolis, Florentiæ, & Camerini, & quidem consentaneè ad Constitutionem sa.me. Urbani VIII. *la* 51. §. *Ad hæc*, quæ ad omnes tollendos abusus expresse jussit, ut in Conventibus non retinerentur Aromatariæ, *nisi ad usus Monasteriorum dumtaxat, nec liceat res illarum cuique vendere*.

Nec jure posse de hoc remedio conqueri Regulares, cum illud consonum sit juris dispositioni, disciplinæ Regulari, & bono publico, ipsique Regulares proprio facto, atque culpa se indignos reddiderint ea mitiori interpretatione, qua Sacra Congregatio, & Sac. Rota satis consultum putabant juribus Collegii Aromatariorum; Neque demum ex eo ullum irrogari præjudicium pauperibus Civitatis, cum ipsum Collegium per publicum actum ab Episcopo acceptatum solemniter promiserit medicamina omnibus pauperibus gratis elargiturum.

Regulares licet pluries moniti nondum suum libellum dederunt.

Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus scripsit *Apostolus* 2. *ad Thimoth. cap.* 2.; hinc Clericis, ac Religiosis in sortem Domini vocatis, ut rebus vacent divinis, orationi, & animarum saluti, Sac. Canones enixe prohibuerunt, quominus rebus temporalibus, ac negotiationibus lucri causa se immiscerent *Can. statuimus* 4. *dist.*, *can. Beatus quæst.* 1., *can. Fornicari dist.* 88., *can. Clerici*, *&* *can. Canonum* 14. *quæst.* 4. *cap. secundum instituta* 16. *ne Cleric. vel Monach.*. Quare SS. Pontifices Sacrorum Canonum custodes, ac vindices sæpius ad tollendos abusus exercitæ negotiationis, præsertim in Regularibus, vetuerunt quamcumque Mercaturam, seu Negotiationem quovis modo ab eis fieri contingat sive per se, sive per alios, sive proprio, sive Communitatis nomine, vel directe, vel indirecte, aut quovis alio prætextu, causa, & colore sub pæna excommunicationis latæ sententiæ ipso facto incurrendæ, ac privationis vocis activæ, & passivæ, officiorum, ac graduum, & dignitatum quarumcumque, etiam inhabilitatis ad ea, & insuper amissionis mercium, & lucrorum ex eis conquisitorum, ut præsertim habetur in Constitutione *Urbani VIII.* incipien. *ex debito la* 425. 22. *Febr.* 1633., & in alia *Clementis IX. incip. Solicitudo la* 112. 17. *Junii* 1669.

Spe-

Speciatim vero abusum Aromatariarum Regularium, ac mercimonium Pharmacorum improbavit Urbanus VIII. in sua Constitutione, de qua loquitur *Card. de Luc. de Regul. disc.60. num.2.*, & in hoc consonæ sunt frequentes Sacrarum Congregationum Resolutiones, & signanter Sacræ Congregationis negotiis Episcop., & Reg. præpositæ sub *die 19. Januar. 1601.*, Sacræ Congregationis Immunitatis sub *die 21. Novembris 1735.*, Sac. Congregationis Visitationis de Anno 1647., 1662., *&* 1695., & strictius Congregationis Particularis a sa. me. Innocentio XIII. deputatæ sub *die 25. Januar. 1722.*. Et ad rem dixit Sac. Rota, omnem præcidendam esse occasionem, ac prætextum, quo facile eludi possint Constitutiones Apostolicæ, & decreta Sacrarum Congregationum prohibentium illicitum mercimonium in Aromatariis Regularium, ut videre est in *Barchinonen. Aromatariæ 7. Maji 1736. §. spectato*, & clarius in *confirmatoria 7. Martii 1738. §. Etenim cor. cl. mem. Card. Calcagnino.*

Quare Sac. hæc Congregatio in una *Romana Aromatariarum 2. Septembris* 1647. respondit = *Attento jussu S. D. N., ut per viam temperamenti de consensu partium provideretur, censet referendum Sanctitati suæ esse, per viam præcepti inhibendum sub pœna suspensionis a Divinis, privationis vocis activæ, & passivæ, & omnium officiorum, nec non perpetuæ inhabilitatis absque alia declaratione incurren. a Superioribus quorumcumque Ordinum, Congregationum, Societatum, Domorum, Collegiorum, & Locorum Regularium, ne in posterum Religionis nomine, seu particulari audeant exercere venalem artem Aromatariorum, præterquam pro suis, Religiosorum, aut alumnorum usibus, & Conventui Minimorum SS̃næ Trinitatis de Urbe habenti facultatem pro nationalibus etiam Galliæ, nec pharmaca cuique vendere etiam prætextu amicitiæ, seu familiaritatis, exceptis Theriaca, Hyacinto, & aliis vulgo nuncupatis* Chimiche, *non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis in favorem dictorum Ordinum, Congregationum etiam Cassinensium, Fratrum Prædicatorum, Minimorum, Societatis Jesu, & aliorum quorumcumque mendicantium, & non mendicantium cujusque instituti etiam necessario, & in individuo exprimendi, quibus Sacra Congregatio Sanctitatis suæ auctoritate specialiter, & expresse derogat, cæterisque contrariis quibuscumque. Die vero 16. Decembris facta relatione in Concistorio, S. Sanctitas annuit facta intimatione oretenus lib. decr. 18. pag.304.*

Hinc cum Collegium Aromatariorum Taurinensium Anno 1694., emissa obligatione gratis distribuendi medelas pauperibus, institisset pro omnimoda prohibitione venditionis Pharmacorum in Aromatariis PP. S. Francisci strictioris observantiæ, ac Minimorum S. Francisci de Paula, propositis I. *An sit prohibenda Patribus S. Francisci strictioris obser-*

observantiæ, *&* *Minimis S. Francisci de Paula*, *aliisque Regularibus Civitatis facultas exercendi Aromatariam etiam pro sæcularibus* II. *An*, *&* *quomodo eisdem sit permittenda pro privatis*, *&* *pauperibus Personis*, Sac. Congregatio *die* 11. *Septembris* 1694. respondit, *esse servandum decretum in Romana Aromatariarum Urbis* 2. *Septembris* 1647., *lib. decr.* 44. *pag.* 446.

Verum cum anno 1662. Collegium Aromatariorum Urbis petiisset in Sacra Congregatione Visitationis Apostolicæ contra Religiosos Aromatariam exercentes, ut tollerentur quædam fraudes, & abusus invecti contra decreta hujus Sac. Congregationis Anni 1647., prodiit responsum, *licere Regularibus utriusque sexus retinere Aromatariam intra Claustra Monasterii pro Religiosis*, *pauperibus*, *&* *Benefactoribus dumtaxat*, *quibus gratis medicamenta suppeditari debeant*, *secus vero illa vendere sæcularibus*, *&* *aliis personis Ecclesiasticis*, *exceptis Theriaca*, *&* *Hyacinto*, *&* *aliis vulgo nuncupatis* Chimici, *dummodo tamen non sint præparata*, *non composita*, *neque admixta cum aliis speciebus medicaminum ad usum potionis*, *vel alterius medicamenti confecti cum receputis medicorum*. Quod decretum renovatum fuit in alia Congregatione Visitationis Apostolicæ habita *die* 15. *Martii* 1695., & litteris Apostolicis confirmatum ab Innocentio XII., ut ex *constitutione* 199. *incip. alias* 29. *Julii* 1700.

Cum tamen hæc omnia sat non fuissent ad omnes amputandas fraudes, & prætextus mercimonii in Aromatariis Regularium Urbis, Sacra Congregatio particulariter a ss. me. Innocentio XIII. deputata sub *die* 25. *Jannarii* 1722. censuit, *insinuandum*, *&* *consulendum esse SSmo D. N. Papæ Innocentio XIII.*, *ut omnino prohibeantur omnes*, *&* *singuli Regulares utriusque sexus in hac Alma Urbe*, *ejusque districtu degentes &c. ne per se*, *neque per alios*, *nec etiam Religionis nomine artem Aromatariam*, *præterquam suorum Religiosorum*, *aut alumnorum usibus*, *exerceant*, *ac insuper ne ullo modo sæcularibus*, *aut aliis Religiosis*, *&* *Ecclesiasticis Pharmaca*, *aut medicamenta sive composita*, *sive non composita*, *sive præparata*, *sive non præparata*, *nec etiam Theriacam*, *Mitridatum*, *Hyacintum*, *Balsamum*, *Chinam*, *Rebarbarum*, *atque res ullas Chimichas cujusvis generis*, *&* *speciei*, *neque sub prætextu amicitiæ*, *aut familiaritatis*, *aut alio quocumque titulo*, *causa*, *vel colore vendant*, *permutent*, *aut donent*, *prævia etiam revocatione omnium*, *&* *singulorum decretorum*, *seu Rescriptorum cujuslibet Sacræ Congregationis quocumque tempore latorum*, *etiamsi fuerint cum Brevibus Apostolicis clausula sublata*, *&* *decreto irritante communiter approbata &c. sub pœnis Superioribus utriusque sexus Religiosorum contravenientibus*, *consulentibus*, *aut quocumque modo tollerantibus suspensionis a divinis ipso facto irremissibiliter incurrendæ*, *privationis vocis activæ*, *&* *passivæ*, *prohibitionis*

in

in posterum exercendi, aut exercere faciendi Aromatariam in eorum domibus, Monasteriis, atque Conventibus, etiam pro eorum usu, ac ulterius confiscationis ejusdem Aromatariæ per R. P. D. Thesaurarium Generalem faciendæ cum facultate procedendi etiam per solam inquisitionem, & applicandi tertiam partem secreto denuntiatori.

Sed facta relatione fa. mem. Innocentio XIII., *Sanctitas sua præfatam insinuationem, seu Resolutionem laudavit, & approbavit cum his tamen declarationibus, & limitationibus, nempe ut in præfata generali prohibitione non intelligantur comprehensi Fratres Hospitalis S. Joannis de Deo Urbis, & districtus &c. Respectu vero aliorum Regularium voluit, & declaravit Sanctitas Sua, posse eis indulgeri, ac permitti venditionem Theriacæ, & Balsami Apopletici tantum pro majori publico bono, dummodo obtineant a Cardinali Vicario licentiam in scriptis ad tempus ejus arbitrio duraturam, & lucra exinde retrahenda in beneficium Ecclesiarum, & Sacristiarum uniuscujusque eorum Domus, Monasterii, aut Conventus simili modo erogent, & ita prohiberi, servari, & respective exequi omnino mandavit sub pœnis, ut supra, expressis*. Quam resolutionem specifice, & expresse confirmavit fa. mem. *Benedictus XIV. in const. 6. Tom. 1. Bull. pag.* 14.

Hisce præmissis perpendendum est, an quod sapienter statutum est tot resolutionibus, & Literis Apostolicis pro Aromatariis Regularium Urbis, ex eadem ratione vitandi mercimonii, & negotiationis sit extendendum ad Aromatarias Regularium Civitatis Barchinonen.; Præsertim quia idem fere præscriptum fuit a Sacra Congregatione negotiis Episcoporum, & Regularium præposita *die 29. Januarii 1601.* pro Aromatariis Regularium Civitatis Neapolis, & *die 18. Martii 1666.* pro illis Florentiæ, ab hac autem Sacra Congregatione *die 11. Septembris 1694.* pro Aromatariis Regularium Taurinensium.

Verum illud reminisci oportet quoad Regulares Barchinonenses, quod licet Sacra Congregatio Immunitatis *Anno 1635.* eisdem exercitium concessisset Aromatariæ *per uso proprio, dei loro benefattori, e Poveri gratis, ma non per vendere, lucrare, ne far mercimonio di dette mercanzie*: Cum tamen apud ipsos in more positum esset, in harum personarum usum parare vel semel in anno, vel certis statis temporibus medicamina quædam composita in quantitate magis redundanti, quam modica pro possibili Infirmorum necessitate, ad occurrendum absurdo, ne deperiret quod reliquum erat ex medicinis ejusmodi jam paratis, quæ servari non possunt, Sac. hæc Congregatio anno 1672. eisdem Regularibus facultatem concessit exercendi Aromatariam non solum pro Religiosis, pauperibus, & benefactoribus, *sed etiam pro aliis, dummodo vendantur parata bona fide, & non lucri causa*. Cum

veli-

venditio dd. reliquorum medicaminum non præseferat prohibitam Mercaturam, ut latius observat *Card. de Luc. de Regular. disc.60. num.10.*, *& seq.*

Quapropter in una *Barchinonen. Aromatariæ* 12. *Aug.* 1679., quæ extat in *libro* 30.*decr.Sacræ hujus Congregationis pag.*379. hæc habentur = *Alias a Sacra Congregatione Visitationis Apostolicæ sub die* 29. *Augusti* 1637. *dicitur emanasse contra Regulares, aliosque Ecclesiasticos quæstuosas artes in Urbe, ejusque districtu exercentes pro sæcularibus decretum, cujus copia datur per informantem. Decretum hoc tamquam rationi congruum Communitas, & Artistæ Barchinonenses ad eamdem Civitatem per libellum a SSmo remissum extendi supplicant, proinde quæritur. An petita extensio sit concedenda? Sacra &c. censuit extensionem petitam esse denegandam, sed danda decreta alias facta.*

Perpendendum ideo, an æquitatis ratio, quam Sacra hæc Congregatio *Annis* 1672., & 1679. constanter sequuta fuit consulendo tum indemnitati Regularium Barchinonensium, tum Collegii Aromatariorum detrimento posthabenda modo sit ob illius sequutum abusum, & exercitum usque nunc mercimonium in fraudem decretorum Sac. Congregationis, litterarum Apostolicarum, & Sententiarum Rotalium, ita ut expediens sit in præsenti, quamlibet avertere occasionem, ac prætextum, quo possint in eodem mercimonio continuare. Ante oculos habendæ sunt innumeræ testium depositiones, aliaque plura inter monumenta causæ a Collegio adducta, hisque sedulo, ac mature, ut assolent EE. PP., judicio perpensis, dignentur respondere.

An, & quomodo sit providendum, in casu &c.

Die Sabbathi 9. Julii 1768. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis, de jure resolvenda.

CAusis in præsenti folio adnotatis geminæ præponuntur aliæ, de quibus habita ratio est in altero folio Congregationis diei 4. Junii nuper elapsi. Rogantur igitur EE.PP. istud resumere, ut super dubiis in utroque expositis justitiæ complementum Partes assequantur.

Sess.6. cap.22. de Reform.

AUXIMANA INDULTI.
An sit consulendum Sanctissimo pro gratia, in casu &c.

Negativè.

Sess 22. cap.1. & 12.de Reform.

BARCHINONEN.
An, & quomodo sit providendum, in casu &c.

Dilata, & proponatur in prima etiam unica.

Sess.24.cap. 12. de Reform.

HORTANA ERECTIONIS CANONICATUUM. Quamvis Canonicus Albertus Bonanni ex suis bonis hæreditariis erigi jusserit in Cathedrali Ecclesia Hortana duos Canonicatus, ad eosque per Reverendissimum Episcopum eligi voluerit, qui ex primariis essent Familiis ex ordine Magistratus, nihilominus nonnulli ejusdem Ecclesiæ Canonici Sanctissimo supplicarunt, ut loco duorum Canonicatuum erigi juberet totidem Capellanias. Precibus his Sacræ Congregationi remissis, concordata fuerunt dubia his verbis concepta = I. *An sint erigendi Canonicatus, seu potius sit locus commutationi voluntatis pro erectione Canonicatuum in casu &c.* = II. *An, & quæ Familiæ ad dictos Cano-*

ni-

nicatus sint præeligendæ in casu &c. = Sed cum deinceps iidem Canonici proferre neglexerint causas petitæ commutationis, hinc, informante tantum Promothore Fiscali, in Congregatione diei 23. Aprilis proximè præteriti responsum fuit = *Ad I. Affirmativè ad primam partem, negativè ad secundam* = *Ad II. Ad formam dispositionis.*

Beneficio novæ audientiæ iisdem Canonicis concessæ, de viribus hujusce resolutionis inquirendum est, sed eorum Defensor, licet pluries etiam judicialiter monitus, & diu expectatus, nihil tamen vel verbo, vel scripto huc usque deduxit. Supplicat itaque Promothor Fiscalis, ut, prævia confirmatione præcedentis resolutionis, voluntas Canonici Bonanni exequutioni mandetur, iisdem innitens rationibus, jam expositis in folio diei 26. Martii nuper elapsi, quo benignè reassumpto, definiendum est

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis ad utrumque Dubium, & amplius.

ANAGNINA ERECTIONIS CAPELLANIÆ. Testamentum condidit anno 1746. Rosa Agostini Uxor Dominici Seraphini de Terra Acuti, quo hæredem instituit Annam Catharinam communem filiam in pupillari ætate tunc constitutam, ea lege, ne Patri acquireretur ususfructus, sed eo uteretur ejus filia, quam voluit cohabitare debere cum Sacerdote Hieronymo Nicolai ejus Consobrino, qui in Christianæ Religionis officiis illam erudiret, & nolente filia in hoc exequi, reservata eidem proprietate, usufructum addixit eidem Consobrino. Cogitans autem de casu, quod ipsa Anna Catharina quandocumque decederet sine filiis, substituit eumdem Consobrinum, cum facultate disponendi pro libito de sua hæreditate, & quatenus non disponeret, erigi mandavit ex suis bonis Capellaniam in honorem S. Josephi sub certo onere Missarum. Testamentum hoc aliena manu conscriptum, Rosa coram Testibus signo Crucis obsignavit, aliisque Testibus subscriptum clausum tradidit Notario, palam significans, ultimam suam voluntatem in eo contineri. *Sess. 22. cap. 8. de Reform.*

Obiit Testatrix die 24. Novembris ejusdem anni, & urgente Dominico Seraphini ejus Viro, prævio Decreto Gubernatoris localis, apertum fuit Testamentum. De hoc certior factus Sacerdos Nicolai, non solum cohabitationem cum Anna Catharina hærede recusavit, sed renunciavit etiam substitutioni. Non omisit tamen operam dare, ut Anna Nepos, & hæres in pietate, bonisque moribus informa-

retur in Conservatorio Puellarum Anticuli, ubi post biennium occubuit.

Hinc prædictus Sacerdos Hieronymus prius institit pro erectione Capellaniæ coram Episcopo Anagnino, deindè preces hac de re obtulit Summo Pontifici, qui illas Sac. Congregationi remisit; auditaque Episcopi relatione, dubium in calce datum proponitur.

Affirmat Sacerdos Nicolai, satis constare de Testatricis voluntate, tam quoad hæredis institutionem favore Annæ Catharinæ ejus filiæ, quam circa erectionem Capellaniæ in casu illius obitus sine filiis. Purificata autem conditione in Testamento adjecta, de pii operis exequutione non esse ambigendum, *Leg.In conditionibus in princip.de condit.*, *& demonstr.*, *& L.Cum quæstiones in fin.de legat.*, *Rot. dec.8.num.*12. *tom.*1. *cor.Lancetta*.

Nihil obesse Testamento defectum subscriptionis Testatricis, sive octavi Testis ejus loco adhibendi ex præscripto *Leg.*28. §.1. *Cod. de Testamen.* Sustinet enim, quod posita Testatricis subscriptione per signum Crucis, & ex Testamenti traditione facta Notario, cum declaratione, quod in eo suprema ipsius voluntas contineretur, præsumi omnino debeat, omnia in Testamento contenta fuisse ipsi Testatrici notissima, atque eidem præcedenter perlecta *Rocc. disput. jur. cap.*36. *num.*31., *Rot. decis.*263. *num.* 16. *part.* 14. *tom.* 2. *Recent.*

Animadvertit præterea, non hic agi de Testamento exarato favore extranei, sed favore unicæ filiæ cum substitutione Causæ Piæ. Opus idcircò non fuisse prædicta solemnitate *L.Hac consultissima §.Ex imperfecto,cap.Cum esses,&cap.relatum de Testam.* Maximè quia res est de Testamento a Muliere condito, pro cujus validitate aliquid de jùris rigore remittendum est, *Menoch. consil.* 215. *num.* 59. *&* 60., *& consil.*328. *num.*24. & 25., *Rot. decis.* 39. *num.* 1. 12. *&* 13. *cor. Lancetta*.

Ex parte Dominici Seraphini, qui erectioni Capellaniæ resistit, nihil adhuc habuimus, quamvis interrogatus ab Episcopo responderit, *paratum se esse in judiciali palæstra sua exponere rationum documenta, quibus pollicetur probare, quam dolose fuerit dicta Rosa Seraphini ejus Uxor circumventa, proindeque nullitatem Testamenti meridiana luce clariorem esse authumat*, quemadmodum in sua relatione idem Episcopus scribit.

De solemnitatibus in Testamentis condendis alia sancita sunt jure Civili, alia jure Canonico, seu Ecclesiastico. Inter cæteras jure Civili præscriptas solemnitates in *Leg. Hac consultissima* 21. *Cod. de Testament.* ea recensetur, ut præter Testatoris subscriptionem, septem numero rogati Testes Testamentum signent, atque subscribant. *Quod si litteras Testator ignoret, vel subscribere nequeat, octavo Subscriptore*

pro

pro eo adhibito, eadem observari decernimus. Excipiuntur tamen Testamenta inter liberos, atque idcircò ibidem additur: *Ex imperfecto autem Testamento* (ratione scilicet omissarum solemnitatum) *voluntatem tenere defuncti, nisi inter solos liberos a Parentibus utriusque sexus habeatur, non volumus: Si vero in hujusmodi voluntate liberis alia sit extranea mixta persona, certum est, eam voluntatem defuncti quantum ad illam dumtaxat permixtam personam pro nulla haberi, sed liberis adcrescere*.

Jure autem Canonico non aliud requiritur, quam ut duo idonei Testes, & Parochus sint præsentes. Ita expresse statuit Alexander III. *Cap. Cum esses* 10. *de Testament.* per hæc verba = *Proposuisti, talem in tuo Episcopatu consuetudinem inolevisse, quod Testamenta, quæ fiunt in ultima voluntate, ab his, qui potestatem habent super alios, penitus rescinduntur, nisi cum subscriptione septem, aut quinque Testium fiunt, secundum quod humanæ leges decernunt. Quia verò a Divina lege, & Sanctorum Patrum Statutis, & a generali Ecclesiæ consuetudine id esse noscitur alienum, cum scriptum sit: In ore duorum, vel trium stat omne verbum: præscriptam consuetudinem penitus improbamus, & Testamenta, quæ Parochiani vestri coram Presbytero suo, & tribus, vel duobus aliis idoneis personis in extrema voluntate de cætero fecerint, firma decernimus permanere, & robur obtinere perpetuæ firmitatis, sub interminatione anathematis prohibentes, ne quis præsumptione qualibet hujusmodi audeat rescindere Testamenta*.

Omissa autem celebri inter Doctores quæstione, an quæ in *citat. cap.* decernuntur, servari tantummodo debeant in Terris temporali Ecclesiæ jurisdictioni subjectis, & in utroque foro, vel etiam alibi, & in foro tantum Ecclesiastico, de quo latè *Fagnan. in dicto cap. Cum esses num.* 49. 115. *& seq.*, id unum prætermitti non debet, visum nonnullis fuisse de Confessario Testatoris intelligi debere, quæ in relato decreto habentur de *Presbytero suo*, hoc est de *Parocho*, utpote quia Confessarius Parochi loco succedit, ut ait *Card. de Luca de Testam. disc.* 25. *num.* 17. *&* 22., & de Parocho alterius Parochiæ dixit *Rota decis.* 372. *part.* 9. *Recent.*, quin immo & de Substituto Parochi *in decis.* 145. *coram Ottuobon.*, *& in citata decis.* 372. *num.* 19. *&* 20. *Recent.*. Jure quippe Canonico statutum est, ex Sacerdotis præsentia, quamlibet falsitatis suspicionem exclusam præsumi *Host. in cap. cum esses num.* 6. *in fin.*, *Bellett. disq. Cler. par.* 1. *tit. de Cleric. Test.* §. 1. *num.* 1. *&* 2.

Ubi verò agitur de Testamentis ad pias causas, idem Alexander III. in *cap. Relatum* 11. *eodem tit.* scribens Episcopis Velitrensibus hæc decrevit = *Relatum est auribus nostris, quod cum ad vestræ discussionis examen aliqua super Testamentis relictis Ecclesiæ causa deducitur, vos secundum humanam, & non secundum Divinam legem in ea vultis procedere, & nisi se-*

septem, aut quinque idonei Testes producti fuerint, omnino postpositis exinde judicare. Unde quia hujusmodi causa de judiciis Ecclesiæ non secundum leges, sed secundum Canones debet tractari, & his, divina Scriptura testante, duo, aut tres idonei Testes sufficiunt, discretioni tuæ mandamus, quatenus cum aliqua causa super Testamentis Ecclesiæ relictis ad vestrum fuerit examen deducta, eam non secundum leges, sed secundum decretorum statuta tractetis, & tribus, aut duobus legitimis Testibus requisitis = Quin immo cum dicti duo Testes non requirantur ad substantiam, & valorem Testamenti ad pias causas, sed tantum ad probationem in foro externo, quando aliunde Testatoris voluntas probari non possit, *Rot. decis. 327. num. 1. tom. 2. coram Lancetta*: Hinc si aliundè constet de Testatoris voluntate, Testamentum ad pias causas etiam sine Testibus in utroque foro validum haberi debet.

Disputatum quandoque fuit, an Testamentum ad pias causas dici possit, quando causa pia nec directè in Testamento instituta sit, neque substituta sub aliqua conditione certo eventura, sed tantummodo vocata sit sub una, vel etiam duplici conditione, quæ aliquando possit non existere, quemadmodum in præsenti casu, ubi evenire poterat, ut evanesceret conditio, quod Anna Catharina sine filiis obiret, & Sacerdos Hieronymus Nicolai de hæreditate non disponeret. Hac super re Doctores distinctione utuntur; aut enim jus, & vocatio piæ causæ adhuc sub incerta conditione manet, itaut privilegium prius respiciat commodum intermediæ privatæ personæ illud allegantis, & tunc Testamentum censuræ, & solemnitatibus juris civilis subjaceat, aut verò, purificata jam conditione, præsens, ac certum est jus causæ piæ, factusque jam est locus substitutioni, & in isto casu nil referat, an directa, vel obliqua, an proxima, vel remota ab initio fuerit causæ piæ vocatio, ut Testamentum juris gaudeat privilegiis, prout censuit *Rot. dec. 83. num. 3. tom. 1. cor. Molines, in Majoricen. Immissionis 31. Januarii 1735., & in confirmatoria 13. Aprilis 1736. §. Neque cor. Emo Crescentio*.

Ponderandum est itaque, an Testamentum Rosæ Agostini, quocumque sub aspectu consideretur, aliquo laboret nullitatis vitio, vel contra Testamenti formam, & substantiam aliquis defectus occurrat.

Quibus accuratè perpensis, ea, qua solent æquitate, EE.PP. decernent

An sit locus erectioni Capellaniæ, in casu &c.

Non proposita cum sequentibus.

GA-

GADICEN. Causæ hujus species habetur in folio diei 11. Novembris anni præteriti. Proposita tunc fuerunt hæc dubia = *I. An consuetudo dividendi inter præsentes fructus antiquatos, seu restitutos servanda sit in casu &c.* = *II. An hujusmodi consuetudo sit servanda quoad decimas novales ab anno 1758. suspensas, & deinde exactas in casu &c.* = ; Et in Consessu diei 12. Decembris ejusdem anni responsum fuit= *Ad I. Affirmativè. Ad II. Iterum proponatur* = Quare de posteriori tantum dubio iterum modo disputatur.

Sess. 24. cap. 12. de Reform.

Inquiunt Capitulares, nullum intercedere discrimen inter decimas, quas novales vocant, & cæteros fructus ad Capitulum spectantes. Æquum esse, ut quæ dividendi ratio justa quoad hos visa fuit, servetur pariter quoad hujusmodi decimas novales.

Novalium nomen iisdem decimis afferunt fuisse impropriè tributum. Nihil aliud eo nomine indicari, quam decimas illas, quæ ex Apostolicis indultis concessæ Hispaniarum Regibus ad Regium Ærarium pertinent; iisque in suspenso relictis ab anno 1758. ob litem motam a Promothore Fiscali ejusdem Regii Ærarii adversus plures Hispaniæ Ecclesias, extincta nunc lite, Catholicus Rex illas Ecclesiis restitui mandavit.

Nihil obesse repetunt, hujusmodi decimas per annos octo minimè fuisse exactas; nam exactionis dilatio, utpote merum accidens, nec fructuum speciem, nec rei substantiam immutare potuisset. Addunt, pluries etiam præteritis annis accidisse, ut reliquorum fructuum exactio protracta fuerit ad diuturnum, longiusque tempus, & nihilominus servatam constanter fuisse consuetudinem eas tantummodo dividendi inter præsentes, nulla habita ratione hæredum defunctorum Præbendatorum.

Inutile est repetere, quæ in præcedenti folio hac super re animadversa sunt. Superest itaque, ut EE. VV., qua præstanti pollent jurisprudentia, definiant dubium, quod denuò proponitur

An consuetudo dividendi inter præsentes fructus antiquatos, seu restitutos servanda sit quoad decimas novales ab anno 1758. suspensas, & deinde exactas in casu &c.

AVENIONEN., SEU AURIACEN. MATRIMONII. Dum in Sacrario Parochialis, & Collegiatæ Ecclesiæ Oppidi Baumes sacris se vestibus induebat Parochus Joannes Baptista Bonard Missam celebraturus, vidit Josephum Vernay, & Blancam Dumas idem Sacrarium ingressos ad pedes suos flexis genibus procumbere, Suspicatus ob id, inire velle matrimonium, præsertim quia Josephum audivit proferentem verba *Signore, Signore*, occlusis auribus cla-

Sess. 24. cap. 1. de Reform. Matrimon.

clamare cœpit, & è Sacrario in Chorum, ubi aderant Canonici Divina officia persolventes, cucurrit, frustra resistente Josepho, qui albam comprehenderat. Novis itaque clamoribus, atque objurgationibus Canonicorum, qui illuc convenerunt male habiti Josephus, & Blanca, è Sacrario, & Ecclesia discesserunt, rati verum matrimonium contraxisse præsente Parocho, & duobus Testibus, quos ad id vocaverant.

Paulo tamen post Blanca, facti pœnitens, omnia negavit, & unacum Patre matrimonii validitatem impugnans disputandum curavit dubium = *An constet de Matrimonio in casu &c.*; & die 2. Aprilis 1757. rescriptum prodiit = *Dilata, & examinentur Parochus, & bini Testes formiter* = Viden. folium diei 12. Martii ejusdem anni, quod est in *Thesaur. resolut. tom. 26.*, ubi facti species latius habetur.

Novem fermè effluxerant anni, quin confici potuisset examen ob inducias a Josepho oppositas; quare Blanca Dumas, ejusque Pater preces Summo Pontifici porrexerunt, ut juberet, ne diutius Parochi, & Testium examen retardaretur. Preces remissæ fuerunt ad Sacram Congregationem, quæ die 17. Maji 1766. Episcopo commisit, ut acta conficeret, & sententiam in causa ferret juxta Benedictinam Constitutionem, omniaque postea remitteret ad Sacram Congregationem, ut judicium suum in causa interponeret.

Completo itaque formali examine, lataque ab Episcopo sententia pro nullitate matrimonii jam ab utroque Contrahente reprobati, de eo in præsenti quæritur, sub dubio, quod in calce transcribitur.

Contendunt itaque Blanca Dumas, ejusque Pater, nullum initum fuisse matrimonium: Primo ex defectu duorum Testium, quorum præsentiam pro forma, & substantia requirit Concilium Tridentinum *sess. 24. cap. 1. de Reform. Matrimon.*. Constare autem præter Petrum Gontard, qui Parocho sacris vestibus induenti coadjuvabat, nullum alium in Sacrario adfuisse, qui suam matrimonio præsentiam præstare potuerit; idque probari non solum ex depositione Parochi, & dicti Gontard, sed etiam Francisci Tartinel, qui cum fuisset in matrimonii testem a Josepho vocatus, confessus est, *che non vidde la detta Signora Dumas, ed il detto Signor Vernay inginocchioni nella detta Sagrestia avanti il detto Signor Bonard Curato . . . . Che non vidde, ne intese quello, che si faceva, o diceva in detta Sagrestia, e precisamente quello, chè vi poteva fare la detta Signora Dumas, perche egli non era a portata di vedere, ne di sentire quello, che vi si faceva, o che si diceva.*

Deinde ex defectu verborum mutuum Viri, & Mulieris consensum exprimentium, cum Parochus, & unicus Testis Gontard, & ipsi etiam Canonici, qui ad Parochi clamorem

rem a proximo Choro ad Sacrarium accesserant, deponant, nihil a Blanca, nihil a Josepho prolatum audivisse, præter verbum *Signore*. Sustinent autem, verba mutuum consensum exprimentia pertinere ad formam, & substantiam Sacramenti, *Innocent. III. in cap. Tuæ Fraternit. de Sponf.*, *Fagnan. cap. 25. de Sponsal.*, *& Matrimon. num. 8.*, & alii.

Nec objici posse, prolata utique fuisse verba ab utroque Contrahente, sed intelligi nequivisse ob clamores a Parocho, & Canonicis excitatos. Advertunt enim, strepitum impedientem auditionem verborum surgere potuisse post adventum Canonicorum, qui matrimonium contrahere attentantes increpabant; Non autem cum primum res agi cæpta fuit in Sacrario; hoc autem primo tempore nullum adfuisse strepitum, & futurum fuisse, ut commode quæcumque verba audita fuissent, si tentantes matrimonium illa protulissent.

Perperam quoque regeri ajunt, Parochum affectasse non intelligere Contrahentium consensum, occludendo sibi aures, & fugam arripiendo. Id enim spectari asserunt, quando intercessit consensus in matrimonium per congrua verba, & coram Testibus, non autem quando utrumque, prout in casu, deficiat.

Immerito pariter opponi, consensum suppletum fuisse nutibus, & signis; Respondent enim, mutis quidem fas esse per signa, & nutus consensum exprimere, non autem loqui valentibus, ut tradit *Innocent. III. citat. cap. Tuæ Fraternitati de Sponsal.*, *Boss. de Matrimon. cap. 3. num. 182.*, *Sanchez de Matrimon. lib. 2. disputat. 31. num. 2.*. Adduntque præterea, constare ex testimonio tum Parochi, tum unici illius Testis, qui in Sacrario aderat, nec a Blanca, nec a Josepho ullum datum fuisse mutui consensus argumentum, vel signum.

Nullo autem modo inter signa mutuum consensum exprimentia referri posse ingressum Josephi, & Blanchæ in Sacrarium, genuum flexionem ad pedes Parochi, & alia hujusmodi. Hos enim actus *initiales* tantum dici posse, & *proximos* ad matrimonii celebrationem, sed non aptos ad inducendam præstationem realem consensus in matrimonium, atque idcircò inutiles esse, & inefficaces ad ipsum consensum comprobandum, *Ursaya tom. primo part. 2. disceptat. 31. §. 2. num. 5. & 6.*, *Marcant. de trib. Sacram. post tom. 3. in resolut. de Sacram. Matrimon. cap. 3.*. Vel ad summum vim aliquam tunc solum habere, quando præter relatos actus intervenit celebrationi matrimonii legitimus Testium numerus, aut aliqua coram Parocho prolata sunt verba consensum præseferentia, aut æquipollentia signa sunt adhibita, & quando etiam cohabitatio, & copula est subsequuta

Card.de Luc.de Matrim.disc.2.num.15.. Secus hic, ubi ea omnia defuerunt.

Animadvertunt denique, hic agi de matrimonio clandestino a Concilio Tridentino maximè improbato, atque idcirco nisi perspicuæ afferantur probationes, contra illud in dubio esse pronunciandum, *Tamburrin.Oper.Moral.lib.8. de Matrimon. tract.6. cap.2. §.3. num.15.*, *Monacell. formul. legal. titul.16. form.2. num.28.*, *Rot. coram Cerro decis.761.num.1.&2.* Haud attento quidquid a Contrahentibus, Parocho, & Testibus absentibus asseratur, ex *Text.in cap. Tuæ Fraternitati, & cap.Consultationi tuæ de Sponsal.*, *Fagnan. in cap. quod nobis de clandestin.despons. num.54.*, *Ursaya tom.1.part.2.disceptat.3. num.11. & 41.*

Defensor verò Matrimonii tuetur, secundum litteram, & mentem Sacri Concilii Tridentini satis esse, Parochum ex his, quæ vidit, atque ex nutibus, seu signis, aliisque coram ipso gestis intelligere, Contrahentes mutuum præstare consensum in matrimonium, *Boss. de Matrimon.cap.3. §.17.num.47.*, *Sanchez de Matrimon. lib.2. disput.39. num.2. & 9.*, *Fagnan. de Sponsf. cap.3. num. 22.*; Nec necesse esse, ut Testes formalia verba audiverint expressum consensum præseferentia, cum sufficiat consensus panditus quibusvis exterioribus signis, & circumstantiis, *Rosignol. de Matrim. tom.primo contract.15. prænot.32. sub n.7.*, *Rot. in Majoricen. Matrimonii 3.Julii 1748. §.5. cor.Canilliac.*

Constare vero ex formali examine, Parochum Bonard advertisse, Josephum, & Blancam in Sacrarium ingressos fuisse, eisque coram se genua flectentibus, novisse, ipsos inire velle matrimonium. Ideo autem Contrahentium verba non audivisse, quia obstrependo, aures sibi obstruendo, ac terga vertendo, clamavit *non ho inteso niente*. Dicendum proinde, affectasse non intelligere mutuum consensum. Hanc autem affectationem nihil matrimonii validitati officere, *Fagnan. in cap. Quæsitum de pœnitent.*, *& remiss. num. 6.*, *Benedict. XIV. de Synod. Diœces. lib. 13. cap. 23. num. 10.*

Ad Testes quod attinet, contendit ex signis antecedentibus, concomitantibus, & subsequentibus deprehendi præstitum mutuum consensum a Contrahentibus. Inverosimile autem esse, quod Testes ex tot signis non intellexerint, quid a Viro, & Muliere gestum fuerit; immo probabilius existimandum, omnes consensum in matrimonium præstitum agnovisse.

Advertit denique, quod licet per solas Conjugum assertiones matrimonium probari non possit, nihilominus id locum habere, sustinet, quando non constet Parochum, & Testes adfuisse, secus verò, quando tantummodo sit quæstio de sufficienti coram illis explicato consensu per verba,

ba, & signa, *Sanchez de Matrimon.lib.2. disput.42. num.12.*, *Rot.in Gerunden. Matrimonii 28.Januarii 1723. §. Neque verò coram Cerro*.

Tridentini Concilii decreto *sess.24. cap.1. de Reformat.Matrimon.* statutum est, matrimonium coram proprio Parocho, aut alio Sacerdote de ejusdem Parochi, aut Episcopi licentia, & duobus saltem Testibus celebrandum esse, itaut aliter celebratum irritum sit, ac nullum. Circa hujusce decreti intelligentiam nonnullis ortis dubiis, san. mem. Innocentius XII. ea definienda commisit huic Sacræ Congregationi. Inter cætera verò quæsitum fuit III. = *An Parochi præsentia, de qua loquitur Sacrum Concilium debeat esse moralis, humano modo, vel cum advertentia, itaut possit esse Testis matrimonii actualiter, & de facto contracti, non verò voluntatis contrahendi, vel sufficiat potius sola præsentia physica, & materialis* = Sac. autem Congregatio die 6. Martii 1700., etiamsi quoad reliqua dubia responderit, providendum esse in casibus particularibus; nihilominus apertissimè reprobavit opinionem, quod sufficiat præsentia Parochi purè physica, seu materialis. Hinc necessè infertur, Parochum in matrimonii celebratione præsentem esse debere, ut Contrahentes oculis suis aspiciat, & mutuum eorum consensum suis auribus excipiat.

Verùm etsi perspicua hæc essent, aliqua tamen suborta fuit difficultas ex verbis cujusdam decreti a Sac. Congregatione editi anno 1581.. Cum enim Episcopus Giennensis quæsivisset = *Si Sacerdos adfuerit, nihil tamen eorum, quæ agebantur, vidit, neque audivit, utrum tale matrimonium validè contrahatur, vel potius tanquam sine Sacerdote nullius sit ponderis, & momenti*, Sacra Congregatio respondit: *Non valere, si Sacerdos non intellexit; nisi tamen affectasset non intelligere*, prout habetur in *lib.3. decret.pag.59.& seq.* Et cum hoc responso aliud etiam cohæret ejusdem Sacræ Congregationis judicium in quadam Causa *Ulyssiponen.* editum die 29.Aprilis 1593. *lib.7. decret. pag.106. terg.* his verbis expressum = *S.Congregatio censuit, si vera sint, quæ narrantur, & Parochus affectaverit non intelligere, matrimonium valere*.

Hujus limitationis sensum: *nisi affectasset non intelligere*, plures explicare conati sunt, eorumque opinionem paucis complexus est *Benedictus XIV.de Synod.Diœces.lib.13.cap.23. num.10.*, cujus sententia, quoad interpretationem relati decreti ea est, ut validum sit matrimonium celebratum coram Parocho, qui si non vidit, nec intellexit, ipse in causa fuit, ne videret, nec intelligeret, propterea quod vel aures sibi obstruxerit, vel faciem velaverit, ne audire, & aspicere cogeretur. Id etiam colligitur ex *Fagnan. in cap. Quoniam num.25. de Constitution.*, *& cap. Quæsitum num.7. & 8. de pœnit., & remiss.*: Idque verosimilius esse naturalis ratio suadet, cum in arbitrio Parochi non sit matrimonii libertatem

tem impedire, ut concludit Benedictus XIV. *loc. citat.*

Prima igitur inspectio erit, num Parochus Bonard revera affectaverit non intelligere Contrahentium verba mutuum consensum præseferentia; & an ad affectationem referri debeat, quod ille clamaverit, quod terga verterit, quod sibi aures occluserit, quod denique eo ipso in actu dixerit *non ho inteso niente*. Per hæc enim omnia Parochus in causa fuit, ne Contrahentes videret, eorumque verba intelligeret.

Et quoniam ad Matrimonii formam, & substantiam non solum Parochi præsentia requiritur, sed etiam duorum saltem Testium, idcircò inquirendum ulterius erit, an hic testium numerus adfuerit: & an isti, si non ex contrahentium verbis, ex signis saltem, aliisque circumstantiis mutuum illorum consensum deprehendere potuerint. Exploratum quippe esse videtur, non ex verbis tantum, sed ex nutibus quoque, ac signis, & actibus, qui matrimonium antecedunt, comitantur, & subsequuntur, Parochum, & Testes utriusque contrahentis consensum percipere posse, deque illo adeo certos esse, ut probè valeant de inito matrimonio testimonium perhibere, quemadmodum tradunt *Sanchez. de matrim. lib. 2. disput. 39. num. 2.*, *Boss. eod. tract. Cap. 1. §. 23. num. 58.*, *& cap. 3. num. 23.*, *Guttier. ibid. cap. 69. num. 9.*

Quid Sacra Congregatio juxta peculiares casuum circumstantias senserit, dignosci poterit ex variis resolutionibus relatis in folio causæ, cui titulus *Romana Matrimonii* proposita *die* 11. *Februarii* 1730., quæ habetur in *Thesaur. resolut. tom. 5.* His addendum ejusdem Sac. Congregationis judicium in dicta causa *Romana*, in qua Parochus testatus fuerat, audivisse quidem virum pronunciantem *P. Curato questa è la mia Sposa*, fæminam tamen neque vidisse, neque ullo modo loquentem audivisse, quandoquidem clamore emisso statim fugam arripuerat; Unus autem ex Testibus deposuerat, se prædicta tantùm Viri verba audivisse, sponsam verò neque vidisse, neque ulla proferentem verba audivisse; Alter denique testis, nec Virum, nec fæminam mutuum consensum exprimentes ullo modo audivisse; Sac. Congregatio die 28. Julii ejusdem anni rescripsit = *Renovetur consensus ad cautelam coram Parocho, & Testibus juxta formam Concilii Tridentini.*

In *Neapolitana Matrimonii* Parochus, qui Matrimonium contra Ecclesiæ Leges ineundum fuerat suspicatus, absoluto Sacro, in Sacrarium quamcitissime aufugiens, virum tantummodo audiverat dicentem *Signor Parroco*. Testes verò formiter examinati convenerant, quod ea dumtaxat verba fuissent a Viro prolata, Sac. Congregatio *die* 17. *Decembris* 1740. differendam censuit resolutionem, ac dari jussit Defensorem Matrimonii; Eoque postea audito *die* 6.

Maii 1741. declaravit, constare de Sponsalibus, & Matrimonio.

In *Carthaginen. Matrimonii*, agebatur de Matrimonio contracto coram Parocho Domi suæ inopinatè deprehenso, qui Virum quidem aspexerat, & hæc verba intellexerat: *Padre Curato Lei sia Testimonio*, sed fæminam nec viderat, nec audiverat. Distractis primum EE. PP. Sententiis die 7. Aprilis 1753. rescriptum fuit = *Iterum proponatur, & scribant duo Theologi, & Canonistæ pro veritate ex Officio* = Die tandem 22. Septembris ejusdem anni Affirmativum prodiit responsum pro validitate Matrimonii, *attentis facti circumstantiis in casu, de quo agitur*.

Facti itaque circumstantiis, ut judicii gravitas exposcit, etiam in præsenti casu maturè perpensis, decidendum proponitur dubium.

An constet de Matrimonio in casu &c.

ALEXANDRINA SERVITII CHORI. Capellani Cathedralis Ecclesiæ Alexandrinæ grave nimis asserentes ob nimiam redituum tenuitatem onus assidui, & quotidiani servitii Chori supplicarunt pro ejus reductione ad dies tantum festos. Proposita instantia fuit in Congregatione diei 21. Novembris anni elapsi, & Emi PP., ut consideratius rem definirent, caute rescripserunt = *Dilata, & firmetur status*. *Sess. 24. cap. 1. & 12. de Refor.*

Impletum id fuit ab Episcopo, adhibita potissimum opera Advocati Fiscalis suæ Curiæ. Ex folio proindè, quod inter monumenta causæ exhibetur, apparet, Capitalia sex Capellaniarum, de quibus nunc agitur, erectionis tempore fuisse valoris scutorum 4554. 66., annuos verò reditus scut. 240.. Nunc autem Capitalium valorem imminutum esse ad sc. 4441. 53., & annuos reditus ad sc. 233. 93.. Capitalium idcircò diminutio deprehenditur in sc. 112. 73., redituum in sc. 6. 6.

Patet insuper, expensas, & annua onera, quæ ferunt Capellani quotannis, esse in quantitate sc. 146. 80., hisque ex annuo reditu subductis, superesse sc. 87. 13.. His verò in sex partes divisis, unicuique Capellano annua sc. 14. 52. obvenire tum ratione Præbendæ, tum quotidianarum distributionum.

Ob igitur redituum tenuitatem iterum Capellani ab onere quotidiani servitij sublevari postulant. Repetunt rationum momenta, quæ relata jam sunt in folio diei 19. Septembris anni præteriti, quod EE. PP. resumere rogantur.

Epi-

Episcopus in novissima sua relatione, tantum abesse ait, ut spes aliqua vel minima effulgeat augumenti redituum Capellaniarum, ut probabilius impendat periculum futuri majoris decrementi. His enim verbis se explicat = *Observandum est, omnia Capellaniarum prædictarum Capitalia in præsens proventum gignere quinque pro quolibet centenario, ultra quam summam nunquam poterit aliquid percipi, imò verendum est, ne ipsa imminuantur, cum taxa, seu ratio communis vi regiarum Sanctionum nunc constituta, redacta non ita pridem sit ad tria cum dimidio pro quolibet centenario. Domuum autem, quæ in dd. Beneficiorum dote comprehenduntur, altera est perpetua emphyteusi vinculata, remoto fermè omni casu reversionis, altera si quid etiam finita emphyteusi promitteret accessionis reditui, quod tamen non apparet, adeo angusta est, & certè domuncula, ut nonnisi levissimam possit promittere.* Suggerit tamen, quod si ex aliqua piorum Fidelium largitione *Capellaniarum reditus augeri contigerit usque ad summam sc. 40., detractis Missarum oneribus, integrum sit Episcopo Oratores, vel eorum successores quotidianæ rursus residentiæ adigere.*

Monet præterea, redituum diminutionem non posse referri nec litibus actis, nec utensilibus comparatis = *Namque expensas hujusmodi, licet in litibus præsertim insignes, ex ipso emolumento, quod singulis annis contigebat, iidem Capellani detraxerunt, relinquentes tamen intacta semper ipsa Capitalia, quæ si aliquo modo sunt imminuta, hæc aliis ex causis promanavit.*

Indulgendum tandem censet Oratorum precibus ex eo potissimum, *quod tenuitas emolumenti residentiæ quotidianæ oneri respondere non videatur, & propter hanc tenuitatem, residentiam ipsam negligi haud raro periculum sit.*

Uulgatissima est apud Doctores divisio residentiæ in *præcisam*, & *causativam*. Illa obligat sub pæna amissionis beneficii, & per alium adimpleri nequit: Hæc verò solum sub pæna amissionis fructuum, & potest per alium adimpleri, *Rigant. ad reg. Cancell. reg.* 1. §. 8. *num.*12., *Rot. in Monasterien. Parochialis* 16. *Februarii* 1748. §. 5. *coram Emo Migazzi*. Ex quibus autem dignosci possit, utrum Beneficio adjecta sit residentia præcisa, aut causativa, tradit *Rigant. loc. cit. num.*16., ubi inter cætera animadvertit, pænam amissionis fructuum a Fundatore expressam in dubio residentiam tantum causativam inducere, secus verò si aliundè constet, ipsum præcisè residentiam voluisse. Id ipsum docet etiam *Butr. in cap. fin. num.* 7. *de Cleric. non residen.*, *Rot. cor. Molin. dec.*516. *num.*16. *tom.*2.

Residentiæ causativæ correspectiva debet esse redituum quantitas. Hinc S. Congregatio pluries ob redituum tenuitatem servitium Chori ad certos dies reducendum censuit;

fuit, ut patet ab exemplis in præterito hujus causæ folio relatis.

Inquirendum est itaque, an Capellanorum reductionem hic petentium residentia causativa sit, vel præcisa, & an redituum tenuitas, & decrementum tale sit, ut quotidianum Chori servitium imminui permittat.

Conferre in id potest animadversio, quod fundator residentiam iniunxit intuitu tantum Parochialis Ecclesiæ S. Mariæ ab Ulmo, in qua nullum Chori servitium, nulla Lex residentiæ fuerat indicta. Hinc observandum occurrit, an translatis provisionaliter iisdem Capellaniis ad Ecclesiam Cathedralem, ad quam Fundator non respexit, pronius reductioni sit annuendum.

His autem perpensis dirimendum judicio EE. VV. iterum proponitur dubium.

An, & quomodo reducendum sit servitium Chori in casu &c.

AGENNEN. IRREGULARITATIS. Franciscus Garzias Rector Parochialis Ecclesiæ de Angairac, dum anno 1758. die 12. Januarii intentus erat, ut sclopo vel occideret, vel fugaret quamdam feram bestiam nuncupatam Martem in ejus Curti damnum inferre solitam, monitus de injuriis, contumeliis, ac violentiis, quibus Franciscus Pons Nepos propriam matrem sibi sororem aggrediebatur, celeri gradu accurrit, ac verbis objurgare cæpit de ejus excessu Nepotem; sed is ira accensus in Patruum irruit, ut ab ejus manibus Sclopum eriperet, quare Patruus in sui defensionem Sclopum explosit, & vulneravit Nepotem, qui licet saucius violenter adhuc aggressus fuit Patruum, & ejus pileum, & pileolum abripuit; fractis tamen interea effussione Sanguinis viribus, in terram cecidit *dicendo non ho altro di quello, che merito: l'ho cercata da molto tempo*, ac sequenti die obiit. *Sess. 14. cap. 7. de Reform.*

Cum res ita accidisset Clementia Regis Christianissimi remissa fuit quævis admissi homicidii inquisitio, ac litteris mensis Julii 1758. Occisor in gratiam, & ad bona fuit restitutus. Preces deinde dedit pro dispensatione ab irregularitate; at illæ rejectæ æquè fuerunt tam die 30. Junii, quam die 1. Septembris 1759. Easdem nunc renovat decennio jam delapso, & de iis hic agitur.

Inquit Orator, non suscepisse data opera sclopum contra Nepotem; fortuito illum habuisse præ manibus; monitis dumta-

taxat, verbisque salubribus eum removere curasse ab injuriis contra Matrem, & nonnisi ad aggressorem repellendum explosisse sclopum: suum timorem tunc vincere non potuisse: inconsiderate fecisse, quod improviso aggressio, ac instans propriæ vitæ discrimen otium rectiùs cogitandi non dedit: Cum ideo non ex proposito, aut ex præparatione per insidias homicidium patraverit, hoc voluntarium dici non posse, & propterea benigna dispensatione esse donandum *Gloss. in cap. sicut §. Clericus de homicid. verb. consilium, Vitalin. in Clement. si Jurius num. 33. eod. tit., & Anaclet. in jus can. lib. 5. tit. 12. §. 4. num. 137.*

Addit, rem hic esse de promoto ante delictum, & ad curam animarum selecto: Anteactæ vitæ optima habere testimonia: numquam inquisitum, nec ulla culpa notatum fuisse, sed suæ Ecclesiæ, suæque Curæ animarum laudabiliter inservisse, omnibusque fuisse acceptissimum gravitate morum, ac probitate. Casum fuisse talem, ut commiseratione maxima dignus sit judicandus, si casuum humanorum est unquam miserendum: Se mereri hoc saltem jam senio confectum in ætate 77. annorum post decennalem pænam privationis Officii, & fructuum Parochiæ: Nepotem ipsum mortis suæ authorem se ipsum agnovisse: consanguineos defuncti ultro pacem, ac benevolentiam pristinam sibi restituisse: ac demum pro dispensatione accedere Ordinarii judicium.

Episcopus in sua relatione anni 1759. hæc habuit = *testor d. Garzias semper bene audiisse in hac Regione, notum mihi gravitate morum, humanitate, comitate, atque omnibus acceptissimum fuisse, ita ut navarim operam ego apud Regem pro obtinendis in illius gratiam literis, quas Gallico idiomate appellamus Lettres de Grace, quæ & mihi concessæ sunt facilitate multa, & in scriniis parlamenti Burdegalensis solemniter descripta.*

Nunc vero Vicarius Generalis ex mandato Episcopi testatur = *Franciscum Garzias Presbyterum, & Rectorem Ecclesiæ de Angairac hujus Diœcesis bonis esse moribus ornatum, sana doctrina comendabilem, eumque, post homicidium a se involuntarie perpetratum, hujus delicti se vere pænitere sufficientia signa dedisse.*

Concilium Tridentinum *Sess. 14. cap. 7. de Ref.* hæc habet = *Qui sua voluntate homicidium perpetraverit, etiamsì crimen id nec ordine judiciario probatum, nec alia ratione publicum, sed occultum fuerit, nullo tempore ad Sacros ordines promoveri possit, nec illi aliqua Ecclesiastica beneficia, etsì curam non habeant animarum, conferri liceat, sed omni ordine, & beneficio, & officio Ecclesiastico perpetuo careat. Si vero homicidium non ex proposito, sed casu, vel vi vim repellendo, ut quis se a mor-*

morte deſenderet, fuiſſe commiſſum narretur, quam ab cauſam, & ad Sacrorum ordinum, & altaris miniſterium, & beneficia quæcumque, ac dignitates, jure quodam modo diſpenſatio debeatur, committatur Loci Ordinario, aut ex cauſa Metropolitano, ſeu viciniori Epiſcopo, quod nonniſi cauſa cognita, & probatis precibus, ac narratis, nec aliter, diſpenſare poſſit. Et licet Epiſcopis diſpenſandi facultatem *in irregularitatibus ex delicto occulto* provenientibus indulſerit, excepit eas, *quæ ex homicidio voluntario ſunt ſeſſ.* 24. *cap.*6. *de Ref.*

Quare Sacra hæc Congregatio Sanctionum Concilii Tridentini cuſtos, ac vindex, fere nunquam de homicidio voluntario diſpenſationem conceſſit, ut in *Biſaccen. Irregularitatis* 10. *Junii* 1741. *Feretrana Irregularitatis* 22. *Januarii* 1757., *Brixien. Irregularitatis* 19. *Januarii* 1765., *Agrigentina diſpenſationis* 30. *Januar.*, & *in Tranen. Irregularitatis* 26. *Martii currentis anni*: præſertim ſi ageretur non de promoto, ſed promovendo, ut in *Lamacen. irregularitatis* 13. *Septembris* 1738.

Ubi vero actum eſt de homicidio non ex induſtria, neque ex propoſito, circumſtantias rerum expendit, num homicidium admiſerit vel qui dans operam rei licitæ diligenter non caverit, vel qui opus illicitum egerit, & rurſus num res acciderit in calore iræ, ac mentis efferueſcentia cum aliquali vitæ diſcrimine, vel caſus fuerit omnino fortuitus, & non prænoſcibilis. Fere ſemper tamen diſpenſationem diſtulit, ac poſtmodum probata conſtanti vitæ emendatione conceſſit, ut in *Nullius Provinciæ Compoſtellanæ* 2. *Octobris* 1723., *in Montis Faliſci irregularitatis* 6. *Junii* 1739., *in Imolen. irregularitatis* 6. *Junii* 1739., *in Imolen. irregularitatis* 28. *Januarii* 1741., *in Marana Irregularitatis* 12. *Martii* 1763., & *in Terracinen. Irregularitatis* 10. *Maii* 1766., & etiamsi ageretur de promovendo, ut in *Averſana Irregularitatis* 2. *Auguſti* 1755.

Hinc circa diſpenſationem indulgendam rectiſſime *Fagnan. in Cap. Henricus de Cleric. pugn. in duello num.*41. plura ſedulo perpendenda eſſe docet, nempe, *An homicidium fuerit commiſſum per induſtriam, ſeu præmeditate, & per inſidias: An occidens fuerit rixæ auctor, vel provocatus: An tantum tempus exceſſerit a die patrati homicidii, ut illius memoria ſit obliterata in loco, & ſic ceſſet ſcandalum: An ve ab eo tempore Orator a miniſterio altaris abſtinuerit; Rurſus an obtinuerit pacem a Parentibus, vel Conſanguineis defuncti, an ve cum Fiſco concordarit: Item an eſſet alias bonæ conditionis, & famæ, & an poſt delictum ſemper laudabiliter vixerit ex literis teſtimonialibus Ordinarii.*

Singulis propterea circumſtantiis, quæ in caſu concurrunt,

mature perpensis, EE. PP. assueta æquitate, ac clementia dijudicent.

An sit consulendum Sanctissimo pro gratia dispensationis in casu &c.

Sess. 22. cap. 8. & 9. de Reform.

ARIMINEN. MONTIS PIETATIS SUPER CONFIRMATIONE RECTORIS. Regimini Sac. Montis Pietatis Arimini præest Congregatio XII. Virorum a Communitate selectorum ex Optimatibus Civitatis. Præficit eadem Congregatio gestioni Negotiorum certos Ministros, quorum alter nuncupatus olim *Massarius*, *Rectoris* nomine modo est insignitus; Istius officium coævum est erectioni Montis, & ejus electio, vel confirmatio legitur Duodecim viris imperata in Statutis conditis anno 1581.. Sicuti vero Rectoris munus multam exigit fidem, & honestatem, quia altera n ipse retinet ex clavibus depositorum, & custos est = *tanto della Cassa de denari, quanto di tutti li pegni* =, ita in novis Constitutionibus instauratis anno 1641. cautum fuit, ut Massarius nunc Rector = *non possa durare più di trè anni, e volendo continuare debba avere la riferma per due terzi di voti della sudetta Congregazione, come sopra*.

Utebantur Moderatores Montis arbitrio confirmandi ad libitum Rectorem. Verum cum interea non modica damna Loco Pio evenissent ex confirmato Rectoratus officio, Sac. hæc Congregatio anno 1726. in mandatis dedit Card. de Via tunc Ariminensi Episcopo, ut interdiceret sub pæna nullitatis Rectoris confirmationem ultra triennium, & mandatum hoc impletum fuit publico in id edito Edicto. Exhibitis deinde sa. mem. Benedicto XIV. precibus pro reformatione Regiminis Montis, cum noverit Sapientissimus Pontifex ex relationibus tum Emi Legati, tum Episcopi, nullam urgere reformationis necessitatem, significavit Antistiti per organum Secretariæ Status, ut servaretur antiqua norma, ei additis provisionibus interea constitutis, suggestisque in eisdem Relationibus. Quare nova condita fuerunt Capitula, quorum XIV. ita cavetur = *Il Rettore non possa permanere nell'Oficio più d'un triennio, ma se per alcun accidente dovesse permanere nell'Officio qualchè maggior tempo, le di lui sigurtà siano ugualmente obligate*.

Cum autem id contigerit, ut post exactum Rectoris Officium a Com. Henrico Rigazzio, ei suffectus fuerit Joannes Antonius ejus filius, huic autem iterum Henricus Pater, hinc Zelatores nonnulli afferentes, hisce prætextibus eludi mandata

data Urbis, & ex invecta methodo grave impendere perniciem Loco Pio, supplicem dederunt Sac. Congregationi Libellum, ut illi ratione aliqua consulere dignaretur, Contendentibus tamen Moderatoribus Montis, liberum ipsorum esse arbitrium confirmandi Rectorem, nec ullo pacto obstaculi in id esse Decretum Cardinalis de Via, quod latum inquiunt præter formam a Sac. Congregatione ei commissam, super utroque idcirco hoc puncto post auditum Episcopum vertitur Causæ præsentis inspectio.

Ad I. Dubij partem inquiunt Moderatores Montis, Statuta anni 1581. constituisse, ut eligeretur = *dalli dodici Soprastanti uno nominato Massaro, o si confermi quello, che ha servito per il passato* =. Arbitrium confirmandi Rectorem non ablatum, sed potius confirmatum fuisse a posterioribus Statutis anni 1645. præscribentibus tantum modum confirmationis *per due terzi di Voti*. Juris autem rationi non repugnare, ut qui potestate pollent eligendi Ministrum ad certum tempus, possint etiam illum benemerentem in officio ad aliud simile tempus confirmare, Non esse proinde, cur licere non debeat Congregationi Montis confirmare in officio Rectorem ipsius Montis ad aliud triennium post primum triennium exactum. Negationem ejusmodi potestatis pugnare cum Statutis eamdem potestatem expresse concedentibus, & religiose observandis; Præsertim cum Statuta priora Authorem agnoscant Visitatorem Apostolicum, qui eorum compilationem edixit, posteriora vero confirmationem obtinuerint ab Antistite Dioecesano, cui tributam inquiunt super hoc amplissimam jurisdictionem a Tridentina Synodo *Sess.* 22. *cap.* 8., *&* 9. *de Reformat.*

His accedere observantiam duorum fere Sæculorum, in quorum desluxu Rectores electi ad plura triennia fuerunt confirmati. Addique præterea Apostolicum mandatum, quod desumunt ex eo, quod sa. mem. Benedictus XIV. vetando per organum Secretariæ Status, ne antiquum regimen *venga mutato nella sua sostanza*, voluisse videtur, ut servaretur etiam consuetudo confirmandi Rectorem, quæ antiqua est, Statutis consentanea, & juri communi minime repugnans.

Ad secundam Dubij partem ajunt, Edictum Card. de Via veluti editum in executionem Decreti Sac. Congregationis, ab hoc recipere debere interpretationem. Sacram hanc autem Congregationem intellexisse abrogare pravam consuetudinem perpetuandi in officio eamdem Personam, & vetasse ne idem Rector ultra triennium in officio maneret sub ea tamen conditione = *Dummodo secus sancitum non fuerit in ipsorum legibus, quas Sedes Apostolica confirmaverit* =

Hanc autem conditionem optime hic verificari. Ex legibus Montis Congregationi datam fuisse potestatem confirmandi Rectorem. Illis vero non deesse Sedis Apostolicæ confirmationem; Nam Statuta anni 1581. probari meruerunt a Sac. Congregatione Negociis Episcoporum, & Regularium præposita, alia vero posteriora anni 1641. in re, de qua agitur, præcedentibus esse conformia; corruere propterea ob conditionem purificatam prohibitionem injunctam in Decreto Sac. Congregationis, & consequenter collabescere Edictum Emi de Via.

Nec obstare novas Constitutiones editas anno 1756., tum quia non fuerunt a S. Sede confirmatæ, tum etiam quia non corrigunt, vel immutant antiquas, cum quibus putant illas bene posse conciliari.

Post hæc Moderatores Montis abstergere nituntur a se, & a Comite Rigazzi omnem culpam de iis, quæ in libello Zelatorum contra utrosque objiciuntur, affirmantes, in nihilo Rigazzium deliquisse propter omissum annalem restrictum introitus, & exitus Montis, cum nullo Statuto cautum sit, ut ille Priori ejusdem Montis tradatur singulis annis; minusque peccasse ob neglectam consignationem Clavium Montis, dum in fine triennij penderet discussio rationum gestæ administrationis; cum id evenerit ex necessitate, non per culposam omissionem; Et ob id neque in crimen incidisse Congregationem Montis universam, si Claves non repetiit; nam cum sedulam ipsa dederit operam discussioni rationum, satis id esse debeat ad excludendam culpam, cum magis spectari debeat finis Legis, quam methodus ad illum obtinendum præscripta.

Sustinent vero, incongruum non esse, ut Pater, & Filius alternatim eligantur in Rectores. Non esse id vetitum vel a Statutis Montis, vel decreto hujus Sac. Congregationis; Nullumque impendere exinde præjudicium, spectata præsertim persona Com. Rigazzi viri adeo meriti, ut optabile esset, ei perpetuo decerni munus Rectoratus.

Zelatores propria jura non deducunt. In eorum precibus, post relata plura damna in præteritum Sac. Monti illata ex prorogato munere Rectoratus, hæc in fine exponuntur = *fra le altre risoluzioni &c. fu decretato, che il Rettore non potesse continuare in tal carica più del Triennio, e che ogni anno dovesse dare il bilancio dell'introito al Priore &c., e ogni triennio renda conto agli Eletti, e con tali ristretti dovesse farsi il confronto, e pure ciò non ostante &c. tali savj decreti non si sono esseguiti, ne presentamente si esseguiscono, ed alla morte de Rettori solamente si scuoprirà la mancanza delle Casse, a nulla servendo le revisioni triennali, quando anche queste si facciano, quando effettivamente non debbino consegnare la Cassa numerata al Successore, non servendo quell'apparenza, che si fà della con-*

contata del denaro, quando venga confermato lo stesso Montista, o il figlio, perchè per lo più presa in prestito, avendo dovuto a tali mancanze, non ostanti le Sigurtà date da Rettori, soccombere la stessa Cassa del Monte.

Episcopus in latissima ejus Relatione expedire putat, ut utroque triennio novus Rector sit eligendus; Exponit mala, quæ secus Monti possent evenire. Opinatur, alternantem Rectoratus collationem a Patre in filium, & ab hoc in Patrem eludere legem ab hac Sac. Congregatione præscriptam, Edictum Card. de Via, ac Caput XIV. novarum Constitutionum; Asserit, & Patrem, & filium in legum implemento peccasse, nec culpa vacuam esse Congregationem Montis.

Duo hic digna sunt, ut ponderentur, unum quid liceat, alterum quid expediat. Primum ex eo pendet, num Statuta Montis sint a Sede Apostolica confirmata, ita ut dici posset, Cardinalem de Via excessisse hujus Sac. Congregationis mandatum prohibendo præter ejus formam confirmationem Prioris ultra triennium.

Non satis clara videtur hæc, quæ jactatur, confirmatio, cum non liqueat, Sac. Congregationem Negociis Episcoporum, & Regularium præpositam capita omnia Statutorum anni 1581. approbasse, nam constat dumtaxat, duorum tantum capitum jussisse exequutionem, & implementum.

Quod pertinet ad ejusmodi administrationes, Sac. Concilium Tridentinum *Sess.* 25. *cap.* 8. *de Ref.* verba faciens de hospitalibus, seù aliis piis locis, quæ ad Pauperum etiam usum præcipuè sunt instituta dicit: *Nec administratio, seù gubernatio hujusmodi locorum uni, & eidem personæ ultrà Triennium deinceps committatur, nisi aliud in fundatione cautum reperiatur, non obstante, quoad omnia supradicta, quacumque unione, exemptione, & consuetudine in contrarium, etiam immemorabili, seù privilegiis, aut indultis quibuscumque.*

Quamvis autem Sac. Congr. apud *Garz. loc. cit. C.*4. *num.*10. censuerit: *Hoc Decretum loqui in administratoribus Hospitalium, non autem aliorum Piorum Locorum;* Attamen perpendendum, an ratio propter quam ita censuit Sac. Congregatio aptari valeat præsenti controversiæ. *Barbos. Jur. Eccl. univ. Cap. XI. num.*36. hanc affert post jussionem Tridentinam rationem: *Non enim debet quisquam administrationis, & proventuum, quæ pro necessitatibus Pauperum sunt institutæ, Dominus perpetuus constitui.*

Ponderandum idcircò, an etiam ubi ex jure dicendum foret Congregationi S.Montis inesse facultatem Rectoris ministerium uni per plura Triennia concedendi, esset tamen expediens hic illam coarctare, tum quià spiritus Sanctionis Tridentinæ etiam S. Monti Pietatis conveniat; tum quia ad tot præcavenda mala, quæ possunt evenire, necesse sit id

id præstare; tum demum, quia Rectores non esse confirmandos censet Episcopus, cujus judicio Sac. Congregatio plurimum deferre solet in iis, quæ pertinent ad Montem Pietatis, inquiens *in una Montis Pietatis Ravennaten. Anno 1617. Episcopum posse pro bono regimine Montis Pietatis Decreta ipsius confirmare, reformare, & augere, non tam in Visitatione, quam extrà, & sibi reservare facultatem hujusmodi Decreta reformandi, moderandi, & augendi, prout sibi videbitur, & placuerit.*

His autem perspectis superest, ut EE. VV. assueta justitia, ac prudentia declarent.

An liceat Congregationi Montis procedere ad confirmationem Rectoris post triennium, & facta redditione rationis, seù potius obstet Decretum Anni 1726. clar. mem. Cardinalis de Via in casù &c.

Die

Die Sabbathi 30. Julii 1768. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

QUum in postrema Congregatione diei 9. currentis mensis nonnulla Causarum dubia propter temporis angustiam decisa minime fuerint, idcirco, reassumpto priori folio, rogantur EE.PP. eadem dubia, & alia, quæ sequuntur, prudenti judicio, ac doctrina definire.

BARCHINONEN. In præterita Congregatione Regulares Civitatis Barchinonæ humiliter supplicarunt pro dilatione præsentis Causæ, quæ descripta est in folio diei 4. præteriti mensis Junii. Placuit autem EE. VV. ipsorum precibus benigne assentiri, edito rescripto = *Dilata, & proponatur in prima, etiam unica* = Quamvis autem nihil huc usque deductum ab ipsis fuerit, nihilominus Sac. hujus Congregationis obsequendo mandatis, resolvendum iterum proponitur dubium: *Sess. 22. cap. 1. & 12. de Reform.*

An, & quomodo sit providendum, in casu &c.

Esse providendum ad formam resolutionis Congregationis particularis anni 1722., firma remanente obligatione emissa per Aromatarios, & ab Ordinario acceptata favore Pauperum, & pro remotione Aromatariarum a locis publicis scribatur Ordinario juxtà mentem.

ANAGNINA ERECTIONIS CAPELLANIÆ. *Sess. 22. cap. 8. de Reform.*

An sit locus erectioni Capellaniæ, in casu &c.

Affirmativè.

GA-

Sess.24. cap.12. de Reform.

GADICEN.

An consuetudo dividendi inter praesentes fructus antiquatos, seu restitutos servanda sit quoad decimas novales ab anno 1758. suspensas, & deinde exactas, in casu &c.

Affirmativè.

Sess. 24. cap.1. de Reform. Matrimon.

AVENIONEN., SEU AURIACEN. MATRIMONII,

An constet de Matrimonio, in casu &c.

Negativè.

Sess.24. cap.1. &12.de Reform.

ALEXANDRINA SERVITII CHORI.

An, & quomodo reducendum sit servitium Chori, in casu &c.

Affirmativè juxta votum Episcopi.

Sess.14. cap.7. de Reform.

AGENNEN. IRREGULARITATIS.

An sit consulendum Sanctissimo pro gratia dispensationis, in casu &c.

Affirmativè.

Sess.22. cap.8. & 9.de Reform.

ARIMINEN. MONTIS PIETATIS SUPER CONFIRMATIONE RECTORIS.

An liceat Congregationi Montis procedere ad confirmationem Rectoris post triennium, & facta redditione rationis, seu potius obstet Decretum anni 1726. clar. mem. Cardinalis de Via, in casu &c.

Non proposita, cum reliquis.

VE-

VERONEN. TRANSLATIONIS MISSARUM. Comes Galeottus Nogarola in Teſtamento condito anno 1530. perpetuum inſtituit legatum ſex Miſſarum, ſingulis hebdomadis celebrandarum in Eccleſia S. Laurentii Civitatis Veronæ, comprehenſis in eodem legato Miſſis quatuor, quas in eadem Eccleſia celebrandas mandaverat Comes Carolus Nogarola ejus frater. Sacerdoti vero a ſuis hæredibus tam inſtitutis, quam ſubſtitutis eligendo, confirmando, ac pro libito removendo, nonnullos legavit annuos affictus, unum ſcilicet librarum 27., & ſolidorum 18., alterum lib.23., & ſolid.5.

Quamvis autem prædicti duo affictus ab antiquiſſimo tempore facti ſint inexigibiles, nihilominus Deſcendentes Familiæ Nogarola propriis ſumptibus legatum Miſſarum adimpleri curarunt, onere bipartito deſcendentes inter a linea Teſtatoris, & alios, a quibus ſuam trahit originem hodiernus Comes Ferdinandus. Is verò legatum trium Miſſarum, cui ære proprio ſatisfacit, transferre cupiens ab Eccleſia Sancti Laurentii ad Eccleſiam Parochialem Oppidi Azzani jure Feudi ad ſe pertinentis, preces pro translatione obtulit Sanctiſſimo Domino Noſtro, aſſignaturum promittens fundum pro perpetua Sacrorum celebratione. Precibus remiſſis ad Sacram Congregationem, poſt ſuperventam Epiſcopi relationem, nunc proponitur diſcutienda hæc petitio.

Exiſtimat Comes Ferdinandus, nullam de jure ſibi ineſſe obligationem adimplendi legatum, cum fundus in Miſſarum celebrationem unica oratione cum inſtitutione legati fuerit deſtinatus; atque idcircò fundum non demonſtrativè, ſed taxativè fuiſſe relictum, *Menoch. conſil.* 1162. *num.*17., *Rot.dec.*55. *num.*3. *coram Merlin.*, & *dec.*530.*num.*16.*part.*19. *Recent.*; Præſertim, quia Teſtator data tantum hæredibus ſuis facultate eligendi Capellanum, huic directè fundum reliquit. Ex his itaque ſatis conſtare de *taxativa* fundi deſtinatione, eoque proindè perempto hæredem ad alterius ſubrogationem cogi non poſſe, *Leg.Cum certus numerus ff.de Trit. Vin.&c.*, *Surd. de alim. tit.*4. *quæſt.*26.*n.*2., *Rot. dec.*55. *num.*1. *cor.Merlin.*

Quin immò, etiamſi fundus *demonſtrativè* relictus fuiſſet, ſuſtinet, nihilominus a quovis onere ſe habendum eſſe immunem, propterea quod nihil aliud ex Teſtatoris hæreditate percepit, quam binos illos affictus pro legato Miſſarum aſſignatos; atque idcircò æquum non eſſe, ut onus hæreditati inhærens ſubire debeat, qui nihil commodi retrahit ab eadem hæreditate, *L.Nomen debitoris ff.de legat.*3., *Bart. in L.Lucius num.*3. *ff.de aliment. cib. leg.*, *Caſtren. conſil.* 338. *num.* 4. *lib.* 1.. Atque hinc infert, æquitati conſonam eſſe petitam translationem, cujus intuitu idem Comes Ferdinandus paratum ſe exhibet ad aſſignandum legato con-

 gruum,

gruum, ac specialem fundum. Maximè quia translationi favet Episcopus Veronen., assensum præstat Archipresbyter Ecclesiæ S. Laurentii, nec dissentit Comes Galeottus Nogarola ex linea Testatoris descendens, cui aliarum trium Missarum onus incumbit.

Nihil obesse inquit, unum ex Fundatoribus in Ecclesia S. Laurentii præsumi tumulatum. Primum enim ait, id certo non constare, sed ex conjecturis solum inferri. Deinde, data etiam ejus rei veritate, asserit eam tunc pretio haberi, dum res est de interpretanda Testatoris voluntate, quoad locum pro celebratione Missarum designandum; parvique referre, dum agitur de translatione gratiosè concedenda in majus bonum piæ fundationis.

Notissima est distinctio inter fundum legato *demonstrativè* adscriptum, & legatum *taxativè* relictum. In relicto primæ speciei imminutio, vel peremptio fundi sarciri debet ab hærede. In legato autem secundæ speciei casus cedit ipsimet legato, & tunc vel Missarum numerus reducitur, vel etiam omninò deletur. Qua autem ratione dignoscatur, utrum legatum *demonstrativè*, vel *taxativè* relictum sit, non omnes Doctores conveniunt.

Sentiunt nonnulli, *taxativè* relictum censeri legatum, quoties Testator uno, eodemque verborum contextu Missarum indicit celebrationem, & simul in eam fundum assignat, *Mantica de conject. lib.* 12. *tit.* 6. *num.* 24., *Menoch. de præsumpt. lib.* 4. *præsumpt.* 147. *num.* 48., *Castill. controv. jur. lib.* 4. *cap.* 54. *n.* 20., *Rot. decis.* 456. *num.* 34. *& seq. coram Molin.*. Alii verò animadvertendum censent, an Fundator exordiatur ab oneris impositione, indèque pergat ad fundum constituendum, vel potius a fundi designatione incipiat, indeque ad ordinationem Missarum progrediatur. In primo casu dotalis fundi constitutionem *demonstrativè* factam asserunt, in secundo *taxativè*, *Felin. in cap. Super literis de rescript.*, *De Vecchis in voto impresso apud Crispin. de Visitat. Pastoral. par.* 2. *§.* 18. *num.* 6., *Scarfanton. ad Ceccoper. animad. ad lib.* 3. *tit.* 14.

Hac postrema regula uti solet Sacra Congregatio, ut patet ex ipsa instructione, quam transmittit Episcopis facultatem petentibus Missarum onera reducendi, de qua viden. *Benedict. XIV. de Synod. Diœces. lib.* 13. *cap. ult. num.* 32.

Illud etiam animadvertendum occurrit, an Testator hæredem gravaverit onere tradendi Legatario fundi reditus, vel potius fundum ipsum, ut ex fructibus indè obvenientibus Missarum eleemosynam capiat. Ubi enim legata fuisset species per hæredem Legatario tradenda, si ea post traditionem perierit, vel imminuta fuerit, peremptio, & imminutio Legatarii damno cedit; At si perempta fuisset, vel diminuta, ante quam Legatario traderetur, id damno hæredis cedere deberet, qui proindè supplere teneretur,

Pa-

Pasqualig. de Sacrific. nov. leg. quæst. 1026. *num.* 3., *Rot. dec.* 433. *per tot. cor. Cerro*.

Hæc fuit Sacræ hujus Congregationis sententia. In una *Urbinaten.* Testator dixerat = *Lascio al Cappellano, acciò celebri ogni giorno in perpetuo, l'entrate di piggione &c.* = & die 29. Junii 1697. eadem Sacra Congregatio censuit, hæredes non teneri ad supplementum. Ita etiam respondit in *Romana anno* 1709., in qua hæredes secundum Testatoris præceptum assignaverant Capitulo S. Mariæ Transtyberim tot Loca Montium annui reditus scutorum 55. pro celebratione Missarum, aliorumque onerum implemento. Ita demum in *Feretrana* 19. *Decembris* 1744., in qua Testator his verbis legatum reliquerat = *Vuole, che dopo la morte dell' Erede usufruttuario, l'Erede proprietario venda delli beni di esso Testatore per scudi* 600. *di* 84. *bolognini per scudo, e questi si diano a censo, e che li frutti loro servano per far dire tal Messa, e detto censo si consegni a' Sacerdoti pro tempore*.

Ut itaque in præsenti casu facilius dijudicari possit, an indulgendum sit petitæ Missarum translationi, perpendenda sunt Testamenti verba, quæ ita se habent = *Item disposuit, & ordinavit, ut ejus hæredes universales, & reliqui eisdem, ut infra, substituti, teneantur, & obligati sint continuis temporibus sine aliqua prorsus præfinitione temporis, quoties fuerit opus, eligere unum idoneum Sacerdotem, qui teneatur singula hebdomada celebrare in dicta Ecclesia S. Laurentii de Verona sex Missas, computatis illis quatuor, quas alias Magnificus Comes Carolus olim Frater ipsius Testatoris disposuit, in dicta Ecclesia quaque hebdomada celebrandas esse, cujus Sacerdotis electio, & confirmatio, & reprobatio, seu cassatio semper, quo fuerit opus, spectet infrascriptis hæredibus suis tam institutis, quam substitutis, ut infra, in infinitum pro libito voluntatis eorum, cui quidem Sacerdoti sic, ut præmittitur, eligendo ipse D. Testator reliquit, & legavit infrascriptos annuos affictus &c.*

Præcipua tamen inspectio est, an prædictæ translationi impedimento esse possit tumulatio Cadaveris Testatoris in Ecclesia S. Laurentii. Quamvis enim Orator hac de re non satis constare asserat, nihilominus Episcopus sic refert = *Cum in præcitato suo Testamento Fundator Comes Galeottus ordinaverit, quod ejus spolia in præfata Ecclesia Sancti Laurentii tumularentur, dicendum est, quod ejus Cadaver in eadem Ecclesia humatum fuerit* = Quanti autem facienda sit hæc circumstantia, pluribus exposuit *Rota in Romana celebrationis Missarum* 15. *Junii* 1732. *cor. Calcagnino, apud Scarfanton. ad Ceccoper. par.* 3. *dec.* 22.

Hinc Sacra Congregatio, licet aliquando justa de causa Missarum translationi annuerit, semper tamen illam denegavit, ubi actum est de perpetuo Missarum legato relicto a Testatore in designata Ecclesia, ubi ejus Cadaver fuerat tumulatum, prout in *Æsina Legatorum* 21. *Augusti* 1700., *in Ari-*

Ariminen. commutationis Missæ 14. *Martii*, *&* 13. *Junii* 1711., *in Casalen. commutationis voluntatis* 24. *Septembris* 1718., *in Romana translationis onerum Missarum* 21. *Julii* 1731., *in Ariminen. translationis Capellaniæ* 20. *Decembris* 1732., *in Neapolitana commutationis voluntatis* 7. *Februarii* 1733., *in Panormitana translationis oneris Missarum* 26. *Septembris* 1739., *in Taurinen. celebrationis Missæ quotidianæ* 20. *Maii* 1752., *in Comen. translationis* 11. *Januarii* 1766.. Et in durioribus terminis, solius nempe electionis sepulturæ, licet defunctus ibi non fuisset tumulatus in *Mediolanen.*, *seu Ferentina Capellaniæ* 23. *Februarii* 1715., *in Tarraconen. reductionis Missarum* 7. *Maji* 1718.

Episcopus in sua relatione monet, nullam esse memoriam, aut documentum circa tempus, quo bini affictus a Testatore celebrationi Missarum assignati, inexigibiles evaserint. Addit tamen, hoc non obstante prædictum legatum semper fuisse adimpletum. Refert præterea, neminem esse ex iis, quorum interest, qui petitæ translationi æquo animo non assentiatur. Ac demum ita concludit = *His stantibus humiliter sentirem, preces Oratoris fore exaudiendas, maximè cum in Ecclesia S. Laurentii Veronæ ferè quotidiè quinque, aut sex Missæ celebrentur, & Parochus Ecclesiæ S. Mariæ Castri Azzani, quod est Feudum Oratoris, & in qua Ecclesia nonnulli ex Familia Comitum de Nogarolis jacent sepulti, careat eleemosynis, unde hujusmodi translatio cederet in commodum illius Parochi, ac illorum etiam Parochianorum.*

Ponderandum est, an propositum Comitis Ferdinandi de assignanda ex bonis propriis dote pro Capellano tria sacra celebraturo, in causa esse possit, cur illius votis facilius sit indulgendum. Videndum etiam, an justa, & necessaria translationis causa proponatur: Quibus omnibus sedulo perpensis definiendum erit.

An sit locus translationi Missarum, in casu &c.

Sess. 25. cap. 5. de Reform.

ROMANA CAPELLANIARUM. In insigni Collegiata Ecclesia S. Michaelis Archangeli in Foro Piscium plures institutæ reperiuntur Capellaniæ. Earum altera sub titulo S. Mariæ Magdalenæ, de Jurepatronatus Ven. Societatis SSmi Salvatoris ad Sancta Sanctorum collata fuit anno 1763. nobili tunc Clerico, nunc Basilicæ Vaticanæ Canonico Alexio Falconieri. Is preces dedit SSmo Domino Nostro non solum pro dispensatione ab oneribus Missarum, donec parentur sumptus necessarij in restaurationem Domus, præter quam nil possidet aliud Cappellania, sed etiam pro dispensatione ad cautelam ab onere residendi, & inserviendi Choro, quatenus hoc onus, quod ab immemorabili tempore non constat adimpletum, vim obligandi adhuc haberet.

Re-

Remissis precibus ad Sac. Congregationem, hæc audiendum censuit Emum Diaconum, & vigilantissimum ejusdem Collegiatæ Visitatorem Andream Cardinalem Corsinium. Rem multa caligine tectam in lucem promere labore plurimo adnisus est, revolutis actis Secretariæ S. Visitationis, & Scripturis in Archivio Ecclesiæ Collegiatæ asservatis. Quærensque de Capellania S. Mariæ Magdalenæ, pervetustas investigavit fundationes aliarum omnium, invenitque, plura onera his inhærentia a Capellanis communiter negligi, & de omnibus accuratam conscripsit S. Congregationi relationem.

Ex ea igitur primò habetur, Capellaniam possessam a Canonico Falconieri, fundatam fuisse anno 1445. a Lelio Joanne de Ybellis ea lege, *ut Capellanus pro tempore teneatur in dicta Ecclesia celebrare Divina Officia, facere residentiam in Ecclesia, & assistere in Choro cum Canonicis, prout tenetur Capellanus Capellæ Annuntiatæ sitæ in d. Ecclesia*; Hoc onus descriptum legi in Tabella, ubi signata sunt onera vel perpetuò, vel ad tempus per Capellanos adimplenda, & relatum esse quoque in actis Visitationis a bo. mem. Præsule Spatiano peractæ.

Id ipsum constare etiam de Capellania sub titulo Sanctissimæ Annuntiatæ, tum ex relato Testamento Lelij de Ybellis, ubi Capellano injungitur assistentia Choro cum adjecta hac relatione = *prout tenetur Capellanus Capellæ Annuntiatæ sitæ in dicta Ecclesia* =; tum etiam ex paulo supra citata Visitatione bo. mem. Spatiani, in qua exprimitur, onus hujusmodi constare *ex Instrumento ex sten. apud RR. DD. Canonicos*. Et quamvis Instrumentum hoc repertum non fuerit, illius tamen vestigia prostare dicit in Instrumentorum indice, in quo residentiæ onus refertur.

Quoad reliquas octo Capellanias, refert Eminentissimus Diaconus, anno 1526. bo. mem. Gambarum Urbis Vicarium, vigore etiam motus proprii fa. mem. Clementis VII. inter cætera decrevisse = *Quod prædicti Capellani, & quilibet ipsorum, ultra servitium ordinarium, ut supra, teneantur, & debeant associare Canonicos, & Capitulum dictæ Ecclesiæ in Processionibus ordinariis, & in aliis inposterum imponen.*, indicta pœna pecuniaria contra inobedientes.

Præter hæc refert, Capellanos allegasse centenariam inobservantiam Legum fundationum, & decretorum S. Visitationis; advertit tamen ipsis onus incumbere, eam per univocas probationes ostendere *Piton. de controv. Patron. alleg.* 45. *num.* 19., & *allegat.* 80. *num.* 10. Addit, de hac habitam quidem fuisse rationem a cl. mem. Cardinali Sacripante in Visitatione peracta anno 1754., qua declaratum fuit, quod *habent Capellani pro se observantiam centenariam, & ultra, neque in anteactis Visitationibus quidquam*

quam contra ipsam indictum legitur. Sed ponderat, hujusmodi declarationem innixam videri opinioni, quod præcepta fundationum, & decreta Visitatoris Gambari exequutioni mandata non extitissent, quod quidem concludenti probatione fuisset demonstrandum *Rot. in Melevitana Reintegrationis* 25. *Aprilis* 1727. §. *Rursus coram Gamaches*.

Nec ad probandam inobservantiam aptum esse aliorum Visitatorum silentium, cum ab isto inferri quidem possit, quod Visitatores onus assistendi crediderint legitime abrogatum, sed potest æque esse argumento, quod idem onus accuratissimè adimpleretur. Et quatenus etiam de inobservantia per centum annos protracta constaret; Nihilominus dubium esse, an ea habenda sit pro legitima consuetudine, seu potius pro abusu, & corruptela, quæ, utpote Fundatorum voluntati, & Visitatorum Decretis contraria, esset corrigenda *Bald. in proœm. digest. num.* 17., *Guttier. cons.* 1. *num.* 32. *Rot. coram Falconer. de Jurepatr. decis.* 58. *num.* 13.. Maximè ob inductam malam fidem in Capellanos, qui semel, atque iterum de onere ipsis inhærente moniti fuerunt; Et præcipuè Rectores Cappellaniæ S. Mariæ Magdalenæ, cujus onera in Tabella descripta sunt, omniumque oculis patent.

Hæc in summa sunt, quæ Emus Visitator sapienter proponit animadvertenda. Verum Capellani libertatem, atque exemptionem tueri conantur, & causa unius Canonici Falconieri communis quoad omnes facta est. Contendunt itaque nec ex fundationibus, neque ex longæva observantia onus residentiæ posse desumi. Non ex fundationibus, quia illarum Instrumenta non inveniuntur, quamvis retroactis temporibus sæpius, ac diligentissimè fuerint perquisita. Hinc inferunt, nullum prorsus haberi obligationis residendi vestigium, nec eam posse induci, cum nemini liceat onus ullum Beneficiis superaddere, de quo ex fundatione non constet, idque vetitum esse ipsis etiam Episcopis, & Fundatorum hæredibus, ut sæpius ab hac Sacra Congregatione fuit declaratum.

Quod verò spectat ad observantiam, sustinent, hanc esse immemorabilem, cum neque ex Statutis Collegiatæ S. Angeli, neque ex Libris punctaturarum, aliisque Ecclesiæ monumentis ullum oneris indicium appareat: Et hanc immemorabilem observantiam admissam fuisse a cl. mem. Card. Sacripante in actis suæ Visitationis a sa. mem. Benedicto XIV. approbatæ.

Deindè de singulis Capellaniis singillatim sermonem instituendo, constare asserunt ex Libris Visitationum anni 1572., & 1576., quod alter ex Rectoribus Capellaniæ de Jurepatronatus Familiæ Cesarini incederet *in habitu Laicali*, alter esset *Collegialis Collegij Capranicæ*, alter vero

ne Missarum onera adimpleret per Parochum S. Nicolai de Funariis, unde inferunt nunquam Capellanos residere, aut Choro inservire consuevisse. Præterea animadvertunt, passim a Ducibus Cesarinis præsentatos ad hujusmodi Capellaniam fuisse præstantiores Viros vel ex propria Familia, vel sibi magis affectos, & familiares, prout accidit anno 1628., quo nominatus fuit Præsul Alexander Cesarini, eoque ad Sacram Purpuram evecto, suffectus primum fuit Æmilius Colligola Spoletanus, deinde Hieronymus Mandosi Auditor Ducis Georgij Cesarini. De his autem præsumi non posse, quod Capellaniam acceptare voluerint cum onere residendi, & Choro inserviendi in inferiori post Canonicos Scamno.

Addunt, aliam Capellaniam sub titulo SS. Cosmæ, & Damiani de Jurepatronatus Deputatorum SSmi Salvatoris ad Sancta Sanctorum, collatam anno 1508. fuisse Antonio Casali Canonico Tyburtino, anno verò 1668. Præsuli Sauro Millini, anno demum 1734. nobili Viro Petro de Maximis Vaticanæ Basilicæ Canonico. Arguunt idcircò, nunquam illam habitam fuisse residentialem, quia incompatibilis omninò fuisset cum aliis beneficiis residentialibus: Maximè quia in actis Visitationum anni 1576., & 1720. omnia hujusce Capellaniæ onera describuntur, nullum tamen de residentia fit verbum.

Non dissimulant, onus residendi, atque inserviendi, quoad Capellaniam sub titulo S. Mariæ Magdalenæ, desumi ex Testamento Lelij Joannis de Ybellis Filii Franciscæ de Ybellis ejusdem Capellaniæ Fundatricis. Verùm observant, non potuisse Fundatricis filium onus Capellano superaddere, quod non constat fuisse impositum ab ipsamet Fundatrice, cujus testamentum non invenitur. Præsertim, quia idem Lelius in Testamento exposuit, Capellanum S. Mariæ Magdalenæ teneri ad residentiam, ac servitium, *prout tenetur Capellanus Capellæ Annuntiatæ sitæ in dicta Ecclesia*, cum tamen de onere imposito Capellano Capellæ Annuntiatæ nulla habeatur mentio in Testamento anno 1530. condito a Hieronymo de Matthæis illius Fundatore.

Quoad reliquas verò Capellanias sustinent, earum reditus vix pares esse Missarum oneribus subeundis; immò celebrationem quoad earum nonnullas ob redituum deficientiam fuisse intermissam; atque idcircò æquum non esse, ut Capellani novo onere graventur.

Nec obesse ajunt, quod Præsul Petrus Andreas Gambarus in Visitatione peracta anno 1526. decretum ediderit, quo omnibus indistinctè Capellanis residentiam, & Chori servitium iniunxit. Respondent enim, ignorari, quo jure, quove fundamento, inauditis partibus, decretum illud prodierit. Deinde animadvertunt, nullam fuisse solutam a

Trans-

Transgressoribus pœnam, etsi Canonicis, & Capitulo exactionis cura commissa extiterit. Denique sustinent, d. decretum vel nunquam fuisse usu receptum, vel tot annorum spatio præscriptum fuisse, & in desuetudinem abiisse.

Explorata res est, Beneficiorum, aut Capellaniarum qualitates, neque a Patronis, neque ab Episcopis posse immutari, nec ulla onera iis superaddi, quæ in fundatione expressa non fuerint, ut tradit *Fagnan. in Cap. significatum num. 2., & seq. de Præben., & cap. conquerente num. 24. de Cleric. non residen., Garz. de Benef. part.7. cap. 1. numer.111. Ricc. in prax. part.4. resol. 468. num. 2.*, & cum aliis *Barbos. ad Concil. Tridentin. cap. 5. sess. 25. de Reform. num. 7.*

Id ipsum passim etiam declaravit S. Congregatio in *Sarnen.3. Julii 1690. lib. 40. decret. pag. 57.*, *in Florentina, & in Tudertina Capellaniæ 12. Martii 1718., & in Montis Falisci 25. Januarii, 8. Februarii, 8. Martii, & 31. Maij 1721.*, in qua abrogata fuerunt onera, licet imposita ab Ordinario ad majorem Dei cultum, & Ecclesiæ servitium, per spatium annorum nonaginta circiter adimpleta. Immò in *Cathacen. dispensationis 25. Januarii 1738.* concessa fuit dispensatio ab oneribus, quamvis in contrarium allegarentur reiterata facta Hæredum, Patronorum, & Exequutorum Testamentariorum, nec non decreta Vicarij Generalis, & uniformis observantia.

Hæc omnia mirum in modum cohærent cum iis, quæ disposita sunt a *Concil. Trident. sess.25. cap. 5. de Reform.* ibi= *Ratio postulat, ut illis, quæ benè constituta sunt, contrariis Ordinationibus non detrahatur. Quando igitur ex Beneficiorum quorumcumque erectione, seu fundatione, aut aliis Constitutionibus qualitates aliquæ requiruntur, seu certa illis onera sunt iniuncta, in beneficiorum collatione, seu in quacumque alia dispositione eis non derogetur.*

Præcipua igitur inspectio in eo versatur, an Capellania sub titulo S. Mariæ Magdalenæ, nunc verò SSmæ Annunciationis, aliæque in Collegiata Ecclesia S. Angeli in Foro Piscium erectæ, onus ex lege fundationis habeant residendi, & Choro inserviendi. Ad id verò maximè conferunt pervetustæ Fundationum tabulæ, & antiqua Sacrarum Visitationum decreta.

Quæstio præterea gravis est, an in Beneficiis, & Capellaniis dari possit onerum præscriptio. Plures pro utraque parte pugnant Doctores, quos enumerat *Ferrar. in Bibliothec. verb. Præscriptio art. 1. §. 1. num.6., & seqq.*. Negativam sententiam S. hæc Congregatio pluribus in locis amplexa videtur, & signanter, cæteris prætermissis, in *Lucana 18. Februarii 1702.*, de qua *Monacell. tom.4. Supplem. ad tom.2. num. 53. pag. 36.* Cum enim ibi ageretur de Capellania,

quam

quam Testator erigi mandaverat *pro amore Dei*, *& remedio Animæ suæ*, & Capellanum destinaverat, qui Missam singulo mane celebrare curaret; quamvis Capellani pro tempore Sacrificium applicare omisissent, & occasione Sacræ Visitationis a centum circiter annis expletæ, nulla in Tabella adiecta fuisset applicationis adnotatio, nihilominus Sac. Congregatio censuit, teneri Capellanum ad applicandum Sacrum pro Fundatore, & Capellanos condemnavit pro tempore, quo applicationem omisissent.

Similiter in una *Aquilana Capellaniæ* 16. *Maii* 1733. res erat de Fundatione, in qua Testator nullo personali onere Capellano iniuncto, eidem solùm præceperat *sia obbligato risiedere in detta mia Chiesa lasciata per detto effetto*. Cum autem disputatum fuisset dubium = *An Beneficium, seu Capellania, de qua agitur, habeat onus residentiæ, & quomodo?* = Quamvis Capellanus sui favore allegaret observantiam tum fundationi proximam per quinquaginta circiter annos, tum novissimam per annos quadraginta, nihilominus prodiit resolutio = *Capellanum teneri residere ad formam Testamenti* = quæ quidem resolutio *die* 18. *Julii* ejusdem anni fuit confirmata.

His igitur, aliisque maturo perpensis, dijudicandum ab EE. VV. erit.

An Capellania sub titulo S. Mariæ Magdalenæ, nunc SSmæ Annuntiatæ, cæteræque in Collegiata Ecclesia S. Angeli in Foro Piscium erectæ, onus habeant residentiæ, serviendique Choro, in casu &c.

Die Sabbathi 20. Augusti 1768. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis, de jure resolvenda.

EX folio præcedentis Congregationis, & ex altero hujus diei deprehendent EE. PP. Causas, quæ eorum judicio decidendæ proponuntur. Primo igitur reassumpto, novoque accurate, ut moris est, perpenso, superest, ut Partes matura earumdem Causarum definitione justitiæ complementum assequantur.

Sess 22. cap. 8. & 9. de Reform.

ARIMINEN. MONTIS PIETATIS SUPER CONFIRMATIONE RECTORIS.

An liceat Congregationi Montis procedere ad confirmationem Rectoris post triennium, & facta redditione rationis, seu potius obstet Decretum anni 1726. clar. mem. Cardinalis De Via, in casu &c.

Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam, & amplius.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

VERONEN. TRANSLATIONIS MISSARUM.

An sit locus translationi Missarum, in casu &c.

Affirmative, facta tamen obligatione in forma juris valida assignandi, & manutenendi fundum sufficientem facto verbo cum Sanctissimo.

Sess. 25. cap. 5. de Reform.

ROMANA CAPELLANIARUM.

An Capellania sub titulo S. Mariæ Magdalenæ, nunc Sanctissimæ Annuntiatæ, cæteræque in Collegiata Ecclesia S. Angeli in Foro Piscium erectæ, onus habeant residentiæ, serviendique Choro, in casu &c.

Dilata, & ad Dominum Secretarium ad mentem.

DER-

Sess.22. de observ., & evitand. in celebr. Miss.

DERTHUSEN. Quum Episcopus Derthusen. occasione Pastoralis Visitationis comperisset, in nonnullis suæ Diœcesis Oppidis unum tantum ob deficientiam Sacerdotum celebrari Sacrum, indeque evenire, ut ex Oppidanis, qui non omnes ad illud convenire valent, plures diebus Dominicis, ac festis Sacrificio careant, ea, qua pietate præstat, & singulari in Sedem Apostolicam observantia, nihil in re tam gravi ex jure suo decernere censuit, sed preces obtulit Sanctissimo Domino Nostro, petens, ut ad occurrendum huic malo facultas sibi concedatur permittendi Ecclesiarum Rectoribus duarum Missarum celebrationem diebus festis, atque Dominicis; ut ita Oppidanis singulis copia fiat Divinis interessendi Mysteriis, & spirituali eorum bono prospiciatur. Episcopi precibus suas quoque addiderunt Parochi locorum de la Puebla, Alcoleja, de la Palma, Lloa, Clodos, Villaviejo, Orespa, Alcudia, Eslida, Morroig, Serrerella, Coll de Sou, Vandellos, Lledò, Figuera, Margalef, & Vidella.

Re ad Sacram Congregationem ex rescripto Sanctissimi delata, rogatus fuit Episcopus, ut præcisam referret Populi, & Parochorum necessitatem, num etiam alia ratione prospici posset per Sacerdotes etiam alienìgenas ab ipsis Parochis, vel Parochianis cum assignatione congruæ eleemosynæ evocandos, & qui essent reditus singularum Parochialium, quæ Parochianorum facultates. Singulis accuratissimè satisfecit Episcopus in suis responsionibus EE. VV. circumferendis.

Tria observanda proponit supplex libellus Parochorum: non peti videlicet facultatem, quæ juris habeat resistentiam, quum compertum sit in primitiva Ecclesia unum, eumdemque Sacerdotem bis, terque, quaterque eadem die celebrasse, pluresque fuisse dies, qui Polyliturgici vocabantur. Hanc pluries in die celebrandi libertatem ad sæculum usque XII. perseverasse, & anno tandem 1198. Innocentium III. prohibuisse quidem plurium Missarum celebrationem eadem die ab eodem Sacerdote faciendam, sed casum excepisse *necessitatis*, ut in *Cap. Consuluisti de celebr. Miss.*

Ajunt autem, dubitari non posse, quin ad Episcopum pertineat hujusmodi necessitatis cognitio, *Sellarol. quæst. canon. cap.*13. *num.*20., *Verricell. de Mission. Apost. tract.*4. *quæst.* 95. *dub.*19.*num.*202., *Barbos. ad Concil. Trident.. sess.*22.*de Sacrific. Missæ cap.*8.*n.*27., *Pasgualig. de Sacrif. nov. leg. tom.* 1.*quæst.*392. *num.*2., *Bened. XIV. de Sacrif. Missæ lib.*3. *cap.*6.*n.*2., *& in Constit. ad Episcopum Oscen. tom.*2.*Bull.*

Constare vero de casu necessitatis: de eo testari plenissime Episcopum, esseque rursus ex se manifestum, quum unus tantum in dictis locis adsit Sacerdos, videlicet Parochus,

nec, ob locorum distantiam, Sacerdos alter haberi possit, qui diebus festis Sacrum operetur, etiamsi eleemosyna duplo, vel triplo major ei exhiberetur. Advertunt præterea, Parochos tenuem habere congruam non excedentem ducata centum illius Regni, hoc est scuta Romana 58., ita ut non valeant alium Sacerdotem cum assignatione congrui stipendii sibi in Coadjutorem adsciscere: Eadem paupertate premi etiam Parochianos: sustinere proinde non posse onus manutenendi alium Sacerdotem. Inferunt hinc, necessitatem esse urgentissimam, ut unus Parochus bis diversis horis Sacrum faciat: Ad hanc rem autem non requiri *necessitatem physicam, sed moralem sufficere*, *Pasqualig. loc. cit. quæst.* 371. *num.* 1.

Plura sunt, quæ ad argumentum hoc illustrandum, solvendamque quæstionem quammaxime conferunt. De iis disserui in Voto, quod jussu EE. VV. exaravi, & in calce folii transcribitur. Omnibus itaque perpensis EE. VV. decernere rogantur.

An sit consulendum Sanctissimo pro concessione petiti Indulti, in casu &c.

Non proposita cum sequentibus.

Sess. 24. *cap.* 1. *de Reform. Matrimon.*

CAMERINEN., SEU FABRIANEN. MATRIMONII. Matrimonium, quod inter Comitem Ludovicum de Vecchis, & Franciscam Urbani contractum ferebatur, haud subsistere declaravit Sac. Congregatio die 4. præteriti mensis Junii. Propositis enim dubiis: I. *An constet de Matrimonio*, & quatenus Affirmativè. II. *An sit locus coactioni in casu &c.* III. *An liceat Franciscæ Professionem emittere in casu &c.* Responsum fuit Ad I. *Negativè, & amplius.* Ad II., & III. *Provisum in primo.*

Cum autem juxta præscriptum Benedictinæ Constitutionis in re tam gravi necesse sit, ut iterum EE. VV. suum interponere debeant judicium, nec Matrimonii Defensor quidquam aliud addiderit iis rationibus, quæ in præterita propositione deduxerat, rogantur idcirco, ut, reassumpto folio dictæ diei 4. Junii, in quo latè facti species habetur, definire dignentur

An sit standum, vel recedendum a decisis, in casu &c.

ANA-

ANAGNINA. Obtinuit a Sancta Sede anno 1766. Clericus Nicolaus Corazza Romanus Coadjutoriam Canonicatus, quem possidet Sacerdos Franciscus Andreas Luciani in Cathedrali Ecclesia Anagnina, adjecto in literis Apostolicis decreto, ut = *Tu cum primum ad ætatem legitimam quemcumque ex sacris Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus Ordinibus suscipiendi perveneris, proximis inde futuris temporibus Ordinem ipsum, quem ætas postulabit, videlicet Subdiaconatus, Diaconatus, &, quatenus Canonicatus, & Præbenda prædictum illum requirant, Presbyteratus Sacros Ordines prædictos suscipere omnino tenearis: alioquin, te deficiente in aliquo ex temporibus præmissis, Coadjutoris officium hujusmodi cesset, seu si tunc eo cessante, successioni prædictæ locus factus fuerit, Canonicatus, & Præbenda prædicti vacent eo ipso.* — *Sess. 23. cap. 13. de Reform.*

Cum autem idem Clericus post adeptam ætatem, qua Sacro Subdiaconatus Ordine donari potuisset, eumdem suscipere intra statutum terminum neglexisset, indultum restitutionis in integrum *die* 12. *Decembris* 1767. impetravit adversus dictum decretum, & lapsum temporis, præstituto eidem termino *sex mensium a data præsentium computan., quibus durantibus, tu præfatum Subdiaconatus Ordinem suscipere, dictoque decreto postmodum etiam in reliquis satisfacere liberè, & licitè possis, & valeas, ac etiam tenearis, perinde ac si infra tempus tibi ad id in dicto decreto, ut præfertur, præfixum adhuc tunc existeres, eadem Apostolica auctoritate ipsarum tenore præsentium concedimus, ac assignamus, firmo tamen remanente in reliquis decreto prædicto*: sunt verba literarum restitutionis in integrum.

Initiatus fuit Nicolaus Sac. Subdiaconatus Ordine mense Martii proxime præteriti; Modo autem ad ætatem pervenit, qua ad Diaconatum potest legitimè promoveri. Verens autem, an statim proximis futuris temporibus secundum literas Coadjutoriæ teneatur Sacrum hunc alterum Ordinem adipisci, vel potius servatis interstitiis a susceptione primi, supplicat declarari, servanda esse interstitia inter dictos Ordines, vel saltem novum postulat indultum, ut eadem interstitia deinceps servare possit.

Ad I. inquit, juxta literas Coadjutoriæ, servatis tantum interstitiis inter unum, & alterum Ordinem debuisse ad Sacros Ordines proximis futuris temporibus promoveri: Ope autem restitutionis in integrum non solum remissam sibi fuisse caducitatem, sed ipsum etiam in primævum statum restitutum. Quemadmodum idcirco ante restitutionis indultum tenebatur interstitia servare, ita & imposterum ad eadem servanda teneri. Idque consonum esse tum indoli, ac naturæ restitutionis in integrum, quæ omnia ad pristinum statum reponit, perinde ac si nihil mutatum fuisset, tum

tum Summi Pontificis voluntati, quæ ad formam juris pro interstitiorum observantia semper est interpretanda;

Nec obesse, quod restitutio in integrum de solo Ordine Subdiaconatus mentionem habeat: Hanc enim esse vim restitutionis in integrum, ut reintegratus ad unum actum, censeatur quoque ad cæteros actus ab eo dependentes, & accessorios æquè reintegratus, etiamsi de his nulla expressa mentio facta fuerit *L.2. Cod. si advers. trans.*, *Ancharan. in cap.1. num.4. de in integr. restitut.*, *Odd. de restit. in integ. par.1. artic.1. quæst.47. num.5.*

Ad II. inquit, ex clara juris dispositione interstitia inter quoslibet Sacros Ordines servanda esse *sess.23. cap.13. de Reform.*; petitum idcirco indultum non a jure exorbitans esse, sed eidem summopere consonum, ac proinde libenter esse concedendum.

Episcopus ex iisdem rationum momentis preces adjuvat Oratoris, ejusque votis annuendum esse censet.

Intervallum illud, quod interjacere debet inter dationem unius, & alterius Ordinis, quodque *interstitia* appellatur, summo jure ab Ecclesia statutum est, tum ut ita Ordinandus, quæ sunt gradus accepti discat, antequam alterius curam suscipiat, ne præpostero Ordine prius sit magister, quam discipulus, *Cælestin. epist.2. cap.3.*, *D. Augustin. epist.148. ad Valerium*, tum ut in minoribus officiis bonum de se testimonium ferat, & nonnisi moribus, & bonæ vitæ meritis refulgentibus, veniat tandem ad Sacerdotium *Joan. VIII. epist.199.*

Quidquid autem sit de veteri disciplina circa interstitia, de qua latè *Gratian. distinct.77.*, *Morin. de Sacr. Ord. par.3. cap.2.*, ex hodierno tamen Sacri Concilii Tridentini præscripto spatium saltem unius anni ab uno ad alterum Ordinem intercedere debet. Statuit enim de Subdiaconatu = *Hi vero nonnisi post annum a susceptione postremi gradus minorum Ordinum ad Sacros Ordines promoveantur nisi necessitas, aut Ecclesiæ utilitas judicio Episcopi aliud exposcat sess.23. cap.11. de Reform.*. Item de Diaconatu: *Promoti ad Sacrum Subdiaconatus Ordinem, si per annum saltem in eo non sint versati, ad altiorem gradum, nisi aliud Episcopo videatur, ascendere non permittantur, sess.23. cap.13. de Reform.*. Et de Presbyteratu: *Et hi sint, qui non modo in Diaconatu ad minus annum integrum, nisi ob Ecclesiæ utilitatem, ac necessitatem aliud Episcopo videretur, ministraverint, sess.23. cap.14. de Reform.*. Et demum generaliter: *Nullus in posterum ad Subdiaconatus Ordinem ante vigesimum secundum, ad Diaconatus ante vigesimum tertium, ad Presbyteratus ante vigesimum quintum ætatis suæ annum promoveatur, sess.23. cap.12. de Reform.*

Decretum sanè adjectum in literis Coadjutoriæ claram præsefert necessitatem statim suscipiendi Ordinem Diaconatus,

tus, & Presbyteratus, ubi primum Orator ad legitimam respectivam ætatem pervenisset. Decrevit enim S. Pontifex, *quod cum primum ad legitimam ætatem quemcumque ex Sacris Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus Ordinibus suscipiendi pervenerit, proximis inde futuris temporibus Ordinem ipsum, quem ætas postulabit, videlicet Subdiaconatus, Diaconatus, & &c. Presbyteratus, Sacros Ordines prædictos suscipere omnino tenearis.*

Perpendendum hinc, an huic literali decreto derogatum fuerit per posterius indultum restitutionis in integrum. At vis restitutionis in integrum ea est, ut Ordo Subdiaconatus licet extra terminum susceptus, perinde habeatur, ac si in statuto tempore susceptus fuisset, omniaque ad primævum statum reintegrata censeantur. Summus item Pontifex habilem reddidit Oratorem ad Subdiaconatum extra terminum suscipiendum, *perinde ac si infra tempus in decreto præfixum adhuc tunc existeret*; & expressa lege, quod *dicto decreto postmodum etiam in reliquis satisfacere liberè, & licitè possis, & valeas, ac etiam tenearis.*

Ponderandum, an Summus Pontifex, qui Ecclesiæ servitium unicè præ oculis habuit, sollicitus esse voluerit de interstitiis, quorum dispensatio omnibus Episcopis competit. Et demum, an menti Summi Pontificis conveniat, ut Orator, qui negligens fuit in Sacro Subdiaconatus Ordine intra terminum suscipiendo, modo emolumentum ex propria negligentia capere debeat, differendo susceptionem reliquorum Ordinum cum Ecclesiæ præjudicio.

Eminentissimi PP. maturo, quo solent, judicio, respondeant.

I. *An Subdiaconus Nicolaus Corazza, adventa legitima ætate Diaconatus, & Presbyteratus, statim teneatur proximis futuris temporibus ad eosdem Ordines promoveri, vel potius servatis inter omnes Ordines interstitiis*: & quatenus affirmativè ad primam partem, negativè ad secundam.

II. *An indultum eidem sit concedendum, ut servatis interstitiis inter omnes Sacros Ordines, absque ulla pæna caducitatis promoveri possit.*

SPIREN. REÆDIFICATIONIS ECCLESIÆ. Cum reædificatione indigeret Parochialis Ecclesia Sancti Nicolai Villæ Seelbach, & Ædilis Margravii Badensis sequestro in id subjecisset Decimas pertinentes ad Capitulum Spirense ejusdem Ecclesiæ Patronum, utrumque in Causa fuit, *Sess. 21. cap. 7. de Reform.*

fuit, ut in Congregatione diei 31. Maji 1761. disputari debuerint hæc duo dubia = *I. An, & ad quem spectet readificatio Ecclesiæ Parochialis Oppidi Seelbacensis in casu &c.*, *II. An sit locus restitutioni Decimarum, & a quo sint restituendæ in casu &c.* = Prodiit autem rescriptum = *Ad I. Spectare primo loco ad reditus Fabricæ, secundo loco ad Populum, tertio ad Patronum. Ad II. Affirmativè, & esse restituendas a Regimine Badensi.*

Adversus hujusmodi resolutionem iterum audiri postulavit Consilium Aulicum Margravii Badensis, indicto autem novo Causæ examine pro Congregatione diei 14. Maji nuper elapsi, Procurator, qui nomine Consilii Aulici novam petierat audientiam, efflagitavit dilationem: hæc proinde concessa fuit, rescripto verbis hisce concepto = *Dilata, & proponatur omninò in mense Augusti etiam unica* = Cumque nihil adhuc idem Procurator deduxerit, proinde reassumpto utroque folio tum diei 31. Maji 1761., tum diei 23. præteriti mensis Aprilis, in quibus Causæ merita recensentur, ex ejusdem rescripti lege hodie reproponitur Dubium.

An sit standum, vel recedendum a decisis, in casu &c.

Sess. 23. cap. 8. de Reform.

MONTIS FALISCI EXPENSARUM LITIS. Ex bonis Barbaræ Alfonsi erigendam jussit die 20. Septembris 1760, Sac. hæc Congregatio Capellaniam in Ecclesia S. Blasii Terræ Martæ cum reservatione Jurispatronatus ad formam testamenti Gabriellæ Fanelli, ut testatur *Thesaur. Resolut. tom. 29.*, ubi Causæ species accuratè refertur.

Erecta Capellania Philippus, aliique Fratres de Monte ad Patronatum secundum Gabriellæ voluntatem vocati in Capellanum præsentarunt Clericum Joannem Vincentium de Monte ab Ordinario etiam institutum. At cum bona Barbaræ Alfonsi Capellaniæ assignata detineantur a nonnullis tertiis Possessoribus, hinc Patroni pro immissione Capellani egerunt in Curia Episcopali; infeliciter tamen, nam Vicarius Generalis lata sententia, Possessoribus retentionem concessit, eosque a petita immissione absolvit. Et idipsum in gradu appellationis placuit etiam A.C., *reservatis tamen juribus dicto D. Joanni Vincentio de Monte petendi in suo congruo judicio firmationem status hæreditarii qu. Barbaræ Alfonsi, ad effectum obtinendi immissionem ad ratam bonorum excedentem detractionem tum dotium, tum legitimæ, tum etiam quascumque*

que alias detractiones, de jure tamen competentes. Delataque ulteriori appellatione ad Rotam, die 5. Maji anni elapsi propositum fuit Dubium = *An sit danda immissio in casu &c.* = prodiitque rescriptum = *Dilata, & ad D. Ponentem pro deputatione Periti Curialis ad effectum firmandi statum hæreditarium Barbaræ*.

Perspicientes idcircò Patroni, quanta vis sumptuum futura erit necessaria, ut lis ad exitum perducatur, preces obtulerunt Sac. Congregationi, ut declaret, ipsis deinde licitum fore eosdem sumptus repetere ex bonis recuperandis. Rogatus propterea Episcopus Montis Falisci, ut hac de re sententiam, auditis interesse habentibus, aperiret, respondit, Oratoribus nequaquam competere hoc jus repetitionis, quin ipsi *litem sustineant principaliter super existentia Capellaniæ, nec non pro tuendo Jurepatronatu eorum favore, ideoque pro tuendo jure proprio*. Deinde animadvertit, quod si per rem judicatam Sac. Rotæ revocari contingant sententiæ suæ Curiæ, & Tribunalis A.C., *tunc coram eadem Sac. Rota in taxatione expensarum poterunt iidem Fratres &c. in eodem Tribunali promovere instantiam pro prætensa expensarum restitutione*.

Suæ vero relationi folium etiam inseruit sibi traditum a detentoribus bonorum excipientibus, hujusmodi expensarum repetitionem detrimento futuram illis de Imperiis, post extinctam lineam masculinam de Monte ad Juspatronatum vocatis: Addantque, eamdem detractionem redituum frustraneam reddere Testatricis dispositionem, quum deductis dotibus, & legitima Joannæ, & Gabriellæ filiarum Barbaræ, nihil reliquum erit pro Capellania, si detrahendæ erunt expensæ litis, quæ levissimæ esse debebunt, quia Philippus de Monte, quamvis Martæ degat, per se tamen in causa scribat, nec ulla mercede donari debeat.

Additurque in eodem folio, litem calumniosam esse, idque enim contenditur ab ingenua confessione Philippi, profitentis legitimam filiis Barbaræ non posse denegari. Nec ritè litem eamdem sustineri posse, repugnantibus illis de Imperiis, aliisque in Jurepatronatu institutis, cùm Testatricis voluntas fraudetur, ejusque animæ suffragia detrahantur.

Contra vero Fratres de Monte observandum proponunt, litem in Sacra Rota pendentem super immissione Capellani ad bona hæreditaria Barbaræ nullatenus respicere proprium Capellani commodum, seu Patronatum, cum lis de eo fuerit absoluta anno 1760. decreto Sacræ Congregationis, illamque unicè pertinere ad Capellaniam, ejusque utilitatem, cum tendat ad recuperationem illius bonorum, & propterea expensas ex bonis recuperandis esse dedu-

cendas *Constantin.ad Stat.Urb. annot.59. art.7.tom.2.num.*188., *Gratian. disceptat.* 257. *num.* 3.

Addunt, inanem esse Episcopi assertionem, quod nempe Fratres de Monte in taxatione expensarum poterunt expensas contra Partem victam repetere in Sac.Rota.

Advertunt enim, expensas dividi inter judiciales, & extrajudiciales, illas quidem repeti auctoritate Judicis Causæ, secus vero expensas extrajudiciales, quæ ex more Romanæ Curiæ non reficiuntur, & de his, inquiunt, notionem esse hujus Sacræ Congregationis, an repeti debeant ex bonis recuperandis.

Quo verò ad rationes in folio expressas, respondent, majus esse præjudicium, quod Capellania ex facto Collitigantium bona occupantium dote careat, quam quod subsistat cum dote diminuta ex causa expensarum litis. Et majus etiam futurum esse præjudicium illorum de Imperiis, si Capellania ad eos nunquam perveniat, quam si eam habeant cum dote diminuta.

Sustinent perperam dici litem calumniosam, cum non sine probabili fundamento fuerit promota. Nunquam quidem fuisse negatam legitimæ detractionem, sed contra jure probatam; dotem Joannæ, & Gabriellæ, quæ innuptæ obierunt, propter Statutum Castri fœminarum exclusivum, detrahi debere a triente, non autem a reliquis duabus partibus ad substitutos pertinentibus, ex sententia *Constantin.ad Statut. Urb. annot.* 35. *art,* 2, *tom,* 2. *num.* 117. cum aliis ibidem allegatis.

Hujusmodi verò expensarum detractionem necessariam dicunt, cum Defensor mercedem consequi debeat, & pro ea super bonis recuperatis ex juris dispositione prælationem habeat, *Constantin.ad Statut.Urb. annot.* 30. *art.* 2. *num.*270., & 277.. Inutiliter autem consensum interesse habentium requiri in re, quæ ex juris dispositione promanat.

De expensarum onere regulariter statutum est, eas detrahi ex reditibus Capellaniæ, de cujus interesse agitur, ut passim firmavit *Rota*, & præsertim in *Calaguritana Capellaniæ super sumptibus litis* 4. *Julii* 1735., & sæpiùs Sacra hæc Congregatio declaravit. Siquidem in una *Imolen. subsidii Dotalis* contendentibus Mansionariis Ecclesiæ Cathedralis, ex pecuniis hæreditariis detrahendas esse expensas litis respicientis exequutionem voluntatis pii Testatoris ipsorum curæ commissæ, proposito dubio III. = *An litis sumptus per Congregationem Mansionariorum sustentæ debuerint, & debeant desumi ex reditibus piæ hæreditatis, & in qua summa?* = Sacra Congregatio *die* 11. *Septembris* 1767. respondit = *Affirmativè in summa liquidanda per D. Secretarium* = Similiter in *Viterbien. Capellaniæ, die* 30.*Maji* 1767. propositum fuit dubium IX. = *An ad expensas litis quoad Capellanum, & Capellaniam,* te-

teneatur Capitulum, sive Sanctesses, vel potius sint faciendæ ex reditibus Capellaniæ? prodiitque rescriptum=*Negativè ad primam partem, affirmativè ad secundam.*

Hæc tamen locum habent, quando agitur de lite instituta pro tuendis juribus Capellaniæ, promovendaque piæ voluntatis exequutione: Hinc inquirendum est, an lis pendens in Sac. Rota legitimè instituta fuerit, & principaliter respiciat Capellaniæ utilitatem, seu potius commodum, privatumque jus eorum, qui litem sustinent.

His igitur, aliisque ad rem facientibus accuratè inspectis, EE. PP. dijudicabunt

An expensæ litis per Patronos sint detrahendæ a bonis recuperandis pro dote Capellaniæ in casu &c.

CÆSENATEN. BENEFICII. Pia Mulier Elisabeth de Turris erigendum jussit anno 1666. in Ecclesia S. Homoboni Civitatis Cæsenæ Altare Divo Antonio Patavino, ac Divæ Elisabethæ Lusitaniæ Reginæ dicatum cum erectione Beneficii sub titulo eorumdem Sanctorum. Patronatum reliquit Matthæo, & Claræ de Turris, hisque defectis Confraternitati S. Homoboni adjecta lege = *che debba nominare un Prete figlio di un Artista di buona vita, fama, e condizione, mentre però non vi fosse in qualche modo Parente, o Attinente di me Testatrice, quali voglio, che siano preferiti a tutti gl'altri.* Inter cætera vero Rectoribus imposuit = *di far celebrare in detto Altare da eriggersi, come sopra, Messe cento all'anno in perpetuo.* *Sess. 25. cap. 3. de Reform.*

Cum in mense Augusti anni 1767. decessisset Christophorus Baroni ultimus Beneficii Possessor, comparuit in Dataria Apostolica Joseph Barberini annum agens quartum supra vigesimum, & Subdiaconatus Ordine initiatus, expositaque Beneficii vacatione in mense reservato, illud sibi concedendum postulavit, tanquam Fundatrici affini, & juxta fundationem debitè qualificato. Signataque eadem Supplicatione, cum in ea deesset expressio, quod Joseph filius esset Artificis, alteram ipse die 6. Septembris cum hac expressione porrexit Supplicationem.

Interim verò præcedenti die 26. Augusti Sacerdos Jacobus Vermigli suas pro obtinendo beneficio obtulerat preces, asserens, se Fundatrici affinem, filium Artificis, & magis qualificatum. Et alter denique comparuit Beneficii prætensor Dominicus Santorini a Confratribus S. Homoboni præsentatus. In hoc igitur Supplicationum conflictu Emi-nen-

nentissimus Pro-Datarius rem dignam censuit, ut judicio Sacræ Congregationis definiatur, quæ Supplicatio sit signanda, & relaxanda juxta formulam Dubii in calce conscripti.

Ex Competitoribus itaque Sacerdos Vermigli in Beneficii assequutione se præferendum contendit, qua, præter sanguinis vinculum cum Testatrice, filius sit Artificis, nempè Barbitonsoris. Hanc autem qualitatem negat esse in Josepho Barberino, quem asserit habuisse Patrem, quandoque quidem in exercitio artis versatum, verùm non ex arte, sed ex propriis reditibus eumd. se, suamque familiam sustentasse. Præterea ex publicis monumentis Civitatis Cæsenæ patere, Josephi Patrem *Civem* fuisse appellatum, ejusque nomen conscriptum in sexto Decurionum ordine, & ita ad publica Civitatis munia exercenda habitu cooptatum, atque ab Equestri ordine uno tantum gradu fuisse distantem. Concludit proindè, non Josepho, sed sibi deberi prælationem, tanquam majoribus qualitatibus prædito, *Lambert. de Jurepatr. lib.* 2. *part.* 3. *quæst.* 5. *art.* 16. *num.* 6., *Piton. de controv. Patron. alleg.* 6. *num.* 12.

Eoque magis, quia in præsentatione Supplicationis prævenit *Mandos. cons.* 16. *num.*81. & 22., *Rot. in Barchinonen. Beneficii* 15. *Februarii* 1712. *§. fin. cor. Priolo*; quia rursus est actu Sacerdos, *Rot. dec.* 821. *num.* 2. *cor. Emerix Jun.*, *in Recen. decis.* 12. *num.* 2. *part.*10., *decis.* 232. *num.*7. *part.* 11., & *decis.* 62. *num.* 2. *part.* 18.; quia insuper est ætate senior, ut ponderat *Rot. coram Bich. decis.* 371. *num.* 19., *coram Lancetta decis.* 18. *num.* 3., & *in Tusculana Beneficii* 12. *Junii* 1750. *§.* 6. *cor. Cortada*. Et denique quia pauper, ac necessitate coactus alendi Patrem egenum, & septuagenarium, Matrem senem, ac Sororem innuptam, quod ad rem maxime urget, juxta sententiam *Rot. cor. Celso dec.* 198. *num.* 3., *cor. Emerix. Jun. decis.*821. *num.* 4. & *cor. Peutinger. dec.*456. *num.*3.. Has verò qualitates alienas esse a Josepho, qui dives est, pingui Patrimonio ditatus, & splendidè vivit.

Alterum deindè aggreditur competitorem Clericum Santorini, cui potiori jure præferendum se esse contendit, quia eum prævenit in exhibitione Supplicationis *Rot. in Romana Immissionis* 18. *Junii* 1753. *§. final. coram Eminentissimo Elephantutio*, & *in Leodien.*, *seu Colonien. Jurisdictionis* 29. *Aprilis* 1757. *§.* 2. *cor. Stadion*. Nec obesse, ait, præsentationem Santorini a Confratribus factam, veluti nullam, tum quia expleta fuit contra legem Fundationis *Fagnan. in cap. Cum in cunctis num.*72. *de Elect.*, *Gonzal. ad reg.*8. *Cancell. gloss.*5. *num.* 91., *Piton. discept. Eccles. part.* 1. *discept.* 29. *num.* 9., tum etiam quia Santorinus non pollet prærogativa affinitatis cum Fundatrice; tum denique quia Juspatronatus

Con-

Confraternitati relictus Ecclesiasticus censeri debet *Rot. in Monasterien. Vicariæ 6. Junii* 1707. §. *Et quidem. cor. Scotto*, *Nepesina Beneficii 27. Junii* 1742. *cor. Millino*; atque idcircò Beneficium, quod vacavit in mense Augusti reservationibus Apostolicis sit obnoxium *Piton de controv. Patronor. allegat.* 100. *num.* 105., *Rot. in Ortonen. Beneficii* 10. *Junii* 1709. *cor. Polignac impress. apud Piton. loc. citat.*

Concludit tandem, Supplicationem in Dataria Apostolica a se exhibitam, nihil falsi exposuisse, nulloque subreptionis, aut obreptionis vitio notari posse, ideoque nihil obesse, quominus illa signari, & relaxari debeat.

Ex alia verò parte Joseph Barberini inquit, se esse Testatrici affinem, esse filium Artificis, & per consequens qualificatum. Hinc infert, Supplicationem Sacerdotis Vermigli manifesta subreptione laborare, cum in ea fidenter fuerit expositum, nullum alium se magis qualificatum existere.

Negat, eumdem Sacerdotem dici posse Artificis filium, cum *Artifices* ex mente Testatricis ij tantùm debeant intelligi, qui in Civitate Cæsenæ Collegiis Artificum sunt aggregati, & in quo numquam relata probatur Familia Vermigli, additque Barbitonsores Chirurgiam exercentes inter Artifices non posse recenseri, *Chassanæus in Catalog. glor. Mundi par.* 11. *considerat.* 48. §. *Barbitonsores*, & *considerat.* 21. *vers. Advert. tamen*; vel tunc solùm Artifices dici posse, quando Artificum Collegio sint adscripti.

Ob id præterea vitio infectam sustinet Sacerdotis Vermigli Supplicationem, quia ipse in ea asseruerit, Beneficium esse Sacerdotale, sibique tanquam Presbytero adjudicandum, quando hujusmodi qualitas nullimodè requisita legitur a Testatrice, quæ onus tantummodo Capellano imposuit *di far celebrare Messe cento*. Infert proindè, Vermiglium graviter peccasse, quùm non veram expresserit Beneficii qualitatem.

Sed quatenus etiam illius Supplicatio omni vitio careret, contendit nihilominus Joseph, ejus Supplicationem esse relaxandam, quia ipse primus in Dataria comparuit, obtinuitque signari Supplicationem; sibique propterea ad Beneficium jus esse quæsitum, cui posterior Supplicatio præjudicium afferre non potuit, *Card. de Luc. de Benef. discurs.* 70. *num.* 13., *Rot. in Zamoren.*, *seu Salamantina Capellaniæ* 28. *Januarii* 1754. *num.* 15. *cor. Card. Caprara*. Idque procedere in paritate etiam meritorum, & qualitatum *Amayden. de Stylo Datar. lib.* 1. *cap.* 15. §. 15. *num.* 38., *Lotter. de re Benef. lib.* 2. *quæst.* 51. *num.* 38.

Nec obesse, quod Sacerdos Vermigli in præsentatione Supplicationis prævenerit. Animadvertit enim, hic agi de confirmando jure jam sibi quæsito, cum de cætero dum

pri-

primum comparuit in Dataria omnes haberet qualitates a Fundatrice requisitas, & novam Supplicationem obtulerit ad exprimendam qualitatem *filii Artificis* in priori omissam, & ad revalidandam prioris collationis imperfectionem; atque idcircò posteriorem hanc Supplicationem nihil officere posse juri per præcedentem provisionem antea quæsito, *Corrad. in prax. benef. lib. 4. cap. 6. num 58. vers. immo*, *Rot. cor. Vbaldo dec. 732. num. 18.*. In omnem vero casum, inquirendum hic tantummodò esse de intrinseco Supplicantium jure, non verò de ordine temporis, quo Supplicationes fuerint exhibitæ *Rot. in Colonien. Abbatissatus 25. Aprilis 1757. §. 15. cor. Frangipane*.

Frustraque extolli, ait, a Sacerdote Vermigli ejus qualitatem Sacerdotalem, & paupertatem, cum de his ratio habeatur vel in judicio *gratificationis*, vel ubi agitur de Beneficio liberæ collationis, non autem quando res est de validitate Supplicationum super collatione Beneficii, ad quod sunt passivè vocati illi *de certo genere* personarum, quo casu non alia considerantur, quam merita intrinseca Vocatorum.

Pauca denique subdit adversus Supplicationem a Santorino præsentatam, eamque nihil obesse dicit juri jam sibi ex primæva Supplicatione quæsito. Præterea, Venturinum destitutum esse qualitatibus a Fundatrice requisitis, cum nullo vinculo sit eidem conjunctus, nec sit filius Artificis, sed Sarcinatoris, qui nec adscriptus est Collegio Artificum, nec valet adscribi. Irritam verò esse sustinet præsentationem factam a Confratribus S. Homoboni, cum Juspatronatus sit Ecclesiasticum, ac propterea reservationi Apostolicæ obnoxium *ex reg. 9. Cancell.*

Hæc sunt, quæ duo ex Competitoribus protulerunt. Episcopus de more auditus refert, æqualem esse tum Barberini, tum Vermigli conditionem, non solum quoad qualificationem Consanguinitatis cum Testatrice, sed etiam quoad alterum requisitum, quod scilicet uterque sit filius Artificis; de quo quidem requisito advertit, *aggregationem ad quintum, & sextum regestrum Communitatis* (ubi reperiebatur nomen Christophori Barberini) *non constituere ullam nobilitatis graduationem, sed competere adamussim hominibus de Populo, & potissimum Artificibus, prout revera in dicto quinto, & sexto regressu plures Artifices, & signanter alii Aurificium actu exercentes reperiuntur descripti, & aggregati, juxta publici Secretarii attestationem*.

Minimè attendendam existimat qualitatem Sacerdotalem, qua Vermiglius gaudet, quia Fundatrix celebrationem Missarum Capellano præcisè indixit, sed ei onus injunxit *di far celebrare Messe cento*. An verò aliquid ponderis habere debeat eiusdem Vermigli paupertas, judicio EE.VV. relinquit.

De altero Competitore Santorino, hæc tantum habet: *Quæ supra dixi de Barberino, & Vermiglio, applicentur etiam ipsi Santorino, cujus tamen preces, cum adjunctam non habeant copiam suæ Supplicationis Datariæ, ut ait, exhibitæ, & a Dataria, ut supponit, huic Sacræ Congregationi remissæ, datum non est agnoscere, quo fundamento ejus narrativa sit innixa.*

His itaque perspectis, EE.PP. decernent

An, & quæ Supplicatio sit signanda, & relaxanda in casu &c.

VOTUM SECRETARII

In Causa

DERTHUSEN.

Super facultate a nonnullis Parochis petita bis in diebus festis celebrandi, suadente necessitatis causa.

1. A primis usque Christiani nominis Sæculis fuisse in more positum, ut Sacerdotes una, eademque die pluries Divina Mysteria celebrarent, dubitari haud posse videtur, egregieque demonstrant complures doctissimi viri, inter quos Christianus Lupus *in Scholiis ad decretum* I. *Alexandri* II. *tom.* 5. *operum pag.* 197. *Edit. Venet.*, Edmundus Martene *De antiquis Ecclesiæ ritibus lib.* 1. *cap.* 3. *art.* 3., Card. Bona *Rerum Liturgic. lib.* 1. *cap.* 18. *§.* 5., *& seq.* Saintebeuvius *tom.* 3. *resolut. cas. conscient cas.* 83., & Pontas *in dictionar. cas. Conscient. in verb. Missa cas.* 15.

2. Morem hunc, cui exiguus in primitiva Ecclesia Presbyterorum numerus originem præbuit, aucta etiam plurimum Sacerdotum copia, per plura sæcula retinuit, longeque augeri permisit Ecclesia Latina. Quinimo eo pervenerat nonnullorum pietas, ac religio, ut non bis tantum, aut ter; sed quoties sibi liberet, Sacrum eadem die repeterent. De Leone Sum. Pontif. (quem hujus nominis primum fuisse falso putat Durandus *in Rationali lib.* 2. *cap.* 7., secundum vult Christianus Lupus *loc. cit.*, Tertium vero communiter alii, uti videre est apud Henao *de Sacrif. Missæ disp.* 22. *sect.* 2.] de Leone, inquam, Papa, ut alia plura Sanctorum virorum omittam exempla, Walafridus Strabo *de rebus Ecclesiasticis cap.* 21. hæc litteris consignavit: *Fidelium relatione virorum in nostram usque pervenit notitiam, Leonem Papam, sicut ipse fatebatur, una die septem, vel novem Missarum solemnia celebrasse*: Addit præterea, maximum ea de re opinionum fuisse dissensum inter Presbyteros: *Quia talis est*, inquit, *qui semel tantum in die*

celebrare velit ... *Alius vero ter, vel quoties libet eadem Mysteria in die iterare congruum putat, credentes tanto amplius Deum ad misericordiam flecti, quanto crebrius Passio Christi commemoratur*. Ac demum de hac sententiarum varietate sic pergit: *Itaque unusquisque in suo sensu abundet, dum fides concordet, ut nec sæpius offerentes existiment, Deum aliter petitiones non posse discernere; Nec semel per diem hostias immolantes putent suæ fidei subtilitatem potius, quam superiorum devotionem divinitus acceptari*.

3. Hinc factum est, ut Græci Schismati Michaelis Cerularii adhærentes hanc Latinis quasi prævaricationem objecerint: *Apud Latinos unus Sacerdos ter, vel quater celebrat uno die, cum felix sit, qui unam possit cantare*: quemadmodum legitur in reperto apud Patres Prædicatores Constantinopolitanos tractatu, cujus meminit Christianus Lupus *loc. cit.*

4. Quoniam vero non sola in Deum pietas, sed turpis præsertim cupiditas complurium Presbyterorum animos excitare jam cæperat ad Sacrificia pluries in die peragenda; necessarium propterea fuit, ut Sacrificii iterandi placito aliqui præfigerentur limites. Id primum præstitisse videntur Anglicanæ Ecclesiæ Canones sub Edgaro, seu Eadgaro Anglorum Rege anno 967., vel 969. conditi *apud Labbeum tom. 9. pag. 680*. Canone enim trigesimo septimo hæc leguntur: *Docemus etiam, ut nullus Sacerdos Missam sæpius in uno die celebret, quam ter ad summum*. Leges quoque Presbyterorum Northumbrensium *cap.18.* mandarunt. *Si Presbyter sæpius, quam ter in die unam Missam celebraverit, duodecim oris mulctatur*. Concilium pariter Salegunstadiense in Germania ann. 1022. *cap.5.* præcepit: *Ut unusquisque presbyter in die non amplius, quam tres Missas celebrare præsumat*.

5. Hæc tamen singularium Ecclesiarum statuta satis minime fuerunt ad modum imponendum sordidæ Presbyterorum avaritiæ, quæ longe, lateque radices jam egerat. Summi idcirco Pontifices eam tandem coercendam curarunt legibus suis. De Leone IV. ann. 847. ad Petri sedem evecto hæc leguntur in antiqua incogniti Auctoris historica compilatione; *Leo Papa constituit, ut nullus Presbyter plures Missas in die celebret, quam unam tantum, excepto die Nativitatis Domini, & in Dominica, præsente funere*. Verum, præterquamquod de hujusmodi decreto nullum apud auctores cæteros occurrit vestigium, ita ut vel periisse suspicetur Christianus Lupus *loc. cit.*, vel adhuc in tenebris latere; certa quoque res est, illud in pluribus Ecclesiis admissum non fuisse, ut ex supra allatis Anglicanæ Ecclesiæ Canonibus, Salegunstadiensi Concilio, aliisque plenissime conficitur.

6. Hoc itaque prætermisso Leonis IV. decreto ad aliud per-

pergam sub Alexandri II. nomine relatum ab Ivone Carnotense *lib. 2. cap. 81.*, & a Gratiano *Can. sufficit de consecrat. dist.* 1. his verbis: *Sufficit Sacerdoti Missam unam in die celebrare; quia Christus semel passus est, & totum Mundum redemit. Non modica res est unam Missam facere, & valde felix est, qui unam digne celebrare potest. Quidam tamen pro defunctis unam faciunt, & alteram de die, si necesse fuerit. Qui vero pro pecuniis, aut adulationibus sæcularium una die præsumunt plures facere Missas, non æstimo evadere damnationem*. Quo Alexandri II. decreto veterem morem sæpius in die celebrandi circumscriptum fuisse in universa Ecclesia ad unam tantummodo Missam, vulgo creditum est. At Christianus Lupus *loc. cit.*, Vasquesius *in 3. part. quæst. 83. art. 2. cap. 5. num. 43.*, Thomassinus *De vet., & nov. Eccl. disciplina part. 3. lib. 1. cap. 7. num. 3.*, & Bened. XIV. *in suis ad Episcopum Oscensem Epistolis an. 1746. tom. 2. Bullar. Constit. 3.* decretum hoc mature perpendentes, potius ad avaritiam coercendam, quam ad omnimodam Missarum iterationem prohibendam conditum fuisse existimarunt, ita ut per illud ii tantum damnentur, qui *pro pecuniis, aut adulationibus sæcularium* una die præsumunt pluries sacris operari; de iis vero, qui ex sola devotione plura offerunt Sacrificia, nihil omnino decernatur. Hinc ex ambiguo decreto desumenda non esse arbitror argumenta ad hodiernæ disciplinæ initium demonstrandum.

7. Primus itaque ex PP., qui eodem die Sacrum ab uno Sacerdote iterari vetuit, fuit, nemine diffitente, Innocentius III. *Cap. Consuluisti 3. de celebr. Miss.*. Interrogatus quippe a Wigornien. Episcopo: *Utrum Presbyter duas Missas in eadem die valeat celebrare?* Respondit: *Excepto die Nativitatis Dominicæ, nisi causa necessitatis suadeat, sufficit Sacerdoti semel in die unam Missam solummodo celebrare*. Et quamvis verbum *sufficit* consilium sæpe indicet; in hac tamen decretali necessitatem complecti, & præceptum, demonstratum est a Vasquesio *loc. cit. num. 44.*, & a Bened. XIV. *loc. cit.* Innocentii III. decretum, circa an. 1220. ratum habuit, confirmavitque Honorius III. *Cap. Te referente 12. eod. tit.*, in quo, tanquam rem firmam, exploratamque, usurpat Innocentii sententiam, nempe *cuilibet Sacerdoti, quacumque dignitate præfulgeat, unam in die celebrare Missam sufficere*.

8. Quæ ab Innocentio III. ann. 1212. statuta diximus, eadem ante, & post illud tempus per varias Orbis regiones significanda curarunt complures Episcopi in suis Synodalibus Constitutionibus. Odo Parisiensis Episcopus in Synodo anni 1175. *cap. 5. de Sacrament. Altaris art. 9. Nullus bis in die Missam audeat celebrare . . . Nisi in Magna necessitate*. Synodus Londinen. an. 1200. habita sub Huberto Cantuarien-

rien. Archiepiscopo *Can.* 2. *Non liceat Presbytero bis in die celebrare, nisi necessitate urgente*. Guillelmus item Parisiensis *in additionibus ad Gualonis Episcopi Capitula cap.* 5. *Presbyteri una die Missas duas non celebrent, nisi in necessitate*. Concilium Wirtsburgense An. 1287. acerbioribus pœnis plectendos *Can.* 15. eos mandavit, qui bis una die celebrarent, *nulla necessitate, ad solum quæstum*.

9. Causas necessitatis, quibus suadentibus fas esset ex Innoc. III. dispositione Sacrum eodem die iterare; varias varii excogitarunt. Glossa in primis *in Cap. cit. Consuluisti, verb. Necessitatis* ita rem explicat: *Respondeo, si celebravit de die, & postea etiam moriatur aliquis, vel etiam causa honestatis, vel utilitatis: ut si, dicta Missa de die, superveniat aliqua magna persona, quæ velit Missam audire*. Qua in Glossæ explicatione vocabulum *utilitatis* intelligendum esse non de utilitate celebrantis, sed Missam audientis, adnotarunt Card. Zabarella *in cit. cap. num.* 3., Butrius *ibid. n.*4., Abbas *ibid. num.* 2., aliique ad unum omnes, ac inter recentiores Vericellus *de Apostolicis Missionibus tit.* 1. *de privil. Regular. dub.*18. *n.* 201.

10. Alias etiam hujusmodi necessitatis causas a veteribus ante Innocentii III. decretum prolatas legimus. Regino Sæculi IX. Auctor *lib.* 1. *de Ecclesiast. discipl. cap.* 33. inter cætera, de quibus Episcopum Paræcias visitantem inquirere jubet, hoc etiam recenset: *Si statuto tempore, idest circa horam tertiam diei, Missam celebret: & post hæc usque ad mediam diem jejunet, ut hospitibus, atque peregrinis venientibus, si necesse fuerit, possit Missam cantare*. Honorius Augustodunensis, qui XII. claruit Sæculo *in Gemma animæ lib.* 1. *cap.* 114., postquam docuerat, unum tantum in die Sacrum a Sacerdote perficiendum esse, sicut, & Christus semel voluit immolari, hæc statim addit: *Si autem necessitas cogit, idest si duæ festivitates simul occurrunt, duæ vel tres celebrari poterunt*. Et Concilium Lambethanum in Provincia Cantuariensi ann. 1206. *Can.*3. plures complexum est prædictæ necessitatis casus in hæc verba: *Bis in die Missam nullus celebrare præsumat, nisi in diebus Nativitatis, & Resurrectionis Dominicæ, & quando corpus in propria Ecclesia fuerit dumtaxat tumulandum. Qui contra fecerit, ab officio se noverit suspensum, nisi forte Canonica necessitate sit compulsus, quam sic duximus declarandam, & limitandam, si in festis IX. lectionum, vel in quadragesima, vel in quatuor temporibus vel sponsalia fieri oporteat, vel subveniendo socio infirmo, vel pro Ecclesiæ suæ negotio, vel propria necessitate manifeste absente*.

11. Hinc Guillelmus Durandus, sive Durantes, Episcopus Mimatensis *in Rationali divinorum Offic. lib.* 4. *cap.* 1., quos libros ann. 1286. absolvit, casus omnes, in quibus plures Missas celebrare sua ætate, post decretum scilicet Inno-

centii III., fas erat, sic enumerat: 1. in festo Natali Domini; 2. ubi necessitas exigit, puta si quis moriatur; 3. propter honestatem, ut si aliqua magna persona superveniens velit audire Missam; 4. causa utilitatis, puta propter peregrinos, propter hospites, propter commeantes, propter infirmos, propter sponsos, propter raritatem Sacerdotum; 5. cum duæ occurrunt festivitates, possunt etiam tres celebrari; 6. si in die jejunii occurrit aliquod solemne festum, potest unam de festo, & aliam de jejunio celebrare. De his, aliisque necessitatis casibus, quos Theologi subinde excogitarunt ad licitam plurium Missarum eodem die ab uno Sacerdote celebrationem, legi possunt S. Antoninus *3. p. Summæ tit.3. cap. 6. num.5.*, S. Raymundus *lib. 3. Summæ tit.* 24., Hostiensis *ad tit. de celebr. Miss. num.* 4., *& seq.*, Salmanticenses *operum Moralium tom.1. tract 5. de Sacrif. Missæ cap.* 4. *punct.*1., Bened. XIV. *de Sacrif. Missæ lib.3. cap. 5. n.3.*, aliisque plures.

12. Fatendum tamen est cum Dominico Soto *in* 4. *dist.* 13. *q.* 1. *art.*2., Azorio *Institut. Moral. lib.* 10. *cap.* 24., Sylvio *in 3.part. quæst.* 83. *art.* 2. *quæst.* 4., & aliis a Bened XIV. relatis *loc. cit.*, *& in Epist. ad Episcopum Oscen.*, casus omnes antiquos, qui, dum Ecclesia exiguo Sacerdotum numero laborabat, frequentes erant, quibus unus posset pluries in die Sacris operari, sic exolevisse, *ut vix inveniatur alius, in quo citra specialem Episcopi concessionem id liceat, quam is, quando unus habet plures Ecclesias Parochiales*, inquit Sylvius *loc. cit.*. Quam ob rem S. Carolus Borromæus in Concilio Mediolanensi I. *tit. De iis, quæ pertinent ad celebrat. Miss.* ita generatim statuit: *Facultates cuicumque ab Episcopis ad hanc diem concessæ, plures Missas eadem die celebrandi, posthac irritæ, ac nullæ sint*. Et in Concilio Mediolanen. V. *tit. de iis quæ ad Divina Officia pertinent* hæc iterum mandavit: *Decreti hujus auctoritate vetitum sit, ne ob ullam necessariam causam, neque etiam ob Parochialis, alteriusve Ecclesiæ egestatem, neque ob Sacerdotum penuriam, nec vero ob locorum distantiam, Episcopus cuiquam Sacerdoti pluries in die Divinum illud Missæ Sacrificium offerendi facultatem det, aut permittat. Si quæ vero ejus generis facultas antea vel certo loco, vel Sacerdoti data est, eam plane statim rescissam, irritamque, ac nullam omnino esse, jam nunc decernimus*. Cæterum dissimulandum non est, posterius hoc Concilii Mediolanensis Decretum aliquantulum durum visum fuisse nonnullis, ac præsertim Christiano Lupo *loc. cit.*, qui *nimii* illud *rigoris* appellat; quippe quia nulla in eo excipitur necessitatis causa, quam tamen apertissimis verbis excipiendam voluit Innocentius III. in supracitato decreto. Verum quum dicta Synodus fuerit tantum Provincialis, ejusque proinde auctoritas unius Mediolanensis Provinciæ finibus conclu-
da-

datur; hinc, quidquid in ea statuendum censuerint Episcopi, rationabili aliqua ducti ex causa, quæ nos lateat, nullum inferre iis potest detrimentum, quæ a communi jure sunt manifestissime sancita.

13. Communis itaque Theologorum omnium sententia est, quorum plures recenset Bened. XIV. *De Sacrif. Miss. lib.3. cap. 5. num.1.*, *& in Epist. ad Oscen. Episcopum*, necessitatis casum, qui etiamnum obtinet locum, ad Sacrificium eadem die repetendum, eum potissimum esse, cum duas Presbyter Parœcias habet, si in alterutram Parochiam nequeat Populus convenire, nec alius præsto sit Sacerdos, præter Parochum, qui Missam possit celebrare. Antiquum hac de re monumentum suppeditat Concilium Emeritense apud Lusitanos an. *666.* a XII. Episcopis habitum *Conc. tom.6. pag.* 497., *& Conc. Hisp. tom. 2. pag. 625. apud Card. de Aquirre*. Titulo enim 19. præcipitur, ut Presbyter, qui pluribus præest Ecclesiis, pro singulis Dominicis diebus, in singulis Sacrificium Deo offerat. En decreti verba: *In parochiis multæ sunt Ecclesiæ constitutæ, quæ a fidelibus factæ aut paucum, aut nihil de rebus videntur habere. Sacerdotali ergo decreto presbytero uni plures extant commissæ; unde cavendum est, ne occurrente paupertate, ordo ibidem non impleatur Missæ. Proinde salubri deliberatione censemus, ut pro singulis quibusque Ecclesiis, in quibus Presbyter jussus fuerit per sui Episcopi ordinationem præesse, pro singulis diebus Dominicis Sacrificium Deo procuret offerre . . . . Si quis hanc institutionem presbyter implere neglexerit, dum talis causa per quemlibet ad aures sui Episcopi pervenerit, presbyter ille excommunicationis Sententia feriendus erit.*

14. Id ipsum concessum esse intelligitur, quoties Parochus duos populus habet adeo distantes, ut alter ipsorum eidem Parocho celebranti per dies festos adesse nullo modo possit ob maximam locorum distantiam. Constat id ex Synodo VII. Diœcesana, quam an. 1592. S. Turribius Archiepiscopus Limanus in Civitate Regum congregavit *tom.* 4. *Concil. Hisp. apud cit. de Aquirre pag. 686.*. In hac enim, confirmato decreto Concilii Provincialis Limani II. an. 1567., cujus acta se invenire nequivisse monet cit. de Aquirre *ibid. pag.* 232., hæc *cap.* 3. statuta fuerunt: *Juxta dispositionem Concilii Provincialis celebrati in hac civitate an.* 1567., *quantum convenit, & per locum juris possumus, licentiam concedimus omnibus Indorum, Hispanorumque Parochis nostri districtus, ut diebus Dominicis, & festivis ex præcepto servandis, possint celebrare duas Missas in duabus Ecclesiis tam inter se distantibus, ut qui in loco unius Ecclesiæ assistunt, non possint commode accedere ad audiendam Missam in altera; cum autem habuerint alium Sacerdotem, qui possit celebrare in altera dictarum Ecclesiarum, non poterit Parochus celebrare in utraque,*

que, sed unam Missam tantum in una, quandoquidem alter Sacerdos possit satisfacere necessitati alterius populi. Nec item poterit idem Parochus celebrare duas Missas in eodem oppido, quamvis non sit alius Sacerdos, qui dicat secundam in eodem. Decretum hoc confirmatum fuit in Synodo VIII. Diæcesana Limensi an. 1594. *cap.* 38. his verbis: *Quoniam per constitutiones hujus Archiepiscopatus Indorum parochis concessum est, ut diebus Dominicis, & ex præcepto festivis possint legere duo Sacra, in duabus Ecclesiis adeo distantibus, ut unius populus non possit commode assistere Missæ in altera; ideo advertant parochi, ut suo debito in hac parte satisfaciant, dicendo illas duas Missas, ne privent Sacrificio suos Parochianos iis diebus, quibus ei interesse tenentur, & ipsi Parochi ad id eis celebrandum, ut exoneretur utrorumque conscientia.*

15. Quamvis autem in supracit. Synodo VII. Limana, quemadmodum etiam in Concilio Burdigalensi an. 1583., de quo infra, facultas fiat Parocho in prædicto casu duo perficiendi Sacra in duabus tantummodo Ecclesiis inter se distantibus, non autem in eadem Ecclesia, eodemque in oppido: fatendum tamen est, expedire, ut Parocho fiat potestas secundum offerendi Sacrificium, tametsi una tantum sit Ecclesia, in qua Missa celebratur, & ad quam insimul universus populus convenire non potest. Hi quippe duo casus eodem jure censendi sunt, ut post Teophilum Raynaudum *tom.* 17. *operum pag.* 8. *Edit. Lugdun.* animadvertit Bened. XIV. *in cit. Constit. ad Episc. Oscensem*. Nec desunt vetustissima hujus rei monumenta. Vulgatissimum apud Theologos imprimis illud est, quod desumi solet ex S. Leone I. Papa *Epist. XI., aliàs* 81. *ad Dioscorum Alexandrinum Episcopum cap.* 2. Ajunt enim, Summum illum Pontificem docuisse, iterandum esse eadem in Basilica Sacrificium diebus festis, ut plebi supervenienti satisfiat: *Ut autem in omnibus observantia nostra concordet, illud quoque volumus custodiri, ut cum solemnior quæque festivitas conventum populi numerosioris indixerit, & ea fidelium multitudo convenerit, quam recipere Basilica simul una non possit, Sacrificii oblatio indubitanter iteretur: ne his tantum admissis, ad hanc devotionem, qui primi advenerint, videantur hi, qui postmodum confluxerint, non recepti: cum plenum pietatis, atque rationis sit, ut quoties Basilicam, in qua agitur, præsentia novæ plebis impleverit, toties Sacrificium subsequens offeratur. Necesse est autem, ut quædam pars populi sua devotione privetur, si, unius tantum Missæ more servato, Sacrificium offerre non possint, nisi qui prima diei parte convenerint.*

16. Non dissimulo tamen hoc argumenti genus, quo vulgo utuntur Theologi, ut supra indicavi, ambiguum maxime esse, atque hinc minus accommodatum ad rem, de qua agitur, efficiendam. Ut enim observatum est a Gonzalez

zale *in cit. cap. Consuluisti*, *de celebr Miss.*, & a Christiano Lupo *loc. cit.*, non levis est suspicio, S. Leonem sermonem eo in textu habere de iterando Sacrificio Missæ in eadem quidem Ecclesia, sed non ab eodem Sacerdote. Canon enim apud Græcos antiquus fuit, & solemnis, ut nonnisi unicum esset in Ecclesiis Altare, & in uno, eodemque Altari, adeoque in una, eademque Ecclesia non posset eadem die iterari Sacrificium. Quam ob rem interroganti Dioscoro, num ex superveniente plebis multitudine Sacris iterum operari fas esset eadem die, in eademque Basilica, & an liceret generatim totius Orientis consuetudinem, ibique vigentem Canonem, dispensari, verosimile quam maxime est, Summum Pontificem Leonem, rationibus suasisse, quin, & Apostolica præcepisse auctoritate, ut Latinum in morem non tantum posset relata ex causa iterari Sacrificium, sed etiam deberet.

17. Hoc itaque prætermisso Leonis responso, longe clarius suppeditat Nemausense in Occitania Concilium an. 1284. *apud Labbeum tom. 11. part. 1. pag. 1213. Si omnes Parochiani ad unam Missam simul non possint convenire, eo quod in diversis locis habitant distantibus ab Ecclesia, & remotis, sicut est in Montanis, nec sunt in Ecclesia duo Sacerdotes, & dicta prima Missa, postmodum Parochiani venientes postulent Missam aliam sibi dici, poterit tum Sacerdos Missam aliam celebrare. Tamen si in prima Missa, post receptionem Corporis Christi, & Sanguinis, profusionem acceperit, non debet secundam Missam in prædictis casibus celebrare.*

18. Itaque ut liceat Parocho duas Parochias habenti, vel duos populos maxime inter se dissitos, duo Sacra perficere diebus festis, ut populus Missæ Sacrificio intersit, sive celebranda ea sint in duabus Ecclesiis inter se distantibus, sive in una tantum Ecclesia, ad quam universus populus nequeat insimul convenire, non alia necessitatis causa est admittenda secundum hodiernam Ecclesiæ disciplinam, quam quæ oritur ex defectu alterius Sacerdotis, qui aliud Sacrificium offerre possit. Quæ tamen ita intelligenda sunt, ut nullum inde inferri putetur prejudicium aliis casibus, qui solent contingere in Sacris Missionibus, in quarum utilitatem Missionariis conceditur facultas plures celebrandi Missas eadem die, ut videre est apud Verricellium *de Apostol. Mission. lib. 4. quæst. 18. dub. 19.*, Pax Jordanum *lucubr. lib. 4. tit. 1. de Sacrif. Miss. num. 82. tom. 1.*, & Pasqualig. *de Sacrif. Nov. leg. quæst. 386. sub num. 9. tom. 1.*

19. An vero ad Sacrum bis celebrandum in locis, ubi prædicta urget necessitas, Parochi opus habeant licentia Episcopi, haud recens est Doctorum disputatio. Quidam plane negativè sentiunt, ea ducti ratione, quod facultas hæc a jure communi illis concedatur; *affirmativam* vero tuentur sen-

sententiam alii plures a Bened. XIV. relati *de Sacrif. Miss. lib.3. cap.5. num.1.* At quemadmodum *ibid. num.2.* tradit cit. Pontifex, sive sit necessaria Episcopi licentia, sive non, id certe necessarium esse, ut ille rem cognoscat, ac perspiciat, num revera necessitas urgeat, ut Sacerdos duas Missas celebrare cogatur. Hinc *in cit. Constit. ad Episc. Oscen.* certissimum esse statuit: *Missionariis tantum a Sede Apostolica potestatem aliquando fieri, ut uno die Sacrificium bis operentur; reliquis vero Sacerdotibus opus esse, ut hac de re facultatem ab Episcopo consequantur, etiamsi causa necessitatis intercedere videatur, cujus sane judicium ad ipsos Sacerdotes nequaquam pertinet.* Ad quæ confirmanda auctoritatem etiam profert Verricellii *loc. cit. tit.4. de privileg. quæst.19. n.202.* testantis ita a S. Congregatione fuisse resolutum; cujus resolutionis sub die 17. Augusti post Sellarol. *quæst. Canonic. cap.18. n.20.* meminit quoque Pasqualig. *loc. cit. quæst.392. num.2.* Et sane *licet licentia sit a jure*, egregie inquit cit. Pasqualigus, *usus tamen licentiæ requirit maturam considerationem, quia judicandum est de sufficientia causæ, & quamvis in dicto cap. consuluisti, hoc judicium non sit alicui reservatum, ex natura tamen rei pertinet ad Episcopum. Præsertim quia a Concilio Tridentino* in decreto de observand. & evitand. in celebr. Miss. Sess.22. *est ipsi injunctum, ut invigilet, ne in celebratione Missarum committatur aliquis abusus; & ideo cum ad ipsum etiam alias pertineat curare, ut ea, quæ sunt suæ Ecclesiæ recto ordine procedant, pertinebit etiam judicare de sufficientia causæ pro iteratione Missæ.*

20. Ut vero ea, qua par est, æquitate judicium proferatur de hujusmodi necessitatis titulo, sedulo expendi prius debet, an locus esse possit remediis a Sacris Canonibus, & a Sacro Concilio Tridentino sapientissime institutis. Et primum quidem mandat Sacra Synodus *Sess.21. cap.4. de reform.* ut Episcopi, *etiam tanquam Apostolicæ Sedis delegati, in omnibus Ecclesiis parochialibus, vel baptismalibus, in quibus populus ita numerosus sit, ut unus Rector non possit sufficere Ecclesiasticis Sacramentis ministrandis, & cultui divino peragendo; cogant Rectores, vel alios, ad quos pertinet, sibi tot Sacerdotes ad hoc munus adjungere, quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda, & Cultum Divinum celebrandum.* Hinc Episcopali auctoritate adigi poterunt, qui duas Parochias, vel duos populos valde dissitos habent, ad eleemosynam alteri Sacerdoti elargiendam, qui Missam diebus Dominicis, festisque celebret in alia dissita Ecclesia, vel etiam in eadem, ad quam universus populus insimul convenire nequit, ut maxime ad rem admonet Engel *ad tit. de celebr. Miss. n.3.*

21. Cautum præterea est in eadem Trid. Synodo *ibid.*, ut Episcopi in iis parochiis, *in quibus ob locorum distantiam, sive difficultatem parochiani, sine magno incommodo ad percipienda*

Sa-

Sacramenta, & Divina Officia audienda accedere non possunt; novas Parochias, etiam invitis Rectoribus, juxta formam constitutionis Alexandri III., quæ incipit, Ad audientiam, constituere possint. Illis autem Sacerdotibus, qui de novo erunt Ecclesiis noviter erectis præficiendi, competens assignetur portio arbitrio Episcopi ex fructibus ad Ecclesiam Matricem quomodocumque pertinentibus; de qua re fuse inter cæteros differit Fagnanus *in cap. Ad audientiam il primo, de Ecclesiis ædificandis.*

22. Quod si Parochis, vel Matrici Ecclesiæ tenues omnino, angustique sint reditus, ita ut nulla ex his portio deduci possit Coadjutoribus, seu Capellanis assignanda, vel iis Sacerdotibus, qui erunt Ecclesiis noviter erectis præficiendi, perspiciendum tunc erit, an pateat aditus cæteris exequendis, quæ eodem in Concilio præscripta sunt. Agens enim *seff. 24. cap.13. de reformat.* de modo, quo tenuioribus Parochiis consulendum sit, hæc decrevit: *In parochialibus etiam Ecclesiis, quarum fructus æque adeo exigui sunt, ut debitis nequeant oneribus satisfacere; curabit Episcopus, si per beneficiorum unionem, non tamen Regularium, id fieri non possit, ut primitiarum, vel decimarum assignatione, aut per parochianorum symbola, ac collectas, aut qua commodiori ei videbitur ratione, tantum redigatur, quod pro Rectoris, ac Parochiæ necessitate decenter sufficiat.* Postremam hanc rationem succurrendi Parochialium Ecclesiarum paupertati alibi etiam inculcaverat S. Synodus, nimirum *cit. seff.* 21. *cap.* 4., ubi post verba superius recitata, hæc subdit: *Et, si necesse fuerit, compellere possit* (Episcopus) *populum, ea subministrare, quæ sufficiant ad vitam dictorum Sacerdotum sustentandam.* Et cap. 7.: *In illorum defectum, parochianos omnibus remediis opportunis ad prædicta cogant.* Re quidem vera si Episcopus adigere potest Sacerdotem, ut populo sacrum faciat diebus festis; nonne æquitati consonum maxime erit, indicere etiam posse populo, ut celebranti Sacerdoti consuetum stipendium elargiatur, quemadmodum post Pasqualig. *loc. cit. quæst.* 844. *num.* 11. scitissime observat sæpe laudatus Pontifex Bened. XIV. *in cit. Constit.3. tom.2. Bullar.*

23. Si demum, & Parochianos, & eum, cui Parochia in temporalibus subest, excuset inopia; Episcopi erit, de sua mensa, si commode potest, providere Parochorum necessitatibus, ut Sacerdoti Missam diebus festis celebraturo eleemosynam suppeditare possint, per tradita a Fagn. *in cit. cap. Ad Audientiam il primo, de Eccles. ædificand. n. 6.*, & quemadmodum, eodem teste *ibid. num.* 7., declaravit S. Congregatio, quæ *censuit in terminis Concilii, assignationem faciendam ex fructibus ad Ecclesiam Matricem pertinentibus; Et si ii non sufficiant, tunc demum populum compellendum esse, quod si nec ipse ob paupertatem compelli possit, Episcopum*

de suo dare debere. Hinc Bened. XIV. *in cit. Constit.* sic alloquitur Oscen. Episcopum: *Quod si res ita se haberet*,(quod nempe populus ob paupertatem contribuere aliquid nequiret Sacerdotibus, qui diebus festis Sacrum conficiant) *tunc, Ven. Frater, ex iis eleemosynis, quas ipse egenis elargiri consuevisti, stipendium pro re divina facienda Sacerdotibus erogare deberes, nec ullo modo perferre, ut Sacrificium iterent Parochi, quibus non deest alius Sacerdos, qui diebus festis populo ministret.*

24. Ex his pronum est inferre, ad facultatem bis in die festo celebrandi concedendam, haud sufficere, secundum hodiernam Ecclesiæ disciplinam, necessitatem quamcumque; sed eam requiri, cui nulla alia ratione remedium afferri possit; et ex qua Episcopi coacti dici queant ad illam impertinendam. Quare Concilium Provinciale Burdigalense ann. 1583. cap. 5. hoc edidit decretum: *Quia vero Sacerdotum in quibusdam hujus Provinciæ locis tanta paucitas, & penuria est, ut quibusdam bis uno die Sacrum faciendi facultatem Episcopi concedere cogantur: ne quod necessitate cogente ad populi Christiani solatium, salutemque permittitur, immoderata licentia errori locum det, atque in abusum convertatur, decernimus, ne hujusmodi facultatem Episcopi largiantur, nisi Sacerdoti spectatæ probitatis, idque gravissimis de causis*: Apud Labbeum *tom.* 21. *pag.* 751. Consonant verba S. Congregationis negotiis, & consulationibus Episcoporum præpositæ, quæ die 25. Octobris 1588. ita rescripsit Gerundensi Episcopo: *Super licentiis bis celebrandi, ac pecuniis, quæ pro illarum expeditione, ut asseritur, solvuntur, miratur Sac. Congregatio, agi de his licentiis concedendis: Nam id nonnisi ex magna necessitate fieri debet, & magna cautela, ut puta in locis, ubi perpaucissimi sunt Sacerdotes, vel adsint impedimenta adversariorum fidei, vel quid simile, quæ cessant eo in loco, ubi vix evenire possint alii casus a jure permissi.*

25. Nulla igitur habenda est consuetudinis ratio, etsi vetustissimæ, quæ adduci fortasse aliquando posset ab aliquibus Sacerdotibus, ut causam tueantur suam de duplici Missa celebranda in diebus festis. Quamvis enim consuetudinem hanc non temere illi assererent, indubia tamen res est, consuetudinem eam prodesse sibi non posse ad obtendendam facultatem vel præscriptam, vel ex Indulto præsumptam. Non quidem præscriptam: Innocentius enim III. *cit. cap. Consuluisti, de celebrat. Miss.* hujusmodi consuetudinem, quæ tunc temporis vulgatissima erat, & ex qua plurima dimanabant mala, & scandala, damnavit, & abrogavit, eamque permittendam tantummodo censuit, ubi necessitas id expostularet. Jam vero quando leges consuetudinem aliquam, tanquam irrationabilem reiiciunt, & reprobant, hoc ipso inefficacem illam reddunt ad

ad inducendam præscriptionem contra leges, ut vulgo tradunt Doctores, & desumitur etiam *ex cap. Cum venerabilis* 7., *& cap. cum tanto* 11. *de consuetud.*; Quod intelligitur de consuetudine etiam futura, nedum præsente, & existente *Cap. Ad audientiam nostram* 3. *cap. cum inter* 5. *eod. tit.*. Unde fit, ut illa, quamvis immemorabilis, non possit prædictam juris communis dispositionem abrogare; Nec proinde efficere, ut sine gravi urgente necessitate iterari sacrificium eadem die possit ab uno Sacerdote. Præterea si juxta civiles leges, ut præclare adnotat Bened. XIV. *Constit. cit.*, Sanctæ res præscribi non possunt; absonum undique est, asserere, fuisse per præscriptionem aliquid obtentum, vel acquisitum, quod adversetur sanctionibus universalibus Ecclesiæ, quarum observantiam Sac. Trid. Concilium in Missarum celebratione Sacerdotibus omnibus præcipit, ut colligitur ex Decreto *de observand.*, *& evitand. in celebrat. Miss.*

26. Nec etiam præsumptam aliquam concessionem Apostolicam. Hæc enim præsumptio locum dumtaxat obtinet in iis privilegiis, quæ impetrari potuissent; si quis ea postulasset; Non vero in illis, quæ, cum postulantur, negari consueverunt; ne præsumptio plus habeat roboris, quam veritas, ut idem S. Pontifex animadvertit. Consuetudine hac se tuebantur Parochi nonnulli Diœcesis Oscensis. Episcopus tamen probe intelligens, id minime licere Rectoribus Ecclesiarum Parochialium, etsì alia quoque Ecclesia a Parochiali longe distans eis sit commendata, nisi alius desit Sacerdos, qui Sacrum facere possit in una ex dictis Ecclesiis, consuetudinem illam Synodali constitutione damnavit, cujus tamen executionem, quoniam dd. Parochi eam ægre ferebant parumper differre censuit, donec Romani Pontificis sententiam exquireret, & voluntatem. Verum Benedictus XIV. datis ad eum litteris an. 1746., Synodalem constitutionem plenissime confirmavit. Sic mos olim inoleverat nonnullis in regionibus, ut Parochi duarum Parochiarum feria VI. majoris hebdomadæ Officium peragerent, primum in una ex Parochiis, prætermissa vini sumptione, & deinde illud iterarent in altera. Reprobata hæc quoque fuit consuetudo. Ex quo patet, nullam in re, de qua agitur, vim inesse consuetudini, & patet etiam, sola urgente necessitate, ut supra explicata, fas esse juxta hodiernam Ecclesiæ disciplinam bis Sacrum conficere.

27. Quoties tamen de hoc necessitatis titulo revera constiterit, animadverti præterea debet, quasdam præscriptas esse regulas ab Episcopis servandas in concedenda facultate bis celebrandi. In Concilio Provinciali Burdigalensi supra relati an. 1583. hæc leguntur: *Decernimus, ne hujusmodi*

di facultatem Episcopi largiantur, nisi Sacerdoti spectatæ probitatis, idque gravissimis de causis: quæ facultas brevi etiam tempore circumscribatur, nec ad plures dies, quam ad Dominicos, & festos in diversis tantum Ecclesiis protrahatur. Et Sacra Congregatio Episcoporum in cit. resolutione an. 1588. ita monuit: *Nec concedi potest hæc licentia ab Episcopo generaliter, quasi privilegium alicujus Sacerdotis, sed tantum in aliquo casu particulari, necessitatis causa ab Episcopo examinanda.* Et in Comen. 2. Aprilis 1591. S. Congregatio Concilii ita rescripsit *lib. 7. decret. pag. 7.*: *Quoad I. SSmus concessit licentiam ad sexennium tantum, ut in diebus festivis Sacerdotes duas Missas celebrare possint, cum eo tamen, ut in prima Missa a purificatione abstineant, & cum aliis cautionibus adscriptis aliis litteris datis in similibus casibus. De quibus omnibus ipsi Sacerdotes a Vicariis Foraneis admoneantur.*

28. His, quæ hactenus diximus, plurimum lucis afferent, atque roboris nonnulla S. hujus Congregationis responsa Hispanæ præsertim gentis Episcopis data, qui pro sua in Apostolicam Sedem observantia, si necessitas aliquando urgere visa eis est, ut impertirentur quibusdam Parochis facultatem, bis in die festo Sacrum conficiendi, ad Romanum Pontificem confugere, consiliumque deposcere consueverunt. Ex his enim illud potissimum eruo, nimirum, quam cauti semper fuerint Emi Patres, quibus rei examinandæ commissa fuit cura, in expendenda urgentis necessitatis causa, qua solum accedente, facultas hujusmodi tribui potest.

29. Aleriensis Episcopus an. 1622., occasione visitationis Sacrorum Liminum retulit, plura esse in sua Diœcesi Oppida, quorum incolis unus tantum præerat Rector, qui ob suam, & Parochianorum paupertatem sibi adjungere nequibat Coadjutorem Capellanum; Ex quo fiebat, ut plures, ac præsertim Mulieres, ob inimicitias, extremamque inopiam, qua fere denudatæ incedebant, non possent diebus festis pro audienda ejusdem Rectoris Missa ad oppida vicina accedere. Petiit hinc, concedi ejusmodi Rectoribus, ut possent diebus festis bis Sacrum facere. Sacra itaque Congregatio die 20. Septembris ejusdem anni ita rescripsit.: *Cum Parochi ob extremam eorum, & Parochianorum paupertatem nequeant sibi coadjutorem adjungere, qui in locis aliis ejusdem Parochiæ Missam celebrent, neque Parochiani, præsertim Mulieres, ad finitima oppida accedere valeant ad Missam audiendam, debere ejus Amplitudinem, ejusmodi Parochianorum necessitatibus aliqua ratione consulere, juxta facultatem ei a Sacris Canonibus, & Tridentini Concilii decretis attributam.*

30. Cum die 1. Septembr. 1657. exposita fuisset hæc consultatio: *An Episcopus absque Apostolico Indulto possit bis in die Sacrificium offerre ex causa, quæ supponitur, ut infra, nempe*

cum

cum in Civitate, quam dicunt dell'Assunta *in Provincia Paraquariensi, pars magna Nobilium domi se contineat, quod apparatu vestium decenti careat, ideo, ut Nobiles Mulieres, ac Viri e Domibus ad Templa educerentur, opus fuit Missam ante solis ortum celebrare. Sed non reperto Sacerdote, qui absque stipendio munus hoc subire vellet; Episcopus ipse Missam antelucanam Nobilium gratia, aliam vero paulo ante meridiem pauperum gratia celebrare sibi licuisse prætendit.* Sacra hæc Congregatio respondit: *In casu proposito non posse*: ea potissimum de causa, quod imperceptibile visum est, alium non adesse Sacerdotem, qui Missam antelucanam celebraret pro Nobilibus, quemadmodum colligitur *ex lib.* 21. *Decret. pag.* 56.

31. Episcopus Adjacensis an. 1658. in Visitatione Sacrorum Liminum exposuit, aliquos suæ diœcesis Parochos, cum duos parvos haberent pagos pauperes, & miserabiles, bis celebrare in diebus festis ex antiqua consuetudine ab Episcopis tolerata. Addidit præterea, quosdam alios esse, qui ob locorum distantiam, & Parochianorum incommodum idem sibi concedi exposcebant. S. vero Congregatio die 25. Januar. 1659. respondit: *Circa indultum quoque duas in diebus festis Missas celebrandi, quod ratione loci, ac distantiæ petunt Parochi; Emi PP. in re adeo Sancta nihil inconsulto, & absque sedula, & matura disquisitione concedendum rati, postquam ab Amplitudine Tua explicite, ac distincte circa locorum distantiam, & Parochianorum numerum, & qualitates, & num alia commodiori ratione consuli possit, certiores facti fuerint, pro sua ipsorum pietate, atque providentia id statuent, quod divino cultui, & spirituali Animarum saluti expedire censebunt.*

32. *In Aurien. Vicarii Curati* cum unus Vicarius præesset duabus Ecclesiis Parochialibus Monasterio unitis, proposito hoc secundo dubio: *An teneatur Episcopus Aurien. concedere prædicto Vicario licentiam celebrandi duas Missas in quolibet die festo, unam scilicet in Parochiali de Qualedro, & alteram in Parochiali de Vilela*: die 4. Maii 1715. rescriptum fuit: *Negative*: Sed simul S. Congregatio per modum provisionis deputari jussit duos Presbyteros, assignato eis congruo stipendio ex reditibus utriusque Ecclesiæ Parochialis, ut *in lib.* 65. *Decret. pag.* 194., & 214.

33. *In Apten. Indulti*. Honoratus d'Estienne de Caussegros, Dynasta oppidi de Lioux, cum Parochialis Ecclesia in eodem Oppido sita non parum distaret ab aliis locis ejusdem suæ Ditionis, atque etiam ab ædibus, in quibus ille sedem habebat, nec facilis esset ob itineris asperitatem aditus ad eamdem Parochialem Ecclesiam, Sacellum construxerat domicilio suo proximum, in quo res Divina fieri diebus festis posset. Sed cum impar esset constituendo censui pro stipendio Sacerdotis Missam ibidem cele-
bra-

braturi, impetraverat tam a Prædecessore, quam a tunc existente Episcopo, tribui Parocho dicti Oppidi de Lioux facultatem Sacrum bis agendi omnibus diebus festis, semel nempe in Parochiali Ecclesia, & iterum in dicto Sacello; Idque ipsum per Pontificium Diploma sibi indulgeri rogavit. At proposito dubio: *An sit consulendum Sanctissimo pro concessione petiti Indulti in casu &c.* Sacra Congregatio die 27. Junii 1733. rescripsit: *Dilata, & adhibeantur diligentiæ juxta mentem; nec non scribatur Episcopo juxta instructionem*. In litteris ad Episcopum datis petitum fuit: I. *An haberi possit alter Sacerdos, qui diebus festis sacrificet in publico Oratorio, de quo agitur. II. Quanta sit distantia Ecclesiæ Parochialis, & qualis conditio viæ, hyberno præsertim tempore. III. Quot sint incolæ non valentes commode accedere ad Ecclesiam Parochialem pro audienda Missa. IV. Quanta sit eleemosyna, ut alter Sacerdos Missam celebret in dicto publico Oratorio. V. An Dominus loci vere possit hujusmodi eleemosynam subministrare. Et VI. demum, an aliquid etiam possit contribui ab incolis, qui in eodem Oratorio Missas audirent*. Ad hæc respondit Episcopus: I. *Difficillime haberi posse alterum Sacerdotem, qui diebus festis sacrificet in publico Oratorio, de quo agitur; cum non sit alius nec in dicto Oppido, nec in vicinis locis. II. Ecclesiam Parochialem de Lioux distare circiter duo millia a quibusdam dicti loci villis, viamque esse perdifficilem ob interfluentes torrentes, præsertim hyberno tempore. III. Esse circiter centum incolas, qui ad audiendam Missam non possunt commode accedere ad Ecclesiam Parochialem. IV. Necessarias fore 150. libras, ut alter Sacerdos Missam celebraret in dicto publico Oratorio. V. Denique nec Dominum loci ejusmodi eleemosynam subministrare, nec ab incolis aliquid contribui posse*. Hinc die 8. Maii 1734. dubio iterum proposito, omnibus mature perpensis, Emi PP. negativo responso priorem sententiam confirmarunt.

34. Hæc fusius exponenda duxi, ut facilis inde pateat aditus ad judicandum de precibus, quas pro suo erga Apostolicam sedem obsequio, nuper exhibuit vigilantissimus Derthusensis Ecclesiæ Episcopus, super facultate permittendi duorum Sacrorum celebrationem Rectoribus nonnullarum Parochiarum in diebus festis. Facultatem hanc, causa necessitatis suadente, consonam maxime esse juris communis dispositioni ostensum jam est *num.* 7.: Hujusmodi necessitatis causam, ex hodierna Ecclesiæ disciplina, eam potissimum censendam esse, cum Parochus duabus præest Parochiis, vel populis a Parochiali Ecclesia valde dissitis, nec alius adest Sacerdos, satis liquet ex *num.* 13., *& seq.*; Hanc demum facultatem Episcopos passim concessisse dictis Rectoribus, non est dubitandum *cit. num.* 13., *& seqq.*. Omnis igitur difficultas in eo est, utrum videlicet in casu, de

de quo agitur, necessitas vere urgeat hujusmodi impertiendæ facultatis. Necessitatis cognitio ad Episcopum pertinet, ut ex *n*.19. Jam vero de hujusmodi necessitatis causa plenissimum habetur Episcopi testimonium in litteris ad hanc S. Congregationem datis sub die 22. Julii 1767., & novissime sub die 13. Januarii currentis anni 1768.

35. Ex his primum constat, Parochianos omnes diebus festis Sacro interesse non posse, nisi Parocho bis Missam celebrare permittatur I. quia plures numerantur dies festi, in quibus privilegio gaudent, vacandi operibus servilibus, audito Sacro. Hinc qui agros præsertim excolunt, ne diurnam amittant mercedem, qua plurimum indigent, nequeunt eam Missam expectare, quæ pro reliquis Parochianis, & Peregrinis opportuna magis hora consuevit celebrari. 2. quia incolæ ex majori parte nonnullis in locis Pastores sunt, & procul a Parochiali Ecclesia morantur, atque idcirco, ne incustoditos relinquant greges, haud queunt simul ad Ecclesiam convenire. 3. quia eamdem ob causam, ne scilicet domos relinquant desertas, etiam qui propius habitant, nequeunt omnes eidem Sacro interesse. Ex quibus necessario fluit, aut eos Missæ Sacrificio carere debere diebus festis, aut permittendum illorum Rectori, ut bis Sacrum conficiat, cum festi incidunt dies.

36. Constat præterea, gravi huic necessitati nulla alia occurri posse ratione, & via, quam facta bis celebrandi Parochis facultate. Primo enim, nullus præter Ecclesiæ Rectorem in dictis Parochiis reperitur Sacerdos, qui, congrua accepta eleemosyna, alterum Sacrum valeat celebrare. Deinde neque ullus Sacerdos ab aliis Parochialibus Ecclesiis evocari potest ob magnam locorum, seu itineris longitudinem. Tertio Parochi tenues habent reditus centum ducata monetæ illius Regni, hoc est scuta Romana 58., non excedentes. Ultimo tandem ipsi Parochiani rerum inopia, ac paupertate ut plurimum laborant, ita ut gravari nequeant, & cogi ad solvendum stipendium pro substentando Sacerdote aliam Missam diebus festis celebraturo; eo vel magis quod eleemosyna duplo, vel triplo maior vix sufficeret ob locorum distantiam, itinerisque difficultatem.

37. Non equidem dissimulo, inter cæteros Parochiarum Rectores, facultatem sibi fieri expostulantes bis in diebus festis Sacrificium offerendi, eum recenseri, qui præest Parochiali Ecclesiæ *de la Palma*, cui pro congrua quotannis obveniunt ducenta & amplius ducata illius Regni, hoc est scuta Romana 116. & ultra. Verum, præterquamquod, neque hujusmodi Parochialis congrua par esse mihi videtur ferendo oneri substentandi alium Sacerdotem, qui diebus festis Missam celebret; accedit etiam, quod Parochia-

chiani, ut monet Episcopus, neque respectu dicti Rectoris, neque respectu aliorum, si qui fortasse essent æqualibus gaudentes reditibus, ullo modo consecuturi essent opportunam Sacrum audiendi occasionem: *Siquidem*, ait Episcopus, *imposita Parochis obligatione præstandi eleemosynam alii Sacerdoti ad secundæ Missæ celebrationem, illico moverent litem unanimiter petentes liberationem ab hujusmodi oneris impositione, super quo in Justitiæ Tribunalibus audientia neutiquam erit deneganda, neque impediretur appellationis recursus usque ad tres conformes; interea permanentibus Christifidelibus sine Missa, utpote accidit de præsenti (proh dolor!) omnibus diebus festis. Tandem si Populorum incolæ litem adversus Parochos excitarent (quod non est prudenter credendum, nec etiam præsumendum, eorum attenta paupertate) adhuc soluta a Parochis consueta eleemosyna pro secunda Missa, non inveniretur Sacerdos, qui accederet sponte ad Sacrum Convivium celebrandum, licet ei duplicata, aut triplex quantitas consuetæ eleemosynæ elargiretur per jam dictam locorum distantiam, itinerisque difficultatem. Ex quo necessario sequendum, ut duas Parochi celebrent Missas, vel Parochianos manere privatos audiendi Sacrum.*

38. Ex his omnibus manifestissime constare arbitror de gravi, urgentique necessitate bis celebrandi in prædictis locis, ubi dies festi occurrunt. Cumque certum aliunde sit, hujusmodi necessitati nullum superesse remedium ex iis, quæ a Sacris Canonibus, & a Sacro Concilio Tridentino sunt assignata; hinc minime dubito, locum esse exceptioni illi, quam Innocentius III. adjecit *Cap. Consuluisti de celebrat. Miss.*, dum unum tantummodo in die Sacrum ab eodem Sacerdote perfici jussit. Quare annuendum censeo Derthusen. Episcopi, & prædictorum Parochorum votis, ac precibus, iis tamen sub conditionibus, sub quibus facultates hujusmodi aliàs concessæ sunt. Atque ita sentio, salvo semper &c.

F. X. Archiepiscopus Petren. Sac. Congregationis Concilii Secretarius.

Die

Die Sabbathi 17. Septembris 1768. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

FOlium præcedentis Congregationis diei 20. Augusti, pro cujus reassumptione Emi PP. rogantur, sex enumerat Causas, quæ indecisæ tunc remanserunt. Præsens verò folium tres alias exhibet, ad complendum numerum de more adjectas. Ex utroque igitur EE. VV. deprehendent quid juris dijudicandum sit super dubiis, quæ ibidem transcripta comperiuntur.

DERTHUSEN.

An sit consulendum Sanctissimo pro concessione petiti Indulti, in casu &c.

Sess. 25. de observ., & evitand. in celebr. Miss.

Scribatur Episcopo juxta instructionem.

CAMERINEN., SEU FABRIANEN. MATRIMONII.

An sit standum, vel recedendum a decisis, in casu &c.

Sess. 24. cap. 1. de Reform. Matr.

In decisis, & amplius.

ANAGNINA.

Sess. 23. cap. 13. de Reform.

I. *An Subdiaconus Nicolaus Corazza, adventa legitima ætate Diaconatus, & Presbyteratus, statim teneatur proximis futuris temporibus ad eosdem Ordines promoveri, vel potius servatis inter omnes Ordines interstitiis:* & quatenus affirmativè ad primam partem, negativè ad secundam

II. *An indultum eidem sit concedendum, ut servatis interstitiis inter omnes Sacros Ordines, absque ulla pœna caducitatis promoveri possit.*

Ad I. Negativè ad primam partem, affirmativè ad secundam.

Ad II. Provisum in primo.

Sess. 21. cap. 7. de Reform.

SPIREN. REÆDIFICATIONIS ECCLESIÆ.

An sit standum, vel recedendum a decisis, in casu &c.

In decisis, & amplius.

Sess. 23. cap. 8. de Reform.

MONTIS FALISCI EXPENSARUM LITIS.

An expensæ litis per Patronos sint detrahendæ a bonis recuperandis pro dote Capellaniæ, in casu &c.

Affirmativè.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

CÆSENATEN. BENEFICII.

An, & quæ Supplicatio sit signanda, & relaxanda, in casu &c.

Signandam, & relaxandam esse Supplicationem Sacerdotis Jacobi.

Sess. 24. cap. 4. de Refor. Matrim.

MILETEN. NULLITATIS MATRIMONII. Vivente adhuc Xaveria Gasparro legitima Conjuge, Rosarius Ranieri rem habuit cum Puella Vincentia Gervasi sub promissione matrimonii, quatenus Uxor decessisset, ab eaque filium suscepit. Obiit Xaveria anno 1762., & Sacerdos Didacus Seminara Æconomus Collegiatæ, & Parochialis Ecclesiæ SS. Leonis, & Lucæ, intra cujus ambitum tum Rosarius, tum Vincentia degebant, ad tollenda scandala, quæ universo Populo Civitatis Montis Leonis ambo intulerant, auctor fuit Matrimonii (inter ipsos contrahendi). Accersita proinde Vincentia, eaque Domi suæ clanculum retenta, vocavit etiam Rosarium nil talia cogitantem, quem, coram eadem Vincentia suspiriis, ac lacrymis obruta, ita suasionibus, sacrisque adhortationibus, ac minis alloquutus est, ut eum ad matrimonium ineundum induxerit.

Elapsis vix tribus annis cum dimidio supplicem Conjuges porrexerunt libellum Sanctissimo Domino Nostro, expostulantes declarationem nullitatis matrimonii, tum ex *defectu consensus*, tum ex *impedimento affinitatis*, & *criminis*. Preces remissæ fuerunt ad S. hanc Congregationem, expletoque coram Ordinario formali processu, de hisce nullitatibus disputatio occurrit.

Defectum consensus primò desumunt, ex quo Rosarius non spontè, sed importunis suasionibus Æconomi Seminara matrimonio

nio adhæserit, ut testatur Sacerdos Gramendola unus ex matrimonii testibus. Id etiam patere, ajunt, ex iis, quæ postea subsequuta sunt, cum Rosarius Sponsam statim dereliquerit, nullos cum ea conjugales actus exercuerit, & nunquam illius ædes inviserit. Ex his autem defectum liberi consensus apparere *Sanchez de Matrimon. lib.* 1. *disp.* 22. *n.* 6., *Rot. coram Celso dec.* 374. *num.* 3., & *dec.* 1285. *num.* 4. *coram Emerix Jun.*

Spernendum esse testimonium tum dicti Æconomi, tum Juliæ Jannuzzi Vincentiæ Matris, de subsequuta cohabitatione testantium, cum hæc depositionem retractaverit, ille verò id asseruerit ex ore tantum ipsius Vincentiæ, quæ tamen medio juramento aliter declaravit.

Quamvis autem matrimonium validum dici posset, contendunt illud, tanquam ratum, & non consumatum dissolvi oportere, tum ob disparitatem natalium, divitiarum, & diversæ inter utrumque conditionis, tum etiam ob alias perniciosissimas circumstantias, quæ matrimonii nullitatem suadent *Sanchez de matrim. lib.* 2. *disp.* 16. *n.* 30., *Ursaya discept. Eccles. tom.* 9. *par.* 2. *discept.* 9. *num.* 14.

Sed his haud opus esse contendunt, cum ex impedimento *affinitatis* matrimonii nullitas resultet. *De affinitate* constare dicunt, ex quo Rosaria Gervasi Vincentiæ soror, corporis sui copiam fecerit Rosario Ranieri, priusquam iste cum eadem Vincentia matrimonium contraheret. Id juramento deposuisse utrumque reum, quibus licet criminis sociis, fides est adhibenda, cum agatur de crimine occulto *Ursaya tom.* 5. *part.* 2. *disceptat.* 9. *num.* 32., *Rot. post eundem dec.* 51. *num.* 3. Idque ipsum asseruisse etiam Vincentiam, & Annam Gervasi Rosariæ sororem, quæ omnes insimul apud Matrem morabantur.

Accedere etiam testimonium aliorum in viciniis habitantium, qui affirmarunt, passim vidisse Rosariam, & Ranerium nocturno tempore solos, & clanculum proximam domum vacuam ingressos, in eaque clausos remansisse. Aptissimas verò esse sustinent hujusmodi conjecturas ad probandam copulam inductivam affinitatis pro dirimendo matrimonio *Ursaya tom.* 3. *discept.* 9. *part.* 2. *num.* 11. & *seq.*, *Rot. cor. Emerix Jun. decis.* 1194. *num.* 3., & *coram Molin. decis.* 291. *num.* 2. Nec attendendum esse aliqualem inter testes dissensum, cum solum accidentalia, non verò facti substantiam respiciat, *Rota coram Pamphil. dec.* 496. *num.* 7., & *coram Emerix Jun. decis.* 635. *num.* 10.

De mendacio idcircò redarguunt Æconomum, qui ex ore Vincentiæ audivisse dixit, nullum pro matrimonio ineundo ade se impedimentum, cum ipsa met Vincentia ejus postulatis aliter respondisse testata sit.

De impedimento verò *criminis* constare affirmant, ex quo Ranerius, vivente adhuc Uxore, adulterium commiserit cum

Vincentia sub promissione matrimonii utrinque data, utrinque mutuo accepta, *Cap. Proposuisti de eo, qui duxit in matrimon. quam polluit per adult.*, *& cap. Significasti 6. eodem tit.* Mutuam hanc promissionem resultare non solum ex jurata depositione dd. Ranerii, & Vincentiæ, quibus in re occultissima æque, ac turpissima fides habenda est *Mascard. de probat. conclus.* 1040. *num.*4., *Rocc. disput. jur. cap.*133. *num.*1., *Rot. cor. Molin. dec.*310. *num.*2., sed etiam ex declaratione Juliæ Jannuzzi Vincentiæ Matris; ex quibus omnibus indubia impedimenti probatio exurgit.

Defensor verò Matrimonii primùm observat, procedendum non esse ad dissolutionem, nisi probationes nullitatis perspicuæ sint, atque omni exceptione majores, *Rot. in Recen. dec.*155. *num.*49., *dec.*324. *num.*2. *part.*6., *dec.* 35. *sub num.*9. *part.*11., *& dec.*99. *num.*4. *part.*16.. Hujus generis non esse sustinet probationes in hac causa allatas. Defectum consensus probari tantummodò ex simplici, & informi depositione Sacerdotis Gramendola, cui nulla fides præstanda est, tum quia unicus, & singularis *cap. Licet universis de testib.*, tum quia deposuit post novem menses a die completi examinis, ideoque post didicita testificata *cap. Intimavit, & cap. Fraternitatis de testib.*, tum etiam quia præcedenter deposuerat de consensu à Viro præstito, idque in judiciali examine, cui unicè inhærendum est, *cap. in tua de testib.*, *Abbas ibi num.*9., *Rot. in Recent. dec.*86. *num.*26. *part.*12., *& dec.*333. *num.*8. *part.*13.; tum denique quia Æconomus Seminara, & Sacerdos Antonius Tombatus alter matrimonii testis de hujusmodi consensu in formali examine plenissimum testimonium perhibuerunt.

Constare autem, dictos Conjuges, sequuto vix matrimonio insimul cohabitasse, eodemque in lecto duorum annorum spatio condormisse, ut disertè deposuit Vincentia Mater, cujus assertio maximi facienda est, non solum quia inducta fuit ab ipsismet Conjugibus *Rot. dec.*484. *num.*9., *dec.*669. *n.*10. *part.*19. *tom.*2. *Recent*, sed etiam quia deposuit de re, quæ domi suæ contigit, & de qua proinde omnimodam scientiam habere debuit *Rot. dec.*796. *num.*12. *coram Dunozet. Jun.*, *& decis.*1139. *num.* 9. *coram Lancetta*. Ac insuper præsumi non posse, quod falsum testari voluerit contra filiam, cui in examine, quantum potuit, prodesse studuit, *L. non solum in princip. ff. de rit. nupt.*, *Menoch. de præsumpt. lib.*5. *præsump.*40. *num.* 17.

Deesse quoque addit concludentes probationes, quoad impedimentum *affinitatis*. Audiendos hac super re non esse Ranerium, & Vincentiam in causa propria testantes *Cap. si testes §. Item nullus, & §. Omnibus caus.*4. *quæst.* 2. *&* 3.. Rejiciendum etiam testimonium Juliæ Matris, & Annæ Sororis, quia consanguineæ sunt *Farinacc. de testib. quæst.*54. *n.*1., *Rota coram Duran. decis.*427. *num.*3., *& coram Falconer. dec.*13. *num.* 20.

num. 20. *de probat.*, & præterea, quia viliſſimæ ſunt, & infames, *Rot. deciſ 66. num.6.part.6.*, *& deciſ. 58. num.* 14. *par.7. Recent.*

Quoad reliquos verò teſtes animadvertit, eos nec de viſu, nec de certa ſcientia loquutos fuiſſe, ſed conjecturaliter tantum, & illativè, eo quia Ranerium, & Roſariam viderint vel proximam domum ingredientes, vel ab ea egredientes. Abſonum verò eſſe, ut, in re præſertim tanti momenti, admittantur teſtes ex conjecturis deponentes, *Rot. coram Buratt. deciſ.* 538. *num.* 18., *& deciſ.* 297. *num.*10. *part.*19. *Recent.*. Eo vel maximè, quia ad contrahendum impedimentum affinitatis, carnalis copula debet eſſe conſumata, *D. Thomas in* 4. *diſtinct. quæſt.unica artic.* 1. *quæſtiunc.*4. *ad* 2., *Benedict.I. in cap. Lex Divina* 18. *cauſ.*27. *quæſt.*2.. De perfecta autem copula neminem deponere,niſi Ranerium, & Roſariam, quorum neuter audiendus, quia ille in cauſa propria deponit, hæc verò impudiciſſima fœmina fuit, atque infamis.

Perperam ſupponi, dicit, leves etiam, atque imperfectas probationes ſufficere, cum agatur de re occulta. Verum id eſſe fatetur, ubi ſermo ſit de matrimonio contrahendo, ſecus tamen ubi res eſt de matrimonio jam contracto; quo in caſu nec viri, nec fœminæ confeſſio ſatis eſt, quamvis a vicinis confirmata *Cap. Super eo* 5. *de eo qui cognovit Conſanguin.*

Eadem locum habere, ait, quoad alterum impedimentum *criminis*, de quo non aliter conſtare ſuſtinet, quam ex ſolis Conjugum confeſſionibus: Nihil autem prodeſſe teſtimonium Juliæ Jannuzzi tum ob perſonales exceptiones, tum etiam quia depoſuit de auditu ex præfatis Conjugibus *Natt. conſil.*473.*num.*40.,*Rot.dec.*357.*num.* 1. *cor.Caprar.*,*& dec.*428. *num.*5.*part.*4.*Recent.*

Inter cætera impedimenta matrimonium jam contractum dirimentia, locum habent *affinitas*, & *crimen*. Quoad impedimentum affinitatis aliquid innovandum cenſuit *Concil. Trident. ſeſs.*24. *cap.*4. *de Reformat.Matrim.*, illudque reſtrinxit *ad eos tantum, qui in primo, & ſecundo gradu conjunguntur*. Nihil tamen innovavit quoad impedimentum criminis, probavitque ea, quæ in Jure Canonico ſtabilita fuerant.

Crimen matrimonium dirimens multiplex eſt. Ad rem præſentem, quod attinet, eſt *adulterium ſolum cum promiſſione Matrimonii de futuro*; quando ſcilicet Adulter, & Adultera ſive ante, ſive poſt adulterium commiſſum promittunt, & fidem dant de matrimonio poſt mortem Conjugis ineundo, etiamſi ipſi in talem mortem non conſpiraverint *Cap.relatum eſt* 4. *cauſ* 31.*quæſt.*1., *Cap.Propoſitum* 1.,*Cap.Ex literarum tuarum* 4., *Cap.Significaſti 6.*, *& Cap. Veniens* 7. *de eo qui duxit in matrimon.*

De ratione probandi impedimenta matrimonii egregia est Doctorum distinctio, ut scilicet, si agatur de impediendo matrimonio nondum contracto, levis sufficiat probatio; si verò quæstio sit de dirimendo matrimonio jam inito, plenissima probatio requiratur *Sanchez de Matrimon.lib.2.disputat.45.num.3.*, *Panimoll. dec.19.num.4. & seq.*. Quamobrem quæcumque in cæteris probationibus, ac judiciis servanda sunt, eadem multo magis servari debent, ubi sermo est de probandis impedimentis ad matrimonium dissolvendum.

Hinc peculiari quadam ratione cautum primo loco est, ut non alii admittantur Testes, nisi qui circumspecti sint, probatæ vitæ, & opinionis, & omni exceptione majores. Alexander III. *Cap.In literis de testibus, & attestationibus* Firmano Episcopo sic rescripsit = *Quidam nobilis tui Episcopatus quandam sibi legitimè copulatus, cum eam in domo sua ferè per septennium tenuisset, consobrinam Patris ejus, antequam eam duceret, se asseruit cognovisse, ad quod probandum Testes de Familia sua tres produxit. Respondemus igitur, ut si res ita se habet, pro illorum testimonio ipsum ab Uxore nulla ratione patiaris dividi, nec contra ipsos aliquos audias, nisi probatæ essent vitæ, & opinionis, de quibus verosimile non esset, quod deberent pro aliquo dejerare.* Et similiter in *cap. Ex literis tuis de consanguinit., & affinit.* decernitur, ad ferendum testimonium de consanguinitate admittendos tantummodò *Testes circumspectos, & omni exceptione majores.*

Statutum præterea est, ut neque Conjugum confessioni, neque viciniorum famæ, quoad impedimentum fides habeatur. Id apertissimè sancitum novimus a Cœlestino III. *Cap. Super eo §. De eo, qui cognovit* his verbis = *Super eo verò, de quo rescriptum Apostolicæ Sedis postulasti, utrum Conjugatus, qui ante contractum matrimonium, Uxoris suæ consanguineam, vel propinquam carnali commixtione cognovit, cum id uterque fateatur, & aliqua pars viciniæ id acclamare dicatur, sit ab Uxore sua judicio Ecclesiæ separandus, tali responso tuæ Fraternitati rescribimus, quod si aliter veritas ordinario judicio venire non potuerit in lucem, propter eorum confessionem tantummodo, vel rumorem viciniæ separari non debent, cum & quandoque nonnulli, cum inter se matrimonium colludere vellent, ad confessionem incæstus facilè prosilirent, si suo judicio crederent judicium Ecclesiæ concurrendum. Rumor autem viciniæ non est momenti usque adeo validi judicandus, quod nisi rationabiles, & fide dignæ probationes accedant, possint benè constitutum matrimonium irritare.*

Aliter tamen dicendum, si impedimentum notorium fuerit, & publicum. Nam Alexander III. *Cap. de illo 3. eodem tit.* hæc habet = *De illo autem, qui Uxorem Fratris sui, antequam ei matrimonio jungeretur, proponit se agnovisse, hoc tuæ prudentiæ respondemus, quod nisi publicum, & notorium fuerit,*

aut

aut idoneis testibus comprobatum, ipsum prius præfatam Mulierem cognovisse carnaliter, prædictum matrimonium occasione illa impetere non permittas.

Conjugum verò confessio de impedimento rejicienda est, non solum, si matrimonio jam contracto, sed etiamsi ante matrimonium emissa fuisset *Rot. in Compostellana* 10. *Januarii* 1757. §.12. *coram* Canilliac, & 27. *Novembris* 1758. *coram Bussio*. Ratio autem est, quia Sacri Canones fidem denegandam statuunt Conjugum confessioni non solum ob periculum collusionis, sed etiam ob præjudicium proli obveniens, ut fusè observat *Barbos.Collect.Doct. in decret. lib.* 4. *tit.*13. *cap.Super eo num.*13., & alii.

Hæc plurimum lucis afferent judicio ritè ferendo in præsenti quæstione, circa quam id unum inquiri debet, an probationes de impedimento *affinitatis*, & *criminis* concludentes sint, ut indé ab EE.VV. decerni possit

An constet de nullitate Matrimonii, in casu &c.

Non proposita, cum reliquis.

NEAPOLITANA RESTITUTIONIS IN INTEGRUM.

*Sess.*25. *cap.*15. *de Regular.*, & *Monial.*

Religioni Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum nomen dedit die 20. Martii 1738. Antonius Aicardi è Colle S. Romuli Albinganen. Diœcesis in qualitate Fratris Operarii, & post lapsum duorum mensium supra triennium, quo tempore Tyrocinium explevit, die undecima Maji 1741. solemnem emisit Professionem in Domo Probationis Sanctæ Mariæ de Caravaggio Civitatis Neapolis. Transactis sexdecim a professione annis, supplicem obtulit libellum Sacræ Congregationi Episcoporum, & Regularium, in quo altissimè conquestus est de gravaminibus, quibus a suis Superioribus afficiebatur, addiditque se fuisse ad Religionem admissum ante tempus a sui Ordinis Constitutionibus præfinitum; quare ex utroque capite facultatem petiit egrediendi a Religione, præsertim quia, Tyrocinii tempore, pluries insteterat pro restitutione pecuniarum, & vestium, quæ tamen semper fuerat a Superioribus denegatæ. Verùm Sacra Congregatio, re maturè perpensa preces rejecit, & in eadem sententia permansit, licèt Orator iterum, ac tertio eas renovaverit.

Post hæc Religiosus Aicardi confugit ad Sanctissimum Dominum Nostrum, & nullitatem Professionis prætexens, petiit in integrum restitui ob lapsum quinquennii. Causa hujusmodi ad Sacram Congregationem remissa fuit, cui, post completum Processum in Curia Archiepiscopali Neapolis, resolvendum proponitur dubium in calce transcriptum.

Con

Contendit itaque primò Aicardus, emissam a se fuisse professionem contra formam præscriptam in Constitutionibus Pauli V., & Alexandri VII., & in Statutis sui Ordinis. In utrisque præcipi, ait, neminem ad professionem admitti posse, nisi *finitis duobus probationis annis*, ipsum verò ante hoc tempus professionem emisisse. Id autem apparere, si ratio temporum habeatur. Contendit enim primum biennium juxta Ordinis Statuta, nequaquam pro tyrocinio considerari posse, undè etsi Religionis habitum susceperit die 16. Martii 1738., nihilominus dempto primo biennio, probationis initium non prius desumi oportere, quam a die 16 Martii 1740.. Hinc cum professionem emiserit die 11. Maji 1741., scilicet post quatuordecim menses ab incæpto secundo biennio, claram esse concludit professionis nullitatem.

Nec ambigi ullo modo posse, secundum tantummodo biennium, non autem primum pro tyrocinio esse attendendum; Cum Paulus V., & Alexander VII. tyrocinium expleri non posse mandaverint, nisi in Domibus pro Novitiis destinatis; Ordinis verò Statuta, quamvis id ipsum quoad secundum biennium decernant, tamen permittant, ut primum biennium in qualibet Domo professa perfici valeat. Patere itaque, secundum tantum biennium verum esse probationis tempus in Literis Apostolicis præscriptum, nec super eo per P. Generalem posse dispensari, ut in iisdem Literis expresse cavetur. Opponi haud posse existimat dispensationem P. Generalis pro uno anno primi biennii. Respondet enim, de hac dispensatione nullum extare vestigium in Archivio Provinciali, in quo omnes dispensationes asservari solent; nullam de ea fieri mentionem in Regestro Vestitionum, & Professionum, in quo consueverunt adnotari. Addit præterea, nunquam hujusmodi dispensationem fuisse petitam, nunquam eidem præstitum a se consensum; Perperam idcircò eam opponi, cum de illa nullum extet monumentum *Pignattell. consult.* 113. *n.* 5. *tom.* 1., *Rot. coram Buratt. dec.* 325. *num.* 2.

Multoque minus opponi posse liberculum Professionis, in quo ea emissa legitur a Religioso Aicardi *cum dispensatione P. Generalis unius anni primi biennij*. Adnotationem hanc non solum nullam mereri fidem, quia deficit dispensationis monumentum, sed insuper suspectam esse, ut Periti a Curia Archiepiscopali electi recognoverunt. Et quatenus etiam hujusmodi dispensatiò adesset, eam tamen censet, nonnisi ad secundum biennium referri posse, super quo nulla competit P. Generali dispensandi facultas.

Animadvertit ulterius, irritam quoque esse Professionem, utpotè emissam absque testimonialibus litteris proprij Ordinarij, quas Constitutio Alexandri VII. necessario requirit. Fortius verò ex defectu liberæ voluntatis, cum tem-

tempore tyrocinij sæpè adversam Statui Religioso voluntatem patefecerit, sæpe etiam vestium, & pecuniarum restitutionem efflagitaverit. Has fuisse semper denegatas, proindeque coactè in religione permansisse, ne nudus ab ea exire, & mendicare cogeretur. Id autem sufficere ad Professionis nullitatem, additis præsertim importunis superiorum precibus, & metu erga ipsos reverentiali, *Ricc. in prax. var. resolut. tom.* 3., *Piton. disceptat.* 107. *num.* 14. *Pignattel. consult.* 87. *num.* 29. *tom.* 9.

Nihil demum obesse permanentiam per longum tempus in Religione, ut indè tacita professio, vel ratificatio inducta censeatur. Asserit enim, neutrum admitti, ubi agitur de nullitate ob non expletum tempus in Constitutionibus Apostolicis cum decreto irritanti præfinitum *Pignattell. loc. citat.*; subdit præterea non deficerè conquestiones, & querelas, precesque pro nullitate oblatas vel Superioribus Ordinis, vel S. Congregationi Episcoporum, & Regularium, ex quibus omnibus dissensus continuatio deprehenditur *Pignattell. consult.* 173. *num.* 76. *tom.* 9., *Ursaya discept.* 7. *num.* 4. *tom.* 1. *part.* 1.

Contra verò Defensor Professionis observat, Constitutiones Pauli V., & Alexandri VII. biennij tempus præscribere ad professionem emittendam, Fratrem Antonium habitum Religiosum induisse die 20. Martij 1738., & die 21. Maij 1741. professionem emisisse. Tyrocinij proindè tempus excessisse juxta Apostolicas Constitutiones clausula *sublata*, & decreto irritanti munitas; absque eo, quod attendi debeat quidquid in Capitulis Generalibus fuerit dispositum *Rot. dec.* 699. *num.* 8. *cor. Molin.*, *dec.* 849. *n.* 18. *cor. Lancett.*, *&* *dec.* 100. *n.* 28. *cor. Tanar.* Hinc infert, necessariam non fuisse dispensationem P. Generalis, vel si necessaria fuisse dicatur, dubitari de ea nullo modo posse, quoties adnotata legitur in regestro Professionum asservato in Domo Probationis S. Mariæ de Caravaggio, ac subscripta noscitur propria manu P. Dominici a Passione tunc Rectoris d. Domus, & Novitiorum Magistri.

Nec obstare, quod hujusmodi dispensatio inventa non fuerit in Archivio Provinciali, tum quia actus perquisitionis non meretur attendi, utpotè gestus absque interventu Defensoris Professionis, quem Constitutio Benedictina requirit; tum etiam quia dispensatio potuit in Archivio non asservari, vel cum aliis paginis commisceri, vel etiam dolosè subtrahi; tum denique quia agitur de impingenda falsitate Viro Religioso, Sacerdoti, ad plures honoris gradus in Religione promoto, qui de illa testatus est, & cui nulla fuit causa perpetrandæ falsitatis. Ex his autem omnibus quamlibet suspicionem excludi *Rot. dec.* 681. *n.* 19. *cor. Pænia*, *&* *decis.* 754. *num.* 8. *tom.* 3. *part.* 4. *coram Molines*.

Perperamque opponi, quod dispensationis adnotatio transcripta non fuerit manu Secretarij, prout moris est, sed charactere P. Rectoris, & Magistri Novitiorum. Observat enim, nullam esse legem præcipientem, ut Professionum adnotationes scribi necessario debeant a Secretario, & a Rectore tantùm subscribi; & ritè potuisse P. Rectorem proprio charactere superaddere dispensationis adnotationem, quæ ex inadvertentia ab alio forsan omissa fuisset.

Inutiliter autem excipi, dispensationem contigisse in tertio probationis anno, atque idcircò in secundo biennio, super quo nulla cadere poterat dispensatio. Sustinet enim, contrarium apertè desumi ex citato Professionum regestro, quod unicè observandum est, quousque oppositum evidentissimè non demonstretur.

Gratis asseri, affirmat, defectum literarum testimonialium proprij Ordinarij. Coactam verò voluntatem non aliundè desumi, quam ex dicto ipsius Religiosi, qui non debet audiri, cum in Causa propria deponat, ad *Text. in leg. omnibus Cod. de Testib.*, & ex depositione Testis, qui tanquam unicus, & singularis spernendus est *Cap. licet de Testib.*, *Rot. decis.* 13. *num.* 18. *part.* 17. *Recen.* Addit præterea, querimonias non prius prodiisse, quam post sexdecim annos a die emissæ professionis, eorumque præcipuum fundamentum stetisse in vexationibus, & gravaminibus, non in coactione, quæ modò proponitur. Denique negat, solum metum reverentialem sufficere ad professionem invalidandam *Piringh. lib.* 3. *decret. tit.* 31. *num.* 120., *Sanchez de Matrim. disput.* 6. *num.* 7., sed requiri metum gravem cadentem in Virum constantem *Cap. cum dilectus* 6. *De iis, quæ vi, metusque causa fiunt*, *leg. metum Cod. eod. tit.*

Ex his infert, inductam tot annorum silentio fuisse præcedentis Professionis ratificationem, vel novam tacitam professionem *Pignattel. consult.* 145. *num.* 40. *tom.* 1., *consult.* 9. *num.* 10., *Donat. in prax. tom.* 2. *tract.* 10. *quæst.* 25. *num.* 2., *Novar. in Lucerna Regular. verb. Professio num.* 23. Nec a Religioso Aicardi allegari posse ignorantiam, quoties scivit coactè professionem emisisse. Maximè cum ad inducendam ratificationem non sit opus scientia nullitatis Professionis *Fagnan. in cap. significatum num.* 9. *de Regul.*, *Barbos. de Offic.*, *& potest. Episcop. part.* 3. *alleg.* 104. *n.* 20.

Concludit, habendam quoque esse rationem judicij S. Congregationis Episcoporum, & Regularium, quæ semel, iterum, ac tertio Religiosi petitiones rejecit.

Juvat hic in medium proferre quid fa. mem. Alexander VII., quid Statuta Religionis Scholarum Piarum præscripserint, quoad Novitios ad Professionem admittendos. Alexander VII., in Constit. *Dudum* edita die 24. Januarii 1655. præscripsit. *Ut deinceps in eamdem Congregationem recipiendi, antequam tria vota hujusmodi emittant, duos annos proba-*

tionis in Domibus specialiter in unaquaque Provincia pro Novitiis, si fieri poterit, destinandis, complere teneantur. Et §.16. *In reliquis antiquas Constitutiones Congregationis hujusmodi in omnibus his, quæ aptantur, & congruunt Statui Congregationis Sæcularis, & præsentis nostræ Constitutionis nullatenus adversantur, servari præcipimus.* Ac tandem §. 18. *Irritum, ac inane, si secus super his a quoquam quavis Auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.*

Statuta verò Religionis hæc inter cætera præcipiunt cap. 6. *Statutum est, ut innovetur, & exequutioni prorsus mandetur decretum Capituli Generalis 1641. tempore B. P. Fundatoris editum, in quo sancitum fuit, ut Fratres Operarij spatio quatuor annorum probentur. Hujusmodi autem probatio hoc ordine fiat, nempè primo biennio in aliqua domo professa, in qua regularis observantia vigeat, & ubi pauciores non sint, quam duodecim Religiosi. Secundo autem biennio in ipsa Domo probationis, ad quam nullo modo admittantur, nisi deferant scriptas testimoniales, quas vocant litteras, ex quibus constet, quod benè se gesserint in Domibus illis, ubi fuerint per biennium commorati . . . In Provinciis autem ultra mare, & montes sitis P. Provincialis justis ex causis de consensu, & voto suorum Assistentium super his poterit dispensare, quæ tamen dispensatio intelligi nullo modo debet de secundo biennio in formali probationis domo, de quo nec P. Generalis ex prædicto decreto dispensandi facultatem habet.* Hæc Statuta confirmata fuerunt in Capitulis Generalibus celebratis annis 1712., & 1742.

Inquirendum proindè est, an Frater Antonius exactè adimpleverit modum præscriptum in citata Constitutione, & Statutis, dum tribus, & ultra annis commoratus est in Domo formalis probationis, & ea omnia exequutus est, quæ ad Statum Novitiorum pertinent.

Quoad nullitatem professionis ex defectu consensus, & ob metum, plura animadversa sunt in folio causæ *Lucerina*, quæ die 26. præteriti mensis Martij fuit proposita. Cum autem inutile sit ea iterum repetere, nil aliud superest, nisi ut EE. PP., circumstantiis omnibus accuratè perpensis, decernant.

An sit locus restitutioni in integrum in casu &c.

RECINETEN. VICARII CAPITULARIS. Quarto post mortem Episcopi Joannis Antonii Bachettoni die coactum legitime fuit Capitulum Recinetense eligendi gratia Vicarium Capitularem. Convenerant quatuor Dignitates, ac tredecim Canonici. Hinc Hyeronimus Mazzagalli Præpositus, qui prima Dignitas est, gaudetque jure relationis, rogavit primum, an in Vicarium Capitularem eligere pla- *Sess.24.cap. 16. de Reform.*

ceret *Archidiaconum Philippum Roberti*, & is undecim contrariis suffragiis rejectus fuit; Deinde referre instituit de Canonico Carolo Leopardi Laurea doctorali insignito, sed hic voci passivæ renunciavit. Opus itaque fuit, ut Archidiaconus proponeret d. Præpositum Mazzagalli doctorali qualitate decoratum, exitu tamen pejori, nam is exclusus fuit duodecim contrariis Suffragiis. Cum alter ergo non superesset, qui Doctoratus honore polleret, hinc Præpositus, & Archidiaconus disertis verbis Capitulum dissolventes solemniter protestati sunt de nullitate cujuscumque electionis, quæ fieret de persona Doctoratu non insignita, & una cum aliis quatuor Canonicis ab Aula Capitulari recesserunt. Protestationem hanc rejecerunt alii undecim Canonici, novoque habito scrutinio, electus fuit octo suffragiis Archipresbiter Clemens Politi, & quia is Doctoris laude carebat eidem assignatus fuit in Assessorem Nicolaus Fazj Prothonotarius Apostolicus usque, dum Doctoratum obtineret.

Archipresbyter munus statim accepit, exercuitque, sed illico pariter nomine sanioris partis Capituli oblatæ sunt Sacræ Congregationi querelæ de nullitate dictæ electionis, tamquam initæ contra formam Sacri Concilii Tridentini. Quare, ut tum Partium juribus, tum animarum saluti consultum foret, injunctum fuit Episcopo Auximano viciniori, ut salvis Partium juribus alterum interim deputaret, iisque terminum præfigeret ad deducendum eorum jura, prout executum fuit. Nunc itaque quæritur, an irritanda sit electio Archipresbyteri Politi, vel sit confirmanda altera Archidiaconi Roberti. Defensor Capitularium, qui nomen Sanioris partis Capituli sibi attribuunt.

Ad I. inquit, Præpositum primam dignitatem ante electionem Archipresbyteri Politi dissolvisse Capitulum, & una cum saniori Canonicorum parte jam a Capitulari aula recessisse, solemnemque etiam emisisse de nullitate cujuscumque futuræ electionis protestationem, cui reliqui ex septemdecim plene acquieverunt, septem dumtaxat Canonicis exceptis. Nullam proinde, & irritam esse electionem Archipresbyteri Politi jam dissoluto Capitulo initam, & in spretum protestationis a majori, & saniori Capituli parte acceptatæ, ex clara censura Concilii Tridentini *Sess. 24. cap. 16. de Ref.*

Addit, ex septemdecim Canonicis in Capitulari Aula perseverasse undecim tantum, & ex his vix octo suffragium Archipresbytero dedisse: atque hinc concludit, nullam, & irritam esse electionem, quum duo ex tribus partibus Canonicorum deessent, quo tempore facta fuit *Marchet. de Vicar. Capit. part. 1. tit. 1. num. 99.*: vel saltem eam, uti solis octo suffragiis nitentem conclusam non remansisse, aliis 8. repugnantibus Canonicis, ut monent *Monacel. form. legal. pract.*

pract. tom. 2. tit. 16. form. 10. num. 13., *Rot. coram Ansald. decis. 95. num. 2.*, *& coram Lancett. dec. 246. num. 3.*

Præterea cum Concilium Tridentinum requirat, ut eligendus *saltem in jure canonico sit Doctor, vel licentiatus &c. si secus factum fuerit, ad Metropolitanum deputatio hujusmodi devolvatur*, inquit fieri non posse, ut nulla non sit electio Archipresbyteri nec Doctoris, nec licentiati *Capon. tom. 2. discept. 92. num. 4.*, *Marchet. de Vicar. Capit. tit. 1. num. 38.*, *Pignatel. consult. 34. num. 2. tom. 8.*, maxime quum plures e gremio Capituli essent Doctores, nempe Præpositus, Archidiaconus, & Canonicus Leopardi, ita ut nullo modo licuerit, prætermissis Doctoribus, alium non Doctorem eligere *Card. de Luc. de Canon. disc. 24. n. 4.*, *& Sac. Congr. in Leopolien. Febr. 1590.*, *& in Lancianen. 18. Aug. 1668.*

Nec obesse, quod ex tribus Doctoribus e gremio Capituli, duo jam rejecti fuissent, alter vero renunciasset; advertit enim, illos non exclusos fuisse ex defectu qualitatum, nec Archipresbyterum prælectum ob præstantiores mores, probatamque scientiam, ac prudentiam, sed omnia ex mera conspiratione, dolo, pravoque consilio gesta fuisse. Plura hinc in laudem exclusorum, aliaque plura contra Archipresbyterum memorat, concluditque, culpæ eligendorum tribuendam esse illorum exclusionem, & ex propria culpa nequivisse Concilii Tridentini censuram eludere. Deputationem vero Assessoris necessariam quidem esse, quando ob defectum doctorum necesse est, ut non doctor eligatur, sed ferendum non esse, ut eligi possit non Doctor cum ratione Assessoris, quoties extant Capitulares Laurea doctorali pollentes, *Marchet. de Vicar. Capit. tit. 1. num. 110.*, *Monacel. tom. 1. form. 2. num. 25.*

Hinc ad JJ. concludit, confirmandam esse deputationem Archidiaconi Roberti; hunc esse Doctorem in jure Canonico, esse in exercitio muneris peritissimum, fuisse assistentem, & consultorem Sacri Tribunalis Inquisitionis, inde Advocatum Reorum, judicem plurium Causarum commissarium Reverendæ Fabricæ S. Petri, & a defuncto Episcopo deputatum perpetuum Pro-Vicarium, & Examinatorem Synodalem. Proindeque, deleta electione Archipresbyteri, confirmandam esse deputationem Archidiaconi, qui præ aliis idoneis, & Doctoribus majora habuit suffragia *cap. cum in cunctis 7. de elect.*

Præsertim quia, cum clara sit litera Concilii Tridentini, nonnisi scienter collata censeri potest electio in personam Archipresbyteri ad munus accipiendum inhabilis. Hinc, in nullo numero habita electione incapacis facta a majori parte, alteram Archidiaconi idonei, & capacis esse probandam, licet factam a minori parte *cap. 2. de Postul. Prælat.*; imo etiamsi unus tantum idoneum elegisset, alii verò non idoneum, illius tamen electionem cæteris esse præferendam

dam *Gloss. in d. part.* 2. *de Postul. Prælat. litt. M., Rot. rec. dec.* 156. *num.* 11., *& seqq. part.* 9. *tom.* 1., *& cor. Ansald. dec.*95. *num.*3.

Archipresbyter licet pluries monitus hactenus scripta sua non dedit.

Vacante Sede Episcopali statuit Sac. Concilium Tridentinum, ut *Capitulum Officialem, seù Vicarium infra octo dies post mortem Episcopi constituere, vel existentem confirmare omnino teneatur, qui saltem in jure Canonico sit Doctor, vel licentiatus, vel alias quantum fieri poterit idoneus: si secus factum fuerit, ad Metropolitanum deputatio hujusmodi devolvatur, Sess.* 24. *cap.*16. *de Ref.*

Quare Sac. hæc Congregatio Concilii Tridentini vindex, ac custos in una *Mazariensi* 19. *Decembris* 1569. respondit = *Archiepiscopus constituere debet Capitulo octo dierum spatium ad eligendum Vicarium Doctorem, casu quo elegisset non Doctorem, & eo non electo, omnis electionis potestas ad Archiepiscopum transfertur*. Et in una *Triventina Decembris* 1586. respondit *Eligendos in Vicarium Doctores, aut licentiatos, si qui sint in Capitulo, sin minus sufficere, ut quantum fieri poterit idoneus eligatur lib.*4. *decr. pag.*211. *ter.*, atque idipsum constanter edixit in *Melphien.* 9. *Septembris* 1594., *in Camplen.* 11. *Maji* 1624. *Decr.* 12. *pag.* 167. *in Crotonen.* 9. *Maji* 1637. *dec.* 15. *pag.*525., *in Salernitana* 9. *Decembris* 1662. *Decr.*23. *pag.* 301., *& in Montis Regalis* 19. *Janu.* 1664. *dec.* 24. *pag.* 18.

Quod servandum quoque mandavit etiam in casu, quo unicus dumtaxat de gremio Capituli adsit ad Doctoris dignitatem promotus, ut in *Neritonen.* 24. *Julii* 1643. *decr.* 17. *pag.*209., & in *Ecclesien. Electionis* 3. *Julii* 1679. *dec.* 29. *pag.*457.; imo nullis extantibus Doctoribus e gremio Capituli edixit, eligendum esse Doctorem, si qui sit extra gremium, ut in *Tricaricen.* 1592. *dec.* 7. *fol.*44.

Constanter itaque improbavit, rejecitque deputationem non Doctoris, omissis Doctoribus, vel licentiatis, ut in *Tarraconen. Janu.* 1590. *dec.*6. *fol.*102. *in Tricaricen.* 1592. *lib.*7. *decr. fol.*44., *in Crotonen.* 8. *Junii* 1595. *lib.*8. *decr. fol.* 131., *in Campaniensi* 4. *April.*1637., *in Lancianen.* 18. *Aug.* 1668. *lib.* 26. *decr. pag.* 59., *in Aliphana Vicarii Capitularis* 8. *Julii* 1702., *in Acernen. Vicarii Capitularis* 23. *Febr.* 1709., *& in Nazarena Electionis Vicarii Capitularis* 11. *Septemb.*1717.

Quin imo cum Concilium expresse eligi jubeat Doctorem, vel Licentiatum *in jure Canonico*, improbavit etiam electionem Doctoris in jure civili, aut Sacra Theologia, si posthabiti fuerint Doctores in jure Canonico, ut in *Asten.*11. *Julii* 1626., *Oriolen.* 24. *Martii* 1627. *decr.* 12. *fol.* 53., *&* 222., *in Capuana* 19. *Janu.* 1636. *dec.* 15. *fol.*311., *in Tyrasonen. Electionis Vicarii Capitularis* 13. *Junii* 1669. *decr.*26. *fol.*253., *& in Majoricen. Electionis Vicarii Capitularis* 13. *Febr.* 1672. *dec.*27. *fol.*315.

Præ-

Præterea, ne fraus fieret Concilii menti, quæ jubendo electionem Doctoris voluit, ut muneri præficeretur persona vere docta, atque prudens, Sacra hæc Congregatio declaravit ulterius, solum Doctoratum in publica universitate obtentum spectandum esse: Nam in una *Montis Regalis* 19. *Januarii* 1664. proposito = *An hujusmodi Doctor debeat esse Doctor in publica universitate studiorum, an vero satis sit, ut fuerit promotus ex gratia ab aliquo Comite Palatino, vel ab alio habente auctoritatem a Sede Apostolica, vel ab Imperatore, adeo ut electio sit valida, existentibus aliis, qui ejusmodi gradum in publica universitate susceperunt, respondit = debere esse promotum in publica universitate lib.*24. *decr. fol.* 18.. Quare in una *Elusina* 21. *Febr.* 1682. nullam censuit electionem in personam Doctoratu insignitam a Duce Sfortia *lib.* 32. *decr. pag.* 142.

Verum cum hæc qualitas Doctoratus mere extrinseca sit, nec certam reddat probitatem, prudentiam, & idoneitatem ad curam animarum gerendam, nihil proinde magis menti Concilii Tridentini adversaretur, quam ut eligeretur Doctor non idoneus vel quoad mores, vel quoad prudentiam, omisso altero, qui licet extrinseca qualitate Doctoratus destitutus, certe tamen præstaret majori prudentia, scientia, & idoneitate. Hinc Sac. Congregatio, constito de incerta non idoneitate Doctoris, & de majori scientia, prudentia, ac probitate non Doctoris, aliquando, licet rarissime, non abhorruit a confirmanda electione non Doctoris, spretis Doctorum querelis. Nam in una *Carinolen. Vicarii Capitularis* 22. *Septembris* 1714., cum electus fuisset Primicerius Sassi non Doctor, & Metropolitanus alterum elegisset, illo excluso ob defectum Doctoratus, quem idem Primicerius post tredecim dies susceperat, proposito I. *An electio Vicarii Capitularis facta a Capitulo in personam Francisci Sassi substineatur, & quatenus Negative II. An deputatio facta a Curia Metropolitana in personam Canonici Marci substineatur*, responsum fuit *Ad* I. *circumscriptis omnibus gestis in Curia Archiepiscopali Affirmative*. *Ad* II. *Negative*.

Et in una *Leopolien. Electionis Vicarii Capitularis* 14. *Januarii* 1736., in qua post conclusam electionem in personam Canonici non doctorati, qui fuerat Vicarius Generalis, & suffraganeus Archiepiscopi defuncti, Capitulum contendebat ad novam electionem devenire, proposito: *An electio Canonici Glovvinski in Vicarium Capitularem Leopoliensem substineatur?* respondit *Affirmative*.

Perpendendum hinc, an ea sit inhabilitas eorum, qui Rectorali qualitate præditi sunt ex gremialibus Capituli Recinetensis, ut jure sperni debuerint, & contra, an tanta in Archipresbytero Politi sit præponderantia scientiæ, prudentiæ, ac probitatis morum, ut licet non Doctor, necessario tamen assumi deberet ad munus Vicarij Capitularis exer-

exercendum. E gremio Capituli tres aderant Doctores, nempe Præpositus Mazzagalli, Archidiaconus Roberti, & Canonicus Leopardi.

Advertendum, quod Sacrum Concilium in casu non electi Doctoris, non quidem præscripsit, ut Doctor existens ipso jure electus censeretur, sed tantum, ut ad Metropolitanum devolvatur jus deputandi Vicarium. Perpendendum hinc, an in hypothesi indebitæ electionis Archipresbyteri nonDoctoris devolutum sit jus deputationis ad Episcopum viciniorem, quin Archidiaconus petere valeat suæ non conclusæ electionis confirmationem.

Sac. Congregatio in una *Aliphana Vicarii Capitularis* 8. *Julii* 1702., qua ex duodecim Capitularibus, quinque pro Canonico Doctore suffragia dederant, reliqui vero septem favore alterius Canonici non Doctoris, censuit neutram electionem confirmandam esse, & consulendum esse SSmo *pro deputatione Vicarii Apostolici*.

In una *Acernen. Vicarii Capitularis* 16. *Decembris* 1708. cum ex duo de viginti Capitularibus decem non doctorem elegissent, & alii 8. doctorem, Sacra Congregatio præcepit, ut exerceretur Vicariatus per Archidiaconum nomine Sacræ Congregationis per modum provisionis, ac inde proposito *An, & quæ electio substineatur in casu*, respondit *die* 27. *Febr.* 1709. *neutram electionem substineri, & satis provisum in personam Archidiaconi*.

Et in una *Nazarena Electionis Vicarii Capitularis* 11. *Septembris* 1717., qua ex 26. capitularibus, quindecim suffragia dederant favore Primicerii, nec Doctoris, nec Licentiati, & alii undecim favore Archidiaconi J.U.D., proposito = *An, & quæ electio substineatur* = responsum fuit = *Neutram substineri, & facultatem eligendi devolutam esse ad viciniorem*.

Dignentur itaque EE.PP. decernere

I. *An substineatur deputatio Archipresbyteri Politi in Vicarium Capitularem, in casu*, & quatenus negative.

II. *An constet de legitima deputatione Archidiaconi Philippi Roberti, in casu &c.*

Die

Die Sabbathi 26. Novembris 1768. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis, de jure resolvenda.

EX folio postremæ Congregationis habitæ die 17. præteriti mensis Septembris, tres decidendæ supersunt Causæ, quæ cum aliis in præsenti adjectis judicio EE. VV. subjiciuntur. Superest igitur, ut priori reassumpto folio, quid juris dijudicandum sit matura, qua solent, deliberatione definiant.

MILETEN. NULLITATIS MATRIMONII.
An constet de nullitate Matrimonii, in casu &c.

Sess 24. cap. 4. de reform. Matrim.

Dilata, & scribatur Episcopo juxta instructionem.

NEAPOLITANA RESTITUTIONIS IN INTEGRUM.
An sit locus restitutioni in integrum in casu &c.

Sess. 25. cap. 15. de Regular., & Monial.

Negativè, & amplius.

RECINETEN. VICARII CAPITULARIS.
I. *An substineatur deputatio Archipresbyteri Politi in Vicarium Capitularem, in casu,* & quatenus affirmative
II. *An constet de legitima deputatione Archidiaconi Philippi Roberti, in casu &c.*

Sess. 24. cap. 16. de Reform.

Negativè ad utrumque.

Sess. 22. de observ., & evitand. in celebr. Miss.

DERTHUSEN. Proposita hæc Causa fuit die 17. Septembris currentis anni; At cum EE. PP. censuissent, deliberandum non esse in re tam gravi, nisi prius omnia perspecta essent, quæ ad plenissimam Causæ cognitionem quovis modo conferre possent, demandarunt, ut scriberetur Episcopo juxta instructionem, ut nimirum referret de numero animarum, quibus constat unaquæque ex Parochiis, quarum Rectores postulant facultatem sacrificii oblationem iterandi; deinde exponeret, quota pars populi ex celebratione unius Missæ divino sacrificio careret, ac tandem significaret, an aliqua subsit spes, fore, ut ratione aliqua huic occurratur necessitati.

His omnibus satisfecit vigilantissimus, ac Sedis Apostolicæ devotissimus Episcopus per hæc verba: *Constare minorem Parochiam ex trecentis, & amplius animabus, alias vero quadringentis, & quingentis; & in aliquibus sacrificii carere assistentia pro medietate Populi, in cæteris autem pro tertia, seu ad minus pro quarta, deficiente omni spe, gravissimam hanc succurrendi necessitatem, nisi concedatur Parochis facultas iterandi sacrificium, inclusis etiam del Perello, & Galera Parochialibus, in quibus superior urgens verificatur necessitas identica* =

Cætera, quæ rem illustrant, habentur in voto jussu EE. PP. exarato, & descripto in folio distributo pro Congregatione diei 20. Augusti hujus anni.

Omnibus itaque maturè perpensis, dignentur EE. PP. respondere dubio, quod iterum proponitur.

An sit consulendum Sanctissimo pro concessione petiti indulti, in casu &c.

Dilata, & ad Eminentissimum Præfectum cum Sanctissimo.

Sess. 25. cap. 13. de Reform.

BRICTINORIEN., SEU NULLIUS S. RUPHILLI JURIUM PAROCHIALIUM. Obitus Puellæ Mariæ Siboniæ Civis Foroliviensis, qui contigit in Monasterio S. Joannis Baptistæ Foripompilii, ubi educationis causa degebat, & in cujus Ecclesia sepeliri velle declaraverat, ejusque Cadaver humatum fuerat, controversiam excitavit inter Vicarium Abbatiæ S. Ruphilli, & Moniales super tumulatione, & exercitio jurium Parochialium. Tota controversia in hæc tria dubia dispertita fuit. *I. An sustineatur electio sepulturæ Educandæ Mariæ Siboniæ in casu &c.*, & quatenus Negativè *II. An sit locus exhumationi, & respectivè restitutioni Cadaveris una cum funeris Emolumentis favore Ecclesiæ S. Ruphilli, in casu &c. III. An Parocho S. Ruphilli competeret jus peragendi functiones Parochiales super cadavere, &* *ti-*

eidem debeatur quarta funeralis, in casu &c. Sac. autem Congregatio die 21. mensis Junii 1766 rescripsit = *Ad I. Affirmativè. Ad II. Negativè. Ad III. Dilata.*

Redit modo postremi hujus dubii disputatio; Et de eo Vicarius Abbatialis inquit, Monasterium S. Joannis Baptistæ situm esse intra fines Parochiæ S. Ruphilli, idque constare non solum ex concessione tum Ecclesiæ, tum contiguæ domus anno 1523. Monialibus facta ab Ascanio Rufino ejusdem Abbatiæ tunc perpetuo Commendatario, sed etiam ex confessione ipsarum Monialium, quæ concessionem acceptando, pertinentiam Domus, & Ecclesiæ ad Abbatiam admiserunt. Idipsum præterea constare ex insigniis Capituli Vaticani, cui Abbatia est subjectivè unita, appositis, & retentis in majori Janua Ecclesiæ, & in parietibus Monasterii, quod validum est subjectionis argumentum *Vvesembec. cons.* 21. *num.*68., *Tenzel. de jure subject. cap.*4. *num.*.11., *Hoeping. de jur. insign. cap.* 13. *num.* 108. Comprobari insuper ex alia earumdem Monialium confessione anno 1554. emissa, & ex pluribus jurisdictionis actibus a Capitulo Vaticano exercitis *Rot. in Juvenacen. Jurisdictionis* 28. *Martii* 1732. *coram Millino, & in Acheruntina, seu Induraten. Jurisdictionis* 7. *Februarii* 1735. §. 11. *coram Peralta*. Haberi rursus ex Testibus, qui,etsi de simplici auditu, attendi merentur, *Barbos. jur. Eccles. lib.* 1. *cap.*20. *num.* 38., *Rot. in Recent. decis.*304. *num.*2. *part.*11.; & demum oculis corporeis subjici ex Carta Topographica a duobus publicis Peritis novissimè exarata *Rot. in Recent. dicta decis.*304. *n.* 11., *coram Coccin. decis.* 665. *num.*2., *& coram Buratt. decis.* 367. *num.* 2.

Ex his infert, Parochiales functiones super Cadavere Mariæ Siboniæ a se fuisse peragendas, quia tanquam Parochus fundatam habet intentionem pro exercitio omnium Parochialium functionum in sua Parochia ad *text. in cap. Dilectus de Capell. Monach.*, *Rot. cor. Merlin. dec.* 257. *num.* 6., *& cor. Herrer. dec.* 2 *num.* 1., sive functiones hujusmodi agantur in Parochiali, sive in alia Ecclesia intra ambitum Parochiæ sita, nisi obstet Apostolicum Privilegium *Pignattel. consult.* 73. *num.*62. *tom.*8., *Lanfredin. respons. Eccles.*17. *num.* 1. *& seq.*: Maximè quia agebatur de Puella forensi, quæ paternum domicilium in Civitate non habebat, & proindè subjecta erat Parochiæ, intra cujus limites situm est Monasterium, ut notat *Benedict. XIV. Instit. Eccles.* 33. *num.* 16., *Alexandr. de confess. Monial. cap.*7. §.9. *quæst.*10.

Huic autem juri Parochiali, subdit, quoad Educandas, nihil obstare assertam Monasterii exemptionem, quatenus revera de illa constaret *Pignattel. tom.* 7. *consult.* 63. *num.* 12., *Alexand. loc. citat.*, *Ferrar. Bibliothec. Canonic. verb. Matrimonium art.* 2. *num.* 116.. Cæterum nec Monasterium prætensa exemptione gaudere, propterea quod Moniales ac-

ceptarunt ab Abbate Commendatario Ecclesiam, & Domum, *sine tamen Abbatialis Parochiæ præjudicio*, qua cautione exemptioni renunciasse censentur, *Rot. in Taurinen. Jurium Parochialium* 26. *Junii* 1748. §. *fin. cor. Caprara*, & in *Valentina Jurisdictionis* 26. *Junii* 1754. §. 12. *cor. Figueroa*. Nec dubium esse, quin Monasterium privilegium exemptionis amittere possit vel ex non usu, vel ex facto eidem exemptioni contrario *Gratian. discept. forens. cap.* 492. *num.* 20., *Rot. coram Lancett. dec.* 1219. *num.* 24., & *coram Kaunitz decis.* 214. *num.* 12.. Ac demum advertit, exemptionis privilegium solum locum habere in Monasteriis, quæ a Religiosis ejusdem Ordinis reguntur, & ipsis Regularibus sunt subjecta, secus ubi, ut in casu, Monasterium regitur a Sacerdotibus Secularibus *Clemens a Janua ad regul. Clariss. cap.* 12. *num.* 15., *Gaudent. a Janua de Visit. tom.* 2. *cap.* 7. *dub.* 21. *sect.* 4. *num.* 35.

Concludit itaque, sibi omninò debitam esse quartam funeralem, semper Parocho debitam, quoties funus in aliena Ecclesia peragitur *Pignatell. consult.* 63. *num.* 8., *Malaguzzi Manual. Paroch. tom.* 2. *par.* 2. *colloq.* 4., *S. hæc Congregatio in Ferentina* 21. *Aprilis*, & 1. *Septembris* 1742. *ad III. dub.*. Nec obstare posse contrariam consuetudinem aliarum Ecclesiarum, cum ea nullimodè probetur; & quatenus probaretur Vicario non obesset, cum ab una ad aliam Ecclesiam trahi non possit, *Moron. respons. Canon.* 52. *num.* 7. & *seq.*, *Cesped. de exempt. Regul. cap.* 24. *dub.* 364. *num.* 16.

Ex opposito autem Moniales S. Joannis Baptistæ sustinent, quod negata Cadaveris exhumatione, & restitutione emolumentorum Parochialium, quæ duo continebantur in secundo dubio jam a Sacra Congregatione resoluto, negari etiam debeat jus Vicarii functiones Parochiales in earum Ecclesia peragendi; Nec dubitari posse, quin funebria officia in Ecclesiis Regularium absolvenda sint ab eorum Ministris, excluso prorsus Parocho *Amostaz. de causis piis lib.* 6. *cap.* 3. *num.* 19., *Barbos. de offic. Paroch. part.* 3. *cap.* 26. *num.* 82., *Lanfredin. respons. jur. can. fol.* 90. *num.* 6.

Quartam vero funeralem nullo modo competere dicunt Vicario Abbatiali, tum ob Regularium, & præsertim Augustinianorum privilegia *cap. unic. de Religios. dom. in* 6., tum etiam quia dictus Vicarius Sacramenta non administrat Puellis in eodem Monasterio degentibus, cujus administrationis ratione *quarta funeralis* unicè competeret, ad *text. in cap.* 1. 2. 4. 8. *de Sepulturis*, tum denique quia jus tumulandi dictas puellas non Parochiali, sed propriæ earumdem Monialium Ecclesiæ convenit *Pelliz. de Monial. cap.* 10. *sect.* 3. *num.* 233., *Sanchez lib.* 3. *de Matrim. disput.* 23. *num.* 9., *Capon. discept.* 130. *num.* 70.. Accedente præsertim peculiari Ecclesiæ Brictinoriensis consuetudine, & solemni lege Synodi Diœcesanæ *Rota in Placentina Juris tumulandi* 1. *Ju-*

Junii 1757. §. 3. *coram Eminentissimo Paracciano*, & *in Urbevetana Jurium Parochialium super quarta funerali* 4. *Maji currentis anni* §. 3. *coram R. P. D. Azpuru*.

Contendunt insuper, Monasterium S. Joannis Baptistæ esse sub jurisdictione S. Petri Foripompilii, quæ loco Cathedralis est, & Episcopo Brictinoriensi subjecta. Id autem constare ex litteris Apostolicis Julii II., & Clementis VII., qui ejusdem Monasterii regulam confirmarunt, ut notat *Ughellius Ital. Sacr. tom.* 2., nec non ex aliis litteris Benedicti XIV. anno 1752. editis, in quibus Ecclesiæ, & loca omnia ad Capitulum Vaticanum pertinentia describuntur, nec tamen adnotatum reperitur Monasterium S. Joannis Baptistæ. Id etiam clarius desumi ex Visitatione anni 1573., in qua sub cura Episcopi Brictinoriensis asseritur, eique reformationis onus committitur. Præterea id ipsum deprehendi ex geminis sententiis annorum 1598., & 1599. super bonis Monasterii ab Episcopo prolatis; ex pluribus jurisdictionis actibus ab eodem Episcopo gestis usque ab anno 1606., qui inter monumenta Causæ latissimè referuntur; ex dispensatione anno 1650. cuidam Moniali concessa a Sac. Pœnitentiaria, & Episcopo Brictinoriensi commissa; ex Testibus quoque, ex Historicis, ex ipsa demum confessione hodierni Vicarii Abbatialis in præterito Summario relata.

Post hæc perperam objici dicunt, Monasterium, & Ecclesiam S. Joannis Baptistæ sitam esse intra materiales limites Parochiæ Abbatialis, cum nihil curandum sit de materiali situatione, sed formali tantummodo insistendum, *Rot. in Brictinorien, seu Nullius Fori Pompilien. Jurisdictionis* 15. *Martii* 1724. *coram Cerro*, & *in Ravennaten.*, *seu Ferrarien. Jurisdictionis super bono jure* 16. *Junii* 1746. §. 5. *coram Canilliac.* Nec attendendam esse Bullam concessionis Soli anno 1523. factam ab Abbate S. Ruphilli, cum hæc sit fidei nimium dubiæ, nec proinde in pretio habenda, nisi exhibeatur authographum *Rot. in Celsonen. Distributionum* 3. *Junii* 1738. §. 4. *coram Millino*.

Spernendum quoque esse argumentum desumptum ex stemmate Capituli Vaticani, cum censeri debeat appositum ad demonstrandum dominium Soli in emphyteusim Monialibus concessi, atque idcircò immeritò trahi ad spiritualem jurisdictionem suadendam, *Rot. in Urbevetana Jurispatronatus* 14. *Januarii* 1756. §. 7. *coram Bussio*, & *in Pampilonen. Jurispatron.*, & *Præeminent.* 11. *Maji* 1759. §. 5. *coram Frangipane*. Maximè quia eadem insignia aliis etiam in locis conspiciuntur, super quibus Episcopo Brictinoriensi jurisdictio non controvertitur.

Denique nonnulla regerunt de actibus jurisdictionalibus a Capitulo exercitis, eosque vel perpaucos esse affirmant, proindeque despiciendos, vel clandestinos, & inscio Episcopo,

vel

vel de ipsius licentia gestos fuisse contendunt.

Humatio Cadaveris, seu sepultura, simul cum oblationibus competit generatim loquendo Parochiali Ecclesiæ, tanquam Matri, quæ defunctum Christo parturiit, & quousque vixit, nutrivit. Hinc justum visum est, ut dum Defuncti Cadaver ad aliam Ecclesiam transferri permittitur, Parochialis, tanquam Mater, non in totum ab oblationibus excludatur; exemplo Matris carnalis, quæ saltem in partem hæreditatis liberorum vocatur, si hæc ad extraneos ex illorum dispositione transire contingat. Comprobatum id est pluribus locis juris Canonici, de quibus *Van Espen Jur. Eccles. univers. part.* 2. *tit. de Sepulturis cap.* 5. *num.* 25., *& seq.*

De quarta funeraria extat decretum Concilii Tridentin. *sess.* 25. *cap.* 13. *de Reform.* in hæc verba = *Decrevit S. Synodus, ut quibuscumque in locis jam ante annos* 40., *quarta, quæ Funeralium dicitur, Cathedrali, aut Parochiali Ecclesiæ solita esset persolvi, ac postea fuerit ex quocumque privilegio aliis Monasteriis, Hospitalibus, aut quibuscumque locis piis concessa, eadem posthac integro jure, & eadem portione, quæ antea solebat, Cathedrali, seu Parochiali Ecclesiæ persolvatur; non obstantibus concessionibus, gratiis, privilegiis, etiam Mari Magno nuncupatis, aut aliis quibuscumque.*

Benedictus XIII. in sua Constitutione *Romanus Pontifex*, quæ est in Appendice ad Concilium Romanum, omnia privilegia exemptiva a solutione Quartæ funeralis, quibusvis Ordinibus, Congregationibus, & Institutis Regularibus ab Apostolica Sede, ut præferebatur, quomodocumque concessa, reformavit, ad viam juris reduxit, & quatenus opus esset revocavit etiam, & abrogavit, neque cuiquam deinceps suffragari posse, vel debere decrevit. Præterea sancivit, ut in Italia, eique adjacentibus Insulis quarta pars Parochis traderetur pro funeribus defunctorum in Ecclesiis Regularium tumulandorum, præservatis quoque aliis quibuscumque juribus eisdem Parochis magis faventibus.

Præterea Benedictus XIV. *Instit.* 33., dum loquitur de Juvenibus, qui in Seminariis, & Collegiis degunt, inhærens Statuto Cleri Romani *cap.* 3. *de jure eligendi Sepulturam, atque funerandi* §. 9. docet, pecuniam pro eorum funere persolvendam esse Parocho domicilii, quatenus domicilium habeant in loco, sin minus Parocho illius Ecclesiæ, in cujus ditione Seminarium, vel Collegium situm reperitur. Monet insuper, eidem statuto nonnulla fuisse superaddita, quæ deinde die 11. Januarii 1702. a particulari Congregatione a Clemente XI. deputata unanimi consensu fuerunt probata, & ipsius Pontificis auctoritate vivæ vocis oraculo confirmata. Inter cætera illud præcipi animadvertit, ut quoad Juvenes in Seminariis degentes, &

quoad Puellas in Monasteriis educationis causa commorantes eadem ratio, ac norma servetur *non solum in Funeralibus*, *sed etiam in contrahendo Matrimonio*.

Inquirendum est itaque, an hæc locum habeant in præsenti casu, vel potius obstet Monasterii subjectio, aut peculiaris aliqua Ecclesiæ Brictinoriensis consuetudo, aut Synodalis Constitutio. In una *Pennen sepulturæ*, in qua Puella educanda sepulturam elegerat in Ecclesia Monasterii, in quo degebat, propositis dubiis *I. An licuerit tumulari Cadaver Mariæ Nolli in Ecclesia Monialium*; & quatenus negativè, *II. Au sit locus exhumationi, & respectivè restitutioni dicti Cadaveris una cum funeris emolumentis favore Ecclesiæ Collegiatæ, & Parochialis S. Joannis Evangelistæ ejusdem Civitatis in casu &c.* Sacra Congregatio die 6. Julii 1737. respondit: *Ad I. Affirmativè. Ad II. Provisum in primo*.

In *Feretrana juris sepeliendi* proposita fuerunt hæc dubia: *I. An Ven. Monasterio Sanctæ Claræ Terræ Maceratæ Feltriæ liceat sepelire in ejus Ecclesia Cadavera Puellarum educationis causa ibidem commorantium, & in eodem Monasterio decedentium*; & quatenus negativè: *II. An sit restituendum Parocho ejusdem Terræ Cadaver Annæ Bartoli educationis causa in dicto Monasterio degentis, ibique defunctæ, & sepultæ in casu &c. III. An eidem Parocho restituenda sint una cum Cæra integra emolumenta funeris ejusdem Annæ in casu &c.* = Die autem 21. Aprilis 1742. rescriptum fuit = *Ad I. Affirmativè constito de electione Sepulturæ. Ad II. Negativè. Ad III. Deberi quartam funeralem tantum.* Novis deinde cumulatis juribus, repropositaque causa die 1. Septembris ejusdem anni, sub dubio = *An, & in quibus sit standum, vel recedendum a decisis, in casu &c.* Responsum prodiit = *Ad I. Prævio recessu a decisis Affirmativè, attentis circumstantiis. Ad II., & III. In decisis in omnibus, & amplius*.

Perpensis itaque circumstantiis præsentis casus, dignabuntur Eminentissimi PP. definire dubium, quod iterum proponitur

An Parocho S. Ruphilli competeret jus peragendi Functiones Parochiales super Cadavere Educandæ Mariæ Siboni, & eidem debeatur Quarta Funeralis, in casu &c.

Non proposita, cum reliquis.

Sess.23.cap. 1. de Reform.

CALAGURITANA APPLICATIONIS MISSÆ PRO POPULO. Cura Animarum Territorii Oconiensis habitu residens penes Episcopum Calaguritanum exercetur in ejusdem territorii oppidis a Clero Oconiensi, qui viginti tribus constat Beneficiatis, quorum quinque in Ecclesia Matrice Oconiensi resident, tres in pago *Correra*, duo in quolibet ex sex pagis *S. Luciæ*, *Gallileæ*, *Redal*, *Pipaona*, *Molini*, *&* *Adealobor*, ac reliqui tres in tribus pagis *Otervolo*, *Ruedas*, *&* *Sancti Juliani*. Massa unica est omnium Beneficiatorum, de qua tamen non æque omnes participant: Nam decem Beneficia sunt *integræ portionis*, quorum reditus est scutorum Roman. 107.: alia octo sunt *dimidiæ portionis* annui reditus scut. Roman. 40.: alia vero quinque *quartæ portionis* vix annui reditus scut. 14., ut ex Episcopi relatione datam habente diei 8.Januarii 1767.

Idem Clerus Oconiensis anno 1711. statuit, *che ne' luoghi, ove sono due gl' inservienti, siano obbligati a dir Messa pro Populo tutti i giorni dell' anno, e nei tre luoghi di Otervolo, Ruedas, e S. Giuliano, ove non vi è più di un' inserviente soltanto, sono obbligati a dir Messa pro Populo tutte le Domeniche, e Feste di precetto, e due giorni la settimana, talchè viene ad essere obbligato ciascuno degli tre inservienti a dir tre Messe pro Populo ogni settimana*. Hanc autem ordinationem, ut nimis gravem ob inopiam redituum, sentientes Beneficiati, supplicarunt pro reductione applicationis ad solos dies Festos, Dominicos ad formam notissimæ Benedictinæ Constitutionis incipien. *Quum semper* 19. *Augusti* 1744.

Propositis Beneficiatorum precibus in Congregatione *diei* 16. *Januarii proximè elapsi*, injunctum est Episcopo, ut distinctè *referret, quæ nam in singulis pagis fiat distributio Presbyterorum, & an pro numero, & necessitate animarum eisdem pagis assignentur. An primæ, secundæ, & tertiæ portionis Presbyterorum assignatio promiscue fiat, an perpetuo pagis remaneant addicti, vel potius per vices invicem succedant. Quique hac super re fuerit antiquus mos, quique in præsens servetur. Præterea an magis e re foret vel pro qualitate pagorum, vel potius ipsos Presbyteros pro modo tamen redituum majori, aut minori onere applicationis Missæ pro Populo prægravare, ita quidem, ut pagis ipsis æque, ac Presbyteris provisum, consultumque remaneat*.

Retulit Episcopus, Territorium Oconiense unum populũ, unamque Parochiam constituere: Beneficiatos omnes unicum pariter corpus, ac Clerum præseferre: de unica massa omnes participes esse: singulis pagis attenta necessitate animarum deputari: non perpetuo uni ex pagis addictos esse, sed invicem optione succedere: hinc censet tum ad formam Benedictinæ Constitutionis, tum Synodalis legis eos tantum teneri ad unicam Missam quotidianam pro Populo, nimisque gravari per quotidianam in singulis pagis,

gis, eo ipso ac omnes conjunctim unum populum, unamque Parochiam tantum constituunt, ut ex ejusdem relatione, quæ inter monumenta Causæ habetur.

Nunc itaque Clerus supplicat, ut onus Missarum pro Populo reducatur ad unam tantum quotidianam, turmatim implendam in tota Parochia undecim pagis composita. Id consonum esse justitiæ, cum una tantum Parochia sit, unusve populus, unde nonnisi ad unicam quotidianam Missam cogi possint: id etiam æquitatem suggerere, ob tam modicos Beneficiatorum fructus, impares ad implendum onus statuto anni 1711. nulliter absque Apostolica confirmatione injunctum. In cæteris demum se refert ad præterita distributa monumenta, quæ latè recensentur *in folio diei* 12. *Decembris* 1767.

De onere applicandi Missam pro Populo, de vi, ac mente Benedictinæ Constitutionis plura habentur *in dicto folio* 12. *Decembris* 1767.: Advertendum tamen nunc, adhuc ignotum esse, an Beneficiati vel pro Oppidis, quibus unus tantum residet, vel pro aliis, quibus duo Curam exercent, designati sint integræ portionis, vel dimidiæ, vel quartæ, ac proinde adhuc incerta est necessitas reducendi, causa inopiæ redituum, onus statuti tam diu servatum, ac acceptatum.

Ponderandum, an diviso animarum exercitio in singulos pagos, Beneficiati in his Curam Animarum exercentes teneantur singuli Missam pro populo applicare, licet omnes pagi simul sumpti unum populum, unamve Parochiam constituant. Singuli enim Beneficiati distinctæ suæ gregis curam habent, onusque Missæ pro populo non solis Parochis, sed *omnibus, quibus animarum cura commissa est* injungitur a Concilio Tridentino *sess.* 23. *cap. primo*. Demum perpendendum, quanti momenti sit hac in re, saltem in linea interpretativa, statutum anni 1711., quo non unica Missa in tota Parochia, sed singulis pagis Missa pro Populo injuncta fuit. Iterum ergo proponitur definiendum.

An, & quomodo sit locus reductioni applicationis Missæ pro Populo, in casu &c.

Sess. 23. cap. 18. de Reform.

TRANEN. TAXÆ SEMINARII. Anxius Archiepiscopus Tranen. de manutentione Seminarii a se erecti, taxam quidem indixit super reditibus Ecclesiasticis ad rationem ducatorum quatuor pro singulis centum, at ab ea exemit suam mensam Archiepiscopalem, nec non Capitulum Cathedralis, & Clerum Civitatis. Ita autem ea ratione se gessit, quia Universitas, seu Commune Civitatis promiserat annua ducata sexcentum contribuere, quæ contributio comprehendens Ecclesiasticos etiam Civitatis, magis illos gravabat, quam quod de jure præstare tenerentur. Verum Clerus Diœcesis, & præcipuè Locorum Baruli, & Corati, conquestus hac de re fuit apud Sacram Congregationem; Quare die 23. Martii 1765. proposito dubio = *An sit locus approbationi taxæ in casu &c.* = rescriptum fuit *Dilata, & scribatur Archiepiscopo juxta instructionem*.

Datæ proindè fuerunt Archiepiscopo litteræ, eumdem monentes, ut ad confectionem taxæ procederet juxta formam traditam a Concilio Tridentino *Sess. 23. cap. 18. de Reform.*, & a S. M. Benedicto XIII. in Constitutione *Creditæ Nobis*; habita ratione tum personarum, a quibus solvenda foret, tum quantitatis redituum Beneficiorum, super quibus imponi debuisset. Sed Archiepiscopus novarum litium timore perterritus, satius duxit expostulare, ut ab hac S. Congregatione declararetur *che la tassa per Barletta, e Corato si riduchi al solo tre per cento, e che alla stessa proporzione debba concorrere anche la mia Mensa Vescovile per li beni, che ha in Trani, e che il pagamento, che si fa dagl'Ecclesiastici di Trani per il loro tangente agl'annui ducati 600., s'intenda farsi in luogo della tassa, e che finalmente acciò non passi in esempio, che siasi deviato dalle regole prescritte nell'istruzzione per la formazione della detta tassa potrebbe prendersi l'oracolo del S. Padre*. Denuò itaque proposito dubio = *An sit locus approbationi taxæ in casu &c.* = EE. PP. die 29. Novembris 1766. responderunt = *Dilata, & dentur dubia super contributione Mensæ, & Cleri Civitatis*. Super his igitur dubiis, quæ in calce transcribuntur, vertitur præsens disputatio.

De primo dubio nihil est ulterius inquirendum, cum Archiepiscopus ultro, libenterque reditus suæ Mensæ taxæ submittat, quamvis illos ab ea immunes tueri posse existimet.

Ad II. quod attinet. Promothor Fiscalis præmittit, Universitatem Civitatis Trani, peculiari collecta, cui Ecclesiastici quoque concurrunt, promisisse annuatim persolvere ducata sexcentum pro manutentione Seminarij: Addit, Clerum Civitatis per hujusmodi collectam abundantius, quam par sit, in eamdem manutentionis causam contribue-

buere : Iniquum proindè esse, d. Clerum novo alterius taxæ onere gravare,

Negat deinde, taxam Beneficiorum inductam fuisse a Concilio Tridentino *pro forma* in levamen Seminarij ; Sed etiamsì talis esset, sustinet nihilominus, suppleri etiam posse per æquipollens, prout in præsenti casu suppletum abundè remanet annua contributione ab Universitate assignata. Extraneum hinc esse, dicit, curiosius investigare, an ducata sexcentum a Laicis solum præstentur, vel etiam ab Ecclesiasticis, & an Laici in eum finem contribuant, ut Ecclesiastici a Conciliari taxa reddantur immunes. Qualiscumque enim sit contributionis causa, ea semper sufficiens reputanda sit ad eximendum Clerum ab ulteriori taxa.

Cæterum nec dubitari posse, ait, de conventione inter Universitatem, & Clerum, ut hic scilicet immunis evaderet a taxa Conciliari per contributionem ducatorum 600. ab illa præstandam, cum conventio satis probetur depositione sex testium, Electorum videlicet, seu Gubernatorum ejusdem Universitatis, neque idcircò obesse, quod ea scriptis tradita non fuerit.

Nonnulla postremò addit, ut ostendat, summam ducatorum 600. non desumi ex onere Catastri, quod commune est tum Civibus Tranensibus, tum Hominibus Baruli, & Corati. Ac demum probare nititur, quod ducto calculo, Clerus Tranensis plus annua contributione rependat, quam de jure persolvere teneretur.

Ad III. animadvertit, taxam ab Archiepiscopo confectam, modoque redactam ad tria pro quolibet centenario conformem esse Constitutioni Benedicti XIII. *Creditæ Nobis*. Servatam item fuisse solemnitatem a Concilio Tridentino præscriptam, cum quatuor interfuerint Deputati, duo nempè de gremio Capituli, aliique duo de gremio Cleri Civitatis. Antiquissimam esse consuetudinem, ut Capitulum Cathedralis universum Clerum reprehesentet, atque hinc necessariò inferri, electum ex Clero a Capitulo, habendum esse, ac si a Clero fuisset electus.

Contra verò Clerus Diœcesis plura congerit, ut demonstret, Mensam Archiepiscopalem subiiciendam esse taxæ pro Seminario, non solum quoad bona in districtu Civitatis existentia, sed etiam quoad reliqua ad ipsam pertinentia, juxta dispositionem Concilii Tridentini *Sess.* 23. *cap.* 18. *de reform.*, & Constitutionis Benedicti XIII. *Creditæ Nobis*.

Negat, contributionem ducatorum 600. subrogari posse taxæ Conciliari, ob diversam utriusque indolem, & qualitatem, cum hæc imponenda sit a potestate Ecclesiastica, & comprehendat omnes Beneficiorum fructus, illa verò onus sit merè Laicale, ac personale. Neglectam addit in conficienda taxa Beneficiorum Diœcesis solemnitatem a Concilio

cilio Tridentino pro forma substantiali præscriptam. Propugnat, summam ducatorum 600. non absolutè, & simpliciter ab Universitate Tranensi pro manutentione Seminarij fuisse assignatam, sed sub certis onerosis conditionibus, quæ in Instrumento conventionis leguntur. Subdit, Ecclesiasticos Civitatis in supradicta annua contributione quid minimum pro Seminario conferre, nempè summam tantum ducatorum undecim, & obulorum duorum. Asserit tandem, vana esse jurgia, & litium pericula, quæ Archiepiscopus obventura pertimescit.

Cætera ex circumferendis Partium scriptis depromi poterunt, in quibus eadem ferè repetuntur, quæ alias in hac causa deducta sunt. Opus itaque erit præcedentia folia resumere, iisque perspectis definire.

I. *An Mensa Archiepiscopalis teneatur ad taxam in casu &c.*

II. *An Capitulum Cathedralis, & Clerus tam Sæcularis, quam Regularis Civitatis Trani teneatur ad taxam, in qua summa, & a quo tempore in casu &c.*

III. *An sit locus approbationi taxæ in casu &c.*

Seß. 24. cap. 3. de Regul.

SANCTI SEVERINI ELEEMOSYNÆ. Publicis confectis tabulis Lucius Puccitelli anno 1666. usumfructum in certis bonis largitus fuit Hyeronimo Manuzzini, post cujus obitum ex iisdem bonis erigi mandavit Capellaniam sub invocatione SS. Severini, & Victorini in Ecclesia Cathedrali S. Severini, injuncto Capellanis illam pro tempore obtenturis onere tum celebrandi unam Missam, tum etiam tradendi singulis hebdomadis eleemosynam juliorum quatuor Conventui PP. Capuccinorum ejusdem Civitatis in perpetuum. Verens autem deinde idem fundator de capacitate Patrum Capuccinorum assequendi dictam eleemosynam anno 1683. per aliud publicum instrumentum, abrogato onere hebdomadalis eleemosynæ, ejus loco substituit onus celebrationis alterius Sacri singulis mensibus.

Gestæ hujus immutationis implorata quidem fuit istius Sac. Congregationis approbatio, sed singulis expensis actis præcedenter factis, die 18. Novembris 1684. proposito dubio. *An revocatio facta a Puccitello substineatur*; responsum fuit = Negativè = ut in folio illius diei, quod inter Causæ monumenta transcribitur; Quare Episcopus, in-

instante Patrono, & Rectore, postea processit ad erectionem Capellaniæ præscripto *onere celebrandi Missam unam qualibet hebdomada, & tradendi, & consignandi eleemosynam juliorum quatuor singula hebdomada RR. PP. Capuccinis pro eorum cibariis in perpetuum*, prout a Capellanis pro tempore usque ad possessionem hodierni Capellani servatum semper fuit.

Collata tamen anno 1760. Capellania *Joseph Lavinj*, is habita notitia secundi Instrumenti anni 1683., institit in Curia Episcopali in judicio petitorio, pro reformatione erectionis Capellaniæ, ac exequutione posterioris dicti Instrumenti, suisque Votis adhæsit Vicarius Generalis edita die 9. Julii 1762. sententia decernente quidquid ipse petierat, unde factum est, ut deinceps intermissa fuerit præstatio ejusdem eleemosynæ. Sententiam hanc modo impugnat Franciscus Porphiri rem agens pro PP. Capuccinis, ac eodem instante quæritur; An rescriptum Sac. Congregationis anni 1684. sit servandum, & an hodiernus Capellanus ad præstationem usque nunc omissæ eleemosynæ teneatur.

Ad I. inquit Franciscus Porphirj, Lucium Fundatorem publico Instrumento anni 1666. Capellaniam erexisse, onusque Rectori pro tempore dedisse, ultra Missam hebdomadalem, præstandi Patribus Capuccinis eleemosynam juliorum quatuor singulis hebdomadis: Non potuisse idcirco posteriori Instrumento anni 1683. a primævo contractu recedere, nec jus Patribus Capuccinis jam plene aquisitum abrogare *Rot. decis.970. num.15. coram Emerix Jun.*, & *decis.899. num.14. coram Molines*. Irritam proinde fuisse posteriorem revocationem, maxime quia facta fuit tempore, quo Lucius jam nonagenarius erat, mentis parum compos, & etiam ex falsa causa incapacitatis Patrum Capuccinorum.

Hoc jam fuisse usque ab anno 1684. a Sac. Congregatione sedula investigatione declaratum: præterea comprobatum formali Capellaniæ erectione facta petentibus Patronis, & Rectore anno 1705.: executum rursus ab omnibus Capellanis pro tempore, etiam coacte in casu omissæ præstationis: Et demum acceptatum ab hodierno Capellano, qui Capellaniam obtinuit cum expresso onere præstandi dictam eleemosynam: Absonum hinc esse, onus in erectione adjectum, a Sacra Congregatione approbatum, & fere per sæculum exequutum modo ab hodierno Capellano impugnari, qui Capellaniam sub eo expresso onere accepit, ac possidet *Lotter. de re benef. lib.1. quæst.34. num.17.*

Manifesto autem nullitatis vitio infectam esse sententiam editam anno 1762. a Curia Episcopali, cujus nulla erat jurisdictio infringendi rescriptum Sacræ Congregationis anni 1684.: Aperta item injustitia laborare, tum quia non li-

licuit Fundatori ex post id derogare, quod semel per contractum inter vivos contulerat in causam piam, tum quia revocatio fuit facta ab homine nonagenario suæ mentis impote, tum demum quia extorta sub falso prætextu incapacitatis Patrum Capuccinorum assequendi eleemosynam elargitam.

Hinc ad II. concludit, teneri hodiernum Capellanum ad præstationem eleemosynæ a die captæ possessionis Capellaniæ: Nec se tueri posse prætextu bonæ fidei ob sententiam Curiæ Episcopalis anni 1762., cum nulla bona fides haberi possit ex sententia notorie nulla, & injusta lata a judice inferiori contra rescripta hujus Sacræ Congregationis: Maxime quia cum modo de dictæ sententiæ validitate, ac justitia quæratur, a jure alienum est, ut ejus prætextu possit possessor a restitutione perceptorum fructuum se excusare, ac de bona fide excipere *Rot. decis. 552. num. 5. part. 5. rec., & in Senogallien. bonorum 17. Junii 1735. §. fin. coram Peralta*.

Canonicus Lavini hodiernus Capellanus in suis precibus declarat, se ob dilectionem erga PP. Capuccinos nolle impugnare eorum capacitatem assequendi dictam eleemosynam, libenter se submittens qualicumque judicio EE. VV.; excusationem tamen postulat ad II. a præstatione eleemosynæ non traditæ prò toto eo tempore, quo in vim sententiæ Curiæ Episcopalis onus Missæ mensualis loco dictæ eleemosynæ bona fide implevit, ne injuste ad duplex onus absque ulla propria culpa adstringatur. Demum advertit, omissas eleemosinas reduci ad creditum mere pecuniarium, quod instituto Patrum Capuccinorum adversari videtur.

Episcopus inscius Rescripti hujus Sac. Congregationis anni 1684., ut conjicitur ex ejus relatione, tueri conatur validitatem, ac justitiam sententiæ anni 1762. latæ a suo Vicario Generali.

Patres Capuccini, qui patrimonio Altissimæ Evangelicæ paupertatis a D. Francisco sibi relicto gloriantur, licet incapaces sint annua possidendi legata per modum assignationis, & tamquam debita ex civili actione, incapaces tamen non sunt ea recipiendi per modum puræ, & simplicis eleemosynæ qualibet seclusa obligatione, & actione, ac facta prius protestatione tradita per *D. Bonaventuram in Apolog. paupert. num. 125., & 128.*, quod *non intendunt consequi aliquod jus vigore legati, sed illi renunciant, & totum recipiunt per modum eleemosynæ manualis*.

In id consonat decretum Sacræ Congregationis Fabricæ die 14. *Februarij* 1633. ab Urbano VIII. approbatum, quod legata Patribus facta *non extinguantur, vel reducantur per compositionem, sed illorum capitales, sive sors principalis, vel proprietas absque alia diminutione conservetur sem-*

ſemper, & perpetuo ad effectum, ut in uſus Romano Pontifici pro tempore exiſtenti benevisos poſſint applicari. Ita tamen, ut quamdiu applicationem ſpecialem auctoritate Apoſtolica fieri non contigerit, hæredes vel debitores poſſint libere, ſi velint, dictis fratribus dare dicta annua legata per eosdem fratres recipienda in eleemoſynam, non autem per eos exigenda. Prohibuit tamen eadem Sacra Congregatio fratribus ſupradictis ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ, ne audeant, ſeu præſumant, nec quilibet eorum audeat, ſeu præſumat per ſe, nec per alios Syndacos, Miniſtros, ſeu Procuratores tam Sæculares, quam Regulares dictas annuas præſtationes, ſeu legata, nec judicialiter tam coram quocumque judice Eccleſiaſtico, quam ſæculari ordinario, vel delegato, nec alias ab hæredibus, ſeu quibuſvis aliis eorum debitoribus petere.

Ac poſtmodum idem Urbanus VIII. *anno* 1637. *die* 27. *Julii* de legatis, de quibus *per Romanum Pontificem aliter non eſſet diſpoſitum, nec ejus auctoritate in alios uſus jam applicatis*, & in poſterum faciendis, ad ſedandas animorum perturbationes, quæſtioneſque dirimendas edixit, *tenere poſſe annua, & perpetua legata, vel certos aliquos reditus, aut proventus annuos, & perpetuos præfatæ puritati Regulæ conſentaneos per modum eleemoſynæ, aut prætii, ſeu mercedis vice pro ſpirituali dictorum fratrum labore recipiendos, nempe pro Miſſarum ſolemnium, privatarumque ſacrificiis, aliiſque divinorum Officiorum oneribus ſecundum pias benefactorum, ſeu vivorum, aut defunctorum intentiones inſtitutis, ſive pro fabricis, & reparationibus Eccleſiarum, ſive pro ſtudiis Sacræ Theologiæ, & bonarum diſciplinarum, nec non aliis Conventuum utilitatibus, ſive pro prædictis omnibus cauſis, aut aliqua illorum diviſim, vel conjunctim jam diu prædictos reditus, aut proventus fundatos, & conſtitutos, vel fundandos, & conſtituendos ſuper hujuſmodi bonis cujuſque naturæ ſint.*

Hinc factum, ut judicis officio nunc hæredes, qui onus legatorum habent, ea per modum eleemoſynæ a fratribus accipienda præſtare cogendi ſint. Ita S. Congregatio B. Regiminis de legato pro victu, & veſtitu reſcripſit *die* 12. *Auguſt.* 1651., *die* 12. *Novembris* 1651., *die* 26. *April.* 1678., & *die* 10. *Maii* 1692.. Et Sac. Congregatio Fabricæ *die* 28. *Maii* 1639., *die* 17. *Martii* 1640., *die* 11. *Decembris* 1641. Et Sac. hæc Congregatio de ſimili legato ferculi edixit in *Æſina Legati* 4. *Maii* 1697., & in *Salernitana legati* 12. *Junii* 1704.; Et generaliter declaravit quoque Sacra Congregatio Epiſc., & Reg. ſub die 21. Martii 1677. in Lucen. = *Sac. Congregatio ſæpius declaravit, Fratres Minores de obſervantia S. Franciſci, quamvis attenta diſpoſitione* Exivi de Paradiſo, & *Conſtitutionibus Nicolai III.*, & *Clem. V. ſint incapaces obtinendi cenſus perpetuos, & bona ſtabilia, poſſe tamen per viam puræ, & ſimplicis eleemoſynæ recipere quidquid ab executoribus ultimarum voluntatum eis traditur pro celebratione*

ne Missarum, pro ornamento Ecclesiæ, aliisque necessariis procurandis.

Quare licet Fratres Capuccini capacitate careant petendi legata perpetua per modum actionis judicialiter, sunt tamen capaces illa recipiendi per modum eleemosynæ ab hærede defuncti, & idem hæres cogi potest per judicem ex officio, vel ad instantiam alicujus de populo, etiamsi is sit Syndacus Apostolicus, dummodo ipse compareat, tamquam unus de populo, & imploret officium Judicis, ut demandet executionem testamenti, & voluntatis Testatoris, quemadmodum articulo formiter discusso respondit *Rot. in Turritana eleemosynarum, seu Legatorum* 10. *Januar.* 1695., *& 6. April.* 1696. *coram Emerix*: imo cum juxta communem Doctorum sententiam hæres teneatur in conscientia adimplere onera, & pias dispositiones Testatoris, potest etiam ad implementum cogi instante Syndaco Apostolico, non tamquam altero de populo, sed nomine Ecclesiæ Romanæ vigore Constit. Gregorii XIII. Martini IV., & Pauli IV. *Rodriguez. quæst.* 127. *art.* 4. *§. ad primum*, *Amostaz de caus. piis lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 78., *& Piton. discept. Eccles.* 2. *num.* 23.

Ad II. Advertendum in facto est, quod lata a Vicario Generali sententia favore Capellani *sub die* 9. *Julii* 1762., statim Franciscus Porphiri recursum habuit ad hanc Sac. Congregationem, quæ sub *die* 21. *sequentis mensis Augusti* rescripsit *Episcopo pro informatione, & voto auditis interesse habentibus*, pro ut revera Episcopus post auditos interesse habentes relationem suam explevit sub *die* 20. *sequentis mensis Septembris*, ac *die* 20. *Novembris* 1762. prodiit rescriptum = *Ponatur in folio citatis omnibus interesse habentibus*. Perpendendum hinc, an ulla bona fides in vim dictæ sententiæ Vicarii Generalis concipi possit in Capellano, quoties illico Franciscus ab ea ad hanc Sac. Congregationem recursum habuit: item, an pendente eodem recursu licitum fuerit Capellano sententiam Vicarii Generalis exequi, subrogando Missam mensualem loco hebdomadalis eleemosynæ Patribus Capuccinis tradendæ.

Rebus itaque sic stantibus dignentur EE. PP. decernere.

I. *An sit standum, vel recedendum a decisis sub die* 18. *Novembris* 1684. *in casu &c.*

II. *An & a quo tempore debeatur legatum de quo agitur in casu &c.*

COLONIEN. Capitulum Ecclesiæ Archidiaconalis Xantensis, quæ in finibus jacet Archidiœcesis Colonien. de Dominio Regis Borussiæ, ut a gravi, quo premitur, ære alieno causa bellorum, inundationis aquarum, luisque armentorum contracto se liberaret, supplicavit pro indulto imponendi Præbendis in posterum vacaturis taxam pecuniariam mille tallerorum imperialium, seu scut. 600. monetæ Romanæ. *Sess.24. de Refor.cap.15.*

Miserrimum Capituli statum deploravit Officialis Colonien., subdiditque *nisi ruenti huic Ecclesiæ opportuno subsidio de benignitate Apostolica succurratur, magnopere timendum est, ne insigne hoc religionis avitæ promontorium debitis, aliisque calamitatibus exhaustum, ministris ejus ad mendicitatem redactis, paulatim ludibrio Hæreticorum & direptioni exponatur, ac demum intermisso Divino Officio ruinæ infallibiliter involvatur.*

Novisque inde datis literis Nuntio Apostolico, is retulit, æs alienum ascendere ad scut. Rom. 43545.: Reditus mensæ Capitularis modo majores, modo minores fuisse: majorem eorumdem quantitatem non excessisse, deductis oneribus, scuta 3046., minorem vero fuisse in sc. 1198. Præbendas 46. esse erectas, harumque fructus quoque varios esse juxta temporum varietatem, id tamen certum esse, eas nequaquam excedere congruam possessoris sustentationem: concluditque: *Pro hujusmodi debitorum extinctione duo fuerunt olim excogitata media, alterum nempe supprimendi ad certum tempus nonnullas præbendas in posterum vacaturas, & alterum imponendi onus futuris Canonicis solvendi pro una vice tantum vel ante, vel post possessionem scuta 600.: primum ex propositis mediis nullo pacto arridet Capitulo, licet tamen satis aptum, & non difficilis executionis videatur, attento potissimum, quod Præbendæ sunt in notabili numero 46., mihique vero utrumque placet, neque alia in statu sum individuandi remedia ad consulendum miserrimo Capituli statui, cujus proinde precibus, uno, vel alio modo annui posse dubio procul censerem.*

Modo tamen neutrum ex his mediis arridet Capitulo, quod altero excogitato, & quidem aptiori, ac faciliori, nunc supplicat, *ut saltem quatuor, vel trium annorum fructus Præbendarum integri ad modum, quo eorumdem possessores actu residentes, & frequentantes Ecclesiam participant, plene Capitulo cedant una cum omnibus emolumentis etiam incertis, ad effectum erogandi in æris alieni extinctionem post jam decursos quatuor illos annos, quos vocant carentiæ, quorum duo primi vigore statutorum Capituli dantur pro hæreditate defuncti, & alii duo pro mensa ejusdem Capituli.*

Ambigi non posse, inquit, de immenso ære alieno ob alluviones, & bella contracto, & ob alia gravissima infortunia: opus ideo esse, ut opportuno, ac extraordinario aliquo auxilio occurratur, cum reditus Ecclesiæ, & Præbendarum vix satis sint congruæ Capitularium sustentationi, ne alias

tam insigne religionis monumentum ludibrio hæreticorum, & direptioni exponatur.

Nec expedire, ut aliquæ Præbendæ supprimantur, quia iis semel suppressis, haud permitteretur a Principe Acatholico earum restitutio in pristinum Statum: Neque etiam præstare, ut imponatur taxa scut. 600. præbendis vacaturis, quia hoc gravissimum foret novis Canonicis, & contributio longe impar esset Præbendarum fructibus adeo exiguis, ut vix post quindennium assequi possent pecuniæ impensæ reintegrationem.

Satius idcirco esse remedium alterum, ut quatuor Carentiæ annis in Ecclesa Xanten. jam statutis, alii quatuor, vel saltem tres adjiciantur ad dictum æs alienum dissolvendum. Id insolitum non esse in Germania, ubi passim dantur plures carentiæ anni, & signanter Augustæ in Cathedrali, & Collegiatis Ecclesiis dantur anni sex, Frisingæ, & Ratisbonæ anni 12., aliisque pluribus Ecclesiis consimiles carentiæ anni statuti sunt. Nec id etiam exorbitans esse, quia applicatio hæc in Ecclesiæ utilitatem redundans non improbanda, sed imo laudanda est *Garz. de benef. part.* 11. *cap.* 5. *n.* 138.

De necessitate occurrendi aliquo extraordinario, & opportuno remedio non ambigitur. Tria sub oculis habentur media, nempe vel suppressionis aliquarum præbendarum, vel impositionis sc. 600. novis Præbendatis, vel additamenti aliorum quatuor, aut trium annorum carentiæ. Quod nam vero aptius, ac apportunius sit, vel an aliud magis commodum sit præscribendum, declarent Emi Patres, quibus definiendum proponitur.

An sit consulendum Sanctissimo pro concessione indulti applicandi fructus quatuor, vel trium saltem annorum Præbendarum vacaturarum pro extinguendo ære alieno Capituli, seu potius an, & quomodo sit providendum in casu &c.

Die

Die Sabbathi 17. Decembris 1768. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

NOn dedignentur EE. PP. folium reſumere præcedentis Congregationis, Cauſaſque ibidem deſcriptas, cum aliis in præſenti adjectis, maturo, ac prudenti judicio definire.

BRICTINORIEN., SEU NULLIUS S. RUPHILLI JURIUM PAROCHIALIUM. *Seſs.25.cap.13. de Reform.*

An Parocho S. Ruphilli competeret jus peragendi Functiones Parochiales ſuper Cadavere Educandæ Mariæ Siboni, & eidem debeatur Quarta Funeralis, in caſu &c.

Dilata, & dentur dubia, citatis intereſſe habentibus.

CALAGURITANA APPLICATIONIS MISSÆ PRO POPULO. *Seſs.23. cap.1. de Reform.*

An, & quomodo ſit locus reductioni applicationis Miſſæ pro Populo, in caſu &c.

Dilata, & proponatur in prima.

TRANEN. TAXÆ SEMINARII. *Seſs.23.cap.18. de Reform.*

I. *An Menſa Archiepiſcopalis teneatur ad taxam, in caſu &c.*
II. *An Capitulum Cathedralis, & Clerus tam Sæcularis, quam Regularis Civitatis Trani teneatur ad taxam, in qua ſumma, & a quo tempore, in caſu &c.*
III. *An ſit locus approbationi taxæ, in caſu &c.*

Non propoſita, cum ſequentibus.

Sess. 24. cap. 3. de Regul.

SANCTI SEVERINI ELEEMOSYNÆ.

I. *An sit standum, vel recedendum a decisis sub die* 18. *Novembris* 1684. *, in casu &c.*

II. *An, & a quo tempore debeatur legatum, de quo agitur, in casu &c.*

Sess. 24. cap. 15. de Reform.

COLONIEN.

An sit consulendum Sanctissimo pro concessione indulti applicandi fructus quatuor, vel trium saltem annorum Præbendarum vacaturarum pro extinguendo ære alieno Capituli, seu potius an, & quomodo sit providendum, , in casu &c.

Sess. 22. cap. 6. de Reform. Matrim.

COMEN. MATRIMONII. Francisca Franzoni annum agens decimum tertium, menses sex, & dies sexdecim matrimonium anno 1763. in faciem Ecclesiæ contraxit cum Joanne Baptista Orelli, qui in domum Sponsæ, annuente hujus Matre, se recepit, ibique cum Conjuge quatuor menses habitavit. Postea verò dicta Francisca, vel melioris educationis gratia, vel ob exorta inter illius Fratrem, & Virum propter dotem dissidia de ipsius Viri consensu ingressa fuit in Monasterium S. Justinæ de Canobio, ubi ex ignorantia contracti matrimonii recepta fuit.

Dum ibi Francisca moraretur, propositum iniit monasticam vitam profitendi; at resistente Viro, ipsaque in proposito manente, cum Capitaneus Eugenius Franzoni ejus Frater eam è Monasterio eductam ad ignotum locum traduxisset, Episcopus Comen. ipsam ad se evocari jussit; & anno 1766. Comum traducta, ex decreto Episcopi in Monasterium Ursolinarum collocata fuit, factoque voluntatis experimento ad purgandam suspicionem subornationis a Viro oppositam, constans in proposito comperta est, proindeque unicè disquirendum supererat, an Conjugi liceret post lapsum bimestre, Viro invito, a matrimonio resilire, & Religiosam vitam profiteri.

Interim verò Joannes Baptista Vir, medio juramento, solemni protestatione testatus est, matrimonium non solum fuisse ratum, sed etiam consummatum; & facti testem vocavit Mariam Magdalenam Franzoni Sponsæ Matrem, quam interrogandam institit super articulis a se exhibitis; Verùm omisso examine, delatum primò fuit juramentum Franciscæ super asserta a Viro matrimonii consummatione, quam illa constanter negavit; mox inspecto ejus corpore a tribus Obstetricibus, istæ de integritate virginali deposuerunt.

Post

Post hæc Joannes Baptista Vir alia edita jurata declaratione inquit, matrimonium fuisse ex parte sua consummatum, non tamen ex parte Uxoris, ab actu semper reluctantis. Rebus proinde sic stantibus, Episcopus Comen., ut securius procederet, judicium exquisivit Sacræ Congregationis, a qua demandatum eidem fuit, ut Processum conficeret, servata forma Constitutionis Benedictinæ *Dei miseratione*, & signanter super non sequuta matrimonii consummatione. Hoc igitur absoluto, inspectoque iterum Franciscæ corpore ab aliis tribus Obstetricibus, quas duo primarii Medici, totidemque illius Civitatis Chirurgi præcedenter instruxerant, cum de illius illæsa virginitate testimonium pehibuerint, disputandum modò proponitur dubium inferius exhibendum.

Ex parte Franciscæ Uxoris afferunt illius Defensores, terminum duorum mensium a Jure Canonico Sponsis assignatum ad Religiosam vitam amplectendam, non esse computandum a die contracti matrimonii, sed ab eo dumtaxat tempore, quo judicialis intercessit termini præfixio *gloss. in cap. Ex publico 7. de convers. Conjug. verb. infra duorum*, *Hostien. ibid.*, *Fagnan. ibid. num. 26.*, *Sanchez de Matrimon. disp. 24. lib. 2. num. 3.* Totum proinde Causæ momentum pendere ab examine super matrimonii consummatione.

Super hoc igitur animadvertunt, leviores requiri probationes, ubi agitur de dissolutione matrimonii ad effectum ingrediendi Religionem, & in isto casu extrajudiciales etiam admitti, quum ingressus in Religionem dicatur *remedium ordinarium* a jure concessum, nec dubitari possit de fraude, aut collusione illius, qui statum Religiosum cupit assumere.

In præsenti verò casu satis constare ex repetito Mulieris juramento, & ex posteriore Viri declaratione, quod matrimonium non fuerit consummatum. Utriusque autem Conjugis assertionem tanti ponderis esse, ut per se sufficiat ad consummationem matrimonii excludendam *Can. Extraordinaria caus. 35. quæst. 3. cap. 11.*, *& cap. Laudabilem de frigid.*, *& malefic.*. Maximè quia accedit testimonium trium Obstetricum, quæ Mulieris corpus recognoverunt.

Nihil obesse, quod Joannes Baptista Vir, antequam secundam declarationem emitteret matrimonii consumationem affirmaverit. Hanc enim confessionem despiciendam esse contendunt, veluti minus probabilem ex circumstantiis prodeuntibus tum ex parte Viri, tum ex parte Mulieris *Cap. Proposuisti de probat.*, *Turrecremata in cap. Si quis acceperit num. unic. quæst. 1.*, *Barbos. in cap. Continebatur num. 2. in fin. de desponsat. impuber.*. Improbabilitatem ex parte Mulieris desumunt ab ejus ætate annorum tresdecim, a corporis habitudine, ab honestate ejus indolis, ab optima educatione, & a nunquam habito concubitu cum Viro. Ex parte au-

autem Viri ex eo deprehendi sustinent, quod impedimentum consummationi resistens opposuerit post confirmatam a Francisca ejus voluntatem ingrediendi Religionem, non verò ab initio, prout certè opposuisset, si vera illa fuisset, *Leg. Si qui fortè §. 1. ff. de pœnis*, *Mascard. de probat. conclus.* 740. *num.* 17., *Ansald. in addit. ad decis.* 147. *num.* 29. Nec non etiam, quia in asserenda matrimonii consummatione iis verbis, ac rationibus usus est, quæ illam magis magisque inverosimilem efficiunt, immò etiam excludunt.

Denique despiciendam dicunt Viri assertionem super matrimonii consummatione, quum Uxor illam juramento negaverit, & Obstetrices de ipsius integritate testimonium perhibuerint, *Cap. Proposuisti* 4. *de probat.*, *gloss. ibid.*, *Sanchez de Matrimon. lib.* 7. *disput.* 109. *num.* 6.. Immeritò autem corporis inspectionem, tanquam incertam, & ambiguam virginitatis probationem a nonnullis rejici, cum hujusmodi probatio a recentioribus Anatomicis admittatur, *Morgan. advers. anatom.* 1. §. 29., & *advers.* 4. *animadv.* 23. *num.* 47.: immò a Sacris Canonibus præcipiatur *cap. Causam Matrim.* 14. *de probat.*. In præsenti verò casu illud etiam accedere, quod duo ex primariis Medicis, totidemque ex Chirurgis Civitatis Comi Obstetrices instruxerunt, prius quam ad recognitionem devenirent.

Defensor verò Matrimonii contra animadvertit, Joannem Baptistam Virum per quatuor menses eadem in domo cum Uxore cohabitasse, eodemque in lecto cum ipsa cubasse; cumque uterque idoneus fuerit ad consummandum matrimonium, validam idcirco oriri juris, & de jure præsumptionem de sequuta matrimonii consummatione, *ad Text. in cap. Literis* 22. *vers. Consultationi tuæ*, & *cap. Tertio loco de præsumpt.*, *gloss. in Can. Si quis acceperit verb. tempore* 33. *quæst.* 1.. Immò non præsumptionem tantum, sed plenam probationem *Sperell. decis.* 136. *num.* 25. *tom.* 2., *Panimoll. decis.* 53. *adnotat.* 1. *num.* 31., adversus quam non aliæ admitti debeant probationes, nisi quæ fuerint plenissimæ, & concludentes *Pacian. de probat. lib.* 1. *cap.* 51. *n.* 16., *Pignattel. consult. canon.* 148. *num.* 15. & 22.

Observat præterea, tunc solum aliquid remitti posse de probationum rigore, quando agitur de matrimonio rato, & non consumato ex probabili impotentia alterius ex Conjugibus, vel quando subsequuta non est cohabitatio, vel quando urgentes concurrunt circumstantiæ consummationem excludentes, secus verò, quando, prout in casu, præsumptio juris, & de jure matrimonii consummationem suadet, non elidibilem, nisi per contrarias concludentissimas probationes.

Addit, nequaquam attendi negativam Mulieris assertionem, quoties Vir medio juramento oppositum affirmet, tum quia po-

potius Viro affirmanti, quam Uxori neganti fides est adhibenda *Can. Si quis acceperit* 33. *quæst.* 1., *cap. Continebatur de desponsat. impuber.*, tum etiam quia in decursu quatuor mensium tacuit, nec nisi post biennium, & postquam ad Monasterium traducta fuerat, suam virginitatem allegavit, *cap.* 1. *de frigid.*, *Pacian. de probat. lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 26. *vers. Tertius casus*, tum denique quia Viro favet præsumptio juris, & de jure.

Nec quidquam detrahere dicit priori depositioni a Viro exaratæ, posteriorem declarationem ab eo emissam, cum hæc vi, metuque, ac minis extorta fuerit, & verbis maximè ambiguis expressa. Judicium denique Obstetricum, asserit, nullius esse relevantiæ non solum ex generalibus exceptionibus, sed etiam ex peculiaribus facti circumstantiis; nec admodum fidendum ipsorum relationibus, quæ fallaces plerumque comperiuntur.

Quæstionis, quæ modo proponitur, indago tota consistit in dignoscendo sequuta, nec ne fuerit matrimonii consummatio. Plura hac super re jus Canonicum disponit: Ac primò quidem *in cap. Laudabilem de frigid.*, & *malefic.*, ubi agebatur de dissolutione Matrimonii ex impotentia coeundi præscribitur, deferendum esse utriusque Conjugis juramento, ibi = *Si autem, quod nunquam se invicem cognoverint ambo fatentur, cum septima manu Propinquorum, vel vicinorum bonæ famæ [si Propinqui defuerint] tactis Sacrosanctis Evangeliis, uterque jurejurando dicat, quod numquam per carnis copulam una caro effecti fuissent, & tunc videtur, quod Mulier valeat ad secundas nuptias convolare*.

Si autem Vir affirmaverit, matrimonium fuisse consummatum Uxor verò negaverit, Viro adhibendam esse fidem statuitur in *cap. Continebatur de desponsat. impuber.* his verbis = *Respondemus, quod cum in decretis habeatur expressum, quod si Vir dixerit, quod Uxorem suam cognoverit, & Mulier negaverit, Viri standum est veritati, præfato Viro, qui dicit se Mulierem ipsam cognovisse, fides est adhibenda, si id firmaverit juramento* = Idque ipsum habetur apud *Gratian. can. Si quis* 33. *quæst.* 1., ea addita ratione, *quia Vir caput est Mulieris*.

Quod si Uxori neganti matrimonii consummationem, accedat testimonium Obstetricum de ejus corporis integritate deponentium, standum est juratæ ejusdem assertioni, etiamsi Vir contrarium juramento affirmaverit, *Cap. Proposuisti de probat.* ibi = *Mulier proposuit, se nec a Viro cognitam, nec potuisse cognosci, quod tam juramento, quam testimonio septem Mulierum probavit, quæ per aspectum corporis eam esse virginem asseverant, Viro per juramentum suum contrarium asserente. Videtur igitur nobis, quod juramento puellæ, & testimonio illarum septem Mulierum fides est adhibenda* = Quo in loco advertit *Gonzalez*, mentionem fieri de

de septem Mulieribus, non ad necessitatem probationis, cum illarum testimonium non requiratur, ubi præter juramentum Mulieris, Obstetrices ad inspectionem corporis fuerint adhibitæ, & consonat *Barbos. ibidem*, *Sanchez de Matrimon. lib. 7. disput. 109.*

Verum tamen est, inspectionem ab Obstetricibus factam, fallacem quandoque fuisse deprehensam *Can. Nec aliqua caus. 27. quæst. prima*, *cap. Causam matrimonii 14. de probat.*, Atque idcircò in *cap. Literæ de frigid.*, *& malefic.* Judicibus præcipitur, ut licèt præcesserit inspectio Puellæ, septima Propinquorum manus etiam accedat. Et in *citat. cap. Causam matrimonii* nova Mulieris inspectio ab honestis Matronis fieri decernitur, in hæc verba = *Et quia, ut dicit Canon, sæpe manus fallitur, & oculus Obstetricum, volumus, & mandamus, ut adhuc honestas matronas providas, & prudentes deputare curetis, ad inquirendum, utrum dicta Puella virginitatis privilegio sit munita.*

Hisce igitur prænotatis juris principiis, inquirendum erit an omitti potuerit examen Mariæ Franzoni Franciscæ Matris, quam Joannes Baptista Vir examinari institit super articulis ab eo propositis. Inquirendum præterea, quanti facienda sit posterior ejusdem Joannis Baptistæ declaratio, quæ videri potest emissa, ut propriæ personæ, propriæque substantiæ consuleret, & ad evadendas minas eidem illatas, ob panditam matrimonii consummationem. Perpendenda præcipuè sunt verba, quibus posterior illius declaratio concepta noscitur. Postquam enim fassus fuerat = *Sono seguiti atti di suo genere ordinati alla consumazione del matrimonio* = statim addidit = *E per tali atti però, sebbene abbia forse potuto dire il matrimonio in qualche maniera impropria, ed imperfetta per rispetto a me consumato, tale consumazione realmente, ed in verità non è seguita rispetto alla detta Signora Maria Francesca mia Moglie, essendo rispetto a lei sempre dissenziente dall'atto consumativo, mancate tutte le condizioni necessarie.*

Omnibus proindè maturè perpensis, Eminentissimi Patres ea, qua solent doctrina, & prudentia judicabunt.

An liceat Franciscæ Professionem emittere; in casu &c.

Sess. 24. cap. 2. de Reform.

VITERBIEN. EXPENSARUM LITIS. Habita *mense Septembris* 1762. ab Eminentissimo Episcopo Viterbien., & Tuscanen. Diœcesana Synodo, paucosque post dies interposita nomine Cleri Sæcularis, & Regularis appellatione ab eadem Synodo, & sanctionibus in ea præscriptis, delatus fuit recursus ad Sanctissimum Dominum Nostrum, qui rem

rem judicio Sacræ Congregationis remisit. Nullitatis accusabat Clerus tum ipsam Synodum, tum leges in illa indictas, nemine prius audito, simulque petebat, has sibi communicari, redigique ad æquitatem: Sacra autem Congregatio *die* 26. *Februarii* 1763. rescripsit: *non esse locum communicationi*, *& ad Eminentissimum Præfectum ad mentem*, *& amplius*.

Novem interim Diœcesis loca, nec non Capitulum Cathedralis Tuscanen., ac plures Ecclesiastici Viterbienses improbarunt, rejeceruntque interpositam ab aliis appellationem; Iterum itaque de eadem re actum fuit *die* 26. *Martii ejusdem anni*, & Sacra Congregatio respondit: *Delendas esse appellationem*, *& protestationem*, *& ad Eminentissimum Præfectum ad mentem*; censuit enim, Eminentissimum Episcopum ab administratione suæ Ecclesiæ prohibendum interim non esse, & appellantibus legitimam patere viam, qua possent jura sua experiri.

Hinc *mense Julio* facta est Synodus publici Juris, vulgatumque ædictum, ut elapso mense ab ejus publicatione *omnia*, *& singula acta*, *& decreta omnes obligent*, *atque afficiant perinde*, *ac si unicuique personaliter intimata fuissent*; simulque imperatum est, ut intra eumdem mensem Ecclesiastici omnes impressam Synodum statuto pretio obul. 90. compararent; Verùm succrescentibus clamoribus, ac postulata decretorum omnium retardatione, Sacra Congregatio, antequam præfixus terminus mensis elaberetur, *die* 30. *Julii* suo decreto edixit, *quoad decretum emptionis Synodi dilata*, *in reliquis lectum*, *& partes utantur jure suo*, *non retardata interim executione decretorum Synodalium*, *& deleatur ex actis Sacræ Congregationis protestatio sub die* 26. *Julii currentis anni*.

Interim hinc illinc oppugnatis, ac defensis Synodalibus constitutionibus, *mense Majo* 1764. deputata fuit a Sanctissimo Congregatio particularis, quæ singulis quæstionum capitibus maturè perpensis, *die* 24. *Augusti* 1764. respondit = *Dilata*, *& ad mentem*: mens autem fuit, *quod instantibus interesse habentibus coram R.P.D. Secretario videatur particulariter in eadem Sacra Congregatione particulari*, *servatis servandis super jure sepulturæ exterorum morientium in Cænobiis Regularium*, *de qua in Synodo tit.*3. *cap.*6. *num.*11., *super jure funerum*, *exequiarum pro Canonicis*, *& Beneficiatis de residentia*, *ac Parochis*, *& funeris obventionibus eodem tit.cap.*6. *num.*12., *super jure Beneficiatorum Cathedralis in funeribus eodem tit. & cap. n.*21. *&* 22., *ac super jure Decimarum tit.*4. *cap.*3. *num.*20.. *In reliquis verò cum jam fuerit provisum per Eminentissimum Episcopum*, *eadem Sacra Congregatio perpetuum imposuit silentium*, *& mandavit*, *quod reclamantes omnino acquiescant*; quæ resolutio approbata fuit a Sanctissimo Domino Nostro. Viden. folium *diei* 12. *Maii* 1764., quo

la-é facti series, & quæ tionum capita recensentur.

Hisce querelis sic imposito fine, nova inde quæstio exorta est, an ad contributionem expensarum litis actæ adversus Synodales Constitutiones, teneatur universus Clerus Sæcularis, ac Regularis, vel potius tantum ii, qui liti consenserunt, & ad eamdem agendam se obstrinxerunt. Judicium omne ad Sacram hanc Congregationem ablegatum est; nunc itaque quæritur, quinam ad expensas dictæ litis contribuere teneantur?

Inquiunt Canonici, ac Ecclesiastici Synodo adhærentes, tum tantum universum Clerum teneri ad contributionem, cum lis justa sit, & necessaria ad jura Ecclesiasticorum tuenda, quæ Synodus pervertisset, secus vero, quando lis promota fuit ex mera voluntate, vel ea injusta foret, & processerit ex spiritu contradicendi; nam hoc casu eos tantum teneri, qui litem moverunt, quique se subscripserunt in mandatis procuræ *Constantin. ad Stat. Urb. annotat. 59. num. 314.*, *Ceccop. lucubrat. Canon. lib. 4. tit. 13. tom. 2. num. 2.*, *Rot. coram Coccin. decis. 1911. num. 13.; & decis. 1111. num. 2. part. 6. Recent.*

Actam vero contra Synodum litem, totque factas expensas penitus voluntarias fuisse, cum nulla necessitas urgeret, ut Causa clamorosè in Sacra Congregatione proponeretur, & tantæ scripturæ, animadversiones, & replicationes cumularentur, ut jussu Sanctissimi novis imprimendis scriptis finis imponi debuerit. Injustam item fuisse, ac nonnisi spiritu æmulationis actam, cum nihil in Synodo cautum esset, quod ab aliis majoribus Synodis dissentiret: idque novisse Sacram Congregationem, quæ audacem interpositam appellationem, iteratasque emissas protestationes delendas mandavit, quæque singulis constitutionibus maturè consideratis, perpetuum reclamantibus imposuit silentium, reservata tantum cognitione particularium controversiarum, quæ inter Capitulum Cathedrale Viterbien., & Parochos vertebant.

Nonnisi proinde quam per injuriam nunc adigi velle universum Clerum ad tot inutiles, & injustas expensas, maxime quia major, ac etiam sanior pars Synodo adhæsit, eidemque parere libenter declaravit; plures etiam ex Ecclesiasticis in vindicanda Synodi justitia labores, vigilias, ac studium impenderunt: ac demum advertunt, id pessimi futurum esse exempli, quia ampla deinceps sterneretur via paucis refractariis injustè Synodales leges impugnandi expensis universi Cleri, licet in majori, vel saniori parte reluctantis. Ab altero Clero, qui Synodum impugnavit, nihil adhuc habuimus.

Emus Episcopus latè tuetur, eos tantum teneri ad expensarum contributionem, *qui expresso, scriptoque nomine liti jussionem, consensum, ac consilium præbuere*, ut ex ejusdem relatione, quæ inter monumenta Causæ habetur. Expen-

Expensarum litis contributio ab iis omnibus facienda est, ad quos ipsa lis pertinet, & cujus exitus æque interest, nam quod commune respicit bonum, communi pariter impensa est subeundum *cap. ut præt.* 45. *de elect.*, *Castren. in leg.* 2. *Cod. si plures in una sentent.*, *Rot. dec.* 402. *num.* 1. *coram Cavaler.*, *decis.* 78. *num.* 1. *coram Carillo*, præsertim si majoris partis consensu eadem lis acta fuit; Nam, ut inquit Scevola, *quod major pars Curiæ effecit, pro eo habetur, ac si omnes egerint l. quod major* 19. *ff. ad municip.*, vel ut ait Ulpianus *refertur ad universos, quod publice fit per majorem partem leg.* 160. *ff. de Reg. Jur.*

Idque locum obtinet, etiamsi minor pars expresse liti contradixerit, nam dolose agere videtur, qui vult utilitatem litis sentire, ejus autem sumptus non ferre *Gloss. in leg. apud antiquos Cod. de furt. leg. ut si quis §. Lubet ff. de relig.*, *& sumpt. funer. Larrea decis.* 88. *num.* 14., *& Rot. in Oxomen. contributionis* 17. *Martii* 1732. §. *Quandoquidem coram Calcagnino*; receptumque est etiam, ubi res est de lite acta nomine Universitatis contra aliquos de eadem Universitate. Omnes enim ad contributionem tenentur eodem prorsus modo, quo Civis cum Civitate litigans tenetur ad collectam impositam occasione eius litis, quæ Civitatis commodum respiciebat, quamvis duplici prægravetur onere, & uti actor, & uti Civis *Bartol.*, *& Bald. in leg. ab omnibus §. si Titio ff. de leg.* 1. *Card. de Luc. de judic. disc.* 39. *n.* 26., & in terminis litis actæ nomine cœtus Ecclesiastici *Rota in Majoricen contributionis* 2. *Decembris* 1729. *§. Methodice cor. Nunez*, *& in d. Oxomen. contributionis* 17. *Martii* 1732. *cor. Calcagnino*.

Perpendendum hinc, jure ne, an injuria lis contra Synodum acta fuerit: an interesset universi cœtus Ecclesiastici, ut ea institueretur ad propria jura, laudabilesque consuetudines servandas, ita ut ad bonum totius cœtus pertineret, & an ex ea ad universum cœtum redierit aliquod commodum, vel utilitas. Sacra Congregatio in una *Leodien. indulti* 28. *Augusti* 1751., qua major Canonicorum pars injuste litem instituerat contra Canonicum ex indulto abessentem, proposito. *An expensæ hujus litis detrahi debeant ex massa Capitulari, seu potius, An, & qui ad illas teneantur in casu*; respondit *Negative*, *& teneri Canonicos, qui litem moverunt*.

Singulis idcirco facti circumstantiis mature perpensis, placeat EE. PP. definire.

An, & qui teneantur contribuere expensis litis in casu &c.

FIRMANA. Cum Societas Sanctissimi Sacramenti erecta in Parochiali Ecclesia S. Michaelis Arcangeli Loci Montis Urani Firmanæ Diœcesis, facultatem petiisset retinendi *Sess.* 13. *cap.* 6. *de Reform.*

di Ven. Eucharistiæ Sacramentum in Ecclesia S. Salvatoris ad ipsam pertinente, restitit Præpositus ejusdem Parochialis, qui in supplici libello plura protulit, ut petitio hujusmodi rejiceretur. Re a Sanctissimo Domino N., cui preces oblatæ fuerant, S. Congregationi mandata cum Dubio respiciente facultatem retinendi Ven. Sacramentum, alia etiam adjungere oportuit, quibus quæritur de Societatis erectione, & de Sacris peragendis functionibus.

Exorditur disputatio ab Erectione, quam Præpositus, factam fuisse dicit in majori Altari suæ Parochialis Ecclesiæ, idque resultare ex vulgari, constantique opinione, & fama a duobus, & ultra sæculis perseverante, quam vim tituli habere sustinet *Paris. cons.* 104. *num.* 45., *Cujac. tom.* 6. *cart.* 39. *lit.B. edict. Neapol.*, *Rot. in Recen. part.* 9. *tom.*1. *decis.* 571. *num.*39. Id ipsum desumi contendit ex Bulla Sa. Me. Pauli IV. edita anno 1558., in controversiam non adducenda, quamvis illius Authographum inveniri non potuerit: Haberi præterea ex actis plurium Sacrarum Visitationum, & ex aggregatione societatis facta Ven. Archiconfraternitati Sanctissimi Sacramenti in Urbe erectæ in Ecclesia S. Mariæ supra Minervam, quæ quidem aggregatio post Constitutionem Urbani VIII. anno 1709., hortante Firmano Archiepiscopo, fuit renovata.

Hinc ad II. Dubium respiciens functiones, quæ fiunt a Societate, æquum esse affirmat, ut illæ privativè a Præposito peragantur, tum quia fieri solent in majori Altari suæ Parochialis Ecclesiæ, tum etiam quia id Statutum est a Sacra Rituum Congregatione die 10. Decembr. 1703., & ad hæc usque tempora observatum, ut ex Testibus colligitur.

Idem quoque sentiendum, ait, de functionibus in suo Oratorio a Societate inposterum peragendis, de quibus in III. Dubio ratio habetur; cum id non solum conforme sit consuetudini, & praxi ab immemorabili tempore servatæ, sed etiam qualitati ipsius Oratorii, quod filiale est Parochialis Ecclesiæ, & in solo Præposituræ constitutum *Pignattell. consult. Canon. tom.*6. *consult.* 68., *Rot. in Perusina Præeminentiarum* 2. *Decembris* 1711. *post Scarfanton. ad Cecc-p. part.* 2. *decis.*35.

De Indulto vero retinendi in eodem Oratorio Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, de quo agitur in IV. Dubio, animadvertit, Summum tantum Pontificem illud posse elargiri *cap. Tribus §. Tanta de consecrat. dist.* 2., *cap. Presbyter. ibid.*, nec nisi ex justa, & rationabili causa concedi solere *Card. Petra ad Constit. I. Urban. IV. num.*37.

In præsenti verò casu nullam adesse justam causam retinendi SSmum Sacramentum in Oratorio existente in parvo Castro, quod una cum Suburbio, & universo Territorio

pau

paucos comprehendit habitantes, quibus excipiendis par est Ecclesia Parochialis. Addit, Castrum cum suburbio, in quo situm est Oratorium, unum corpus, & unum locum constituere; Oratorium verò parum distare ab Ecclesia Parochiali, quæ in elegantissimam formam redacta est, sacris Suppellectilibus egregie instructa, & Ecclesiasticis obeundis functionibus apprimè accommodata, cui proindè maximo esset detrimento SSmæ Eucharistiæ asservatio in contermino Oratorio.

Plures è converso adesse causas Indultum denegandi, quas repetit ex indecora Oratorij forma, ex deficientia mansiunculæ adnexæ pro Sacerdote, qui custodiæ Sacramenti præsit; ex situ, ubi constitutum est Oratorium pluribus irreverentiis obnoxium; ex angustia denique, & paupertate Societatis, cujus reditus pares non sunt conducendis Capellano, Clericis, & Ministris, quos exigit Ecclesia, ubi Ven. Eucharistia veneratur.

Non inficiatur Præpositus, fuisse quandoque in eodem Oratorio Sacramentum asservatum, id tamen factum asserit ex necessitate, & eo tantum tempore, quo Parochialis Ecclesia reparabatur. Vanum tandem esse dicit timorem, nè Confratres assueta pietatis, & Religionis Officia prætermittant, si hujusmodi Jndultum non impetraverint; Observat enim, plures ex functionibus, quæ ab iisdem Confratribus peraguntur, deseri nequaquam posse, utpotè pertinentes ad Societatis institutum, alias verò non sine ipsius Societatis, & Confratrum utilitate expleri.

Diù Societas expectata est, nec quidquam ad sua tuenda jura huc usque exhibuit, quamvis præfixus eidem fuerit terminus ad illa deducendum. Superest itaque inquirere, quid pro recta dubiorum, quæ proponuntur, definitione, perpendere oporteat.

Notissima profectò sunt decreta Sac. Rituum Congregationis anno 1703. edita, & a sa. mem. Clemente XI. anno 1704. confirmata, ad coercendas controversias, quæ inter Parochos, & Confraternitates sæculares, eorumque Capellanos, & Officiales sæpissimè oriebantur. Inter cætera verò, hæc dubia ad rem præsentem, notatu digna habentur. I. *An Confraternitates Laicorum legitimè erectæ in Ecclesiis Parochialibus habeant dependentiam a Parocho, in explendis functionibus Ecclesiasticis non Parochialibus?* II. *An dictæ Confraternitates erectæ in Capellis, vel Oratoriis tum publicis, tum privatis, adnexis Parochialibus Ecclesiis, & ab eis dependentibus habeant, dictam dependentiam a Parocho quoad dictas functiones?* III. *An Confraternitates erectæ in aliis Ecclesiis publicis habeant quoad easdem functiones aliquam dependentiam a Parocho, intra cujus Parochiæ limites sitæ sunt Ecclesiæ?* IV. *An Confraternitates erectæ in Oratoriis tum publicis, tum privatis, sejunctis ab Ecclesiis Parochialibus, quoad dictas*

dictas functiones Ecclesiasticas habeant dictam dependentiam a Parocho?

Ad hæc autem Sacra Congregatio respondit : *Ad* I. *Affirmativè* . *Ad* II. *Affirmativè*, *Ad* III. *Negativè* . *Ad* IV. *Negativè* . Nec prætereundum est , Cardinalem Colloredum in eadem Congregatione Causæ relatorem , suo Suffragio expendisse , congruum fore , ut Sæcularium Societates in Parochialibus Ecclesiis institutæ , vel quæ Parochiæ junguntur , Parocho subiiciantur , quoad exercitium functionum, etiamsi Parochiales non sint , *non solum ob jus Parochiale , sed etiam ob dominium , primatum , & regimen , quod Parochus , & quilibet alius Rector obtinet in sua Ecclesia , & Universis ipsius partibus : Quare sodalitia Parochialibus Ecclesiis addicta eamdem Parocho observantiam persolvere debent , quæ requiritur ab iis , qui in alienis ædibus immorantur* , ut refert Benedict. XIV. *Instit.*105. §.7.

Quo verò ad facultatem retinendi SSmum Eucharistiæ Sacramentum in Ecclesiis non Parochialibus , compertum est , eam non nisi a Summo Pontifice concedi , quando justa , & rationabilis causa concurrat . Qua de re Card. Petra *ad Constit.* I. *Urbani* IV. *num.* 37. hæc habet = *In hujusmodi licentiis concedendis solet Sacra Congregatio Concilii , ad quam hujusmodi supplices libelli a Summo Pontifice remittuntur , cautè perpendere , ut nunquam eas concedat , prout nec in Capellis, præsertim ruralibus , nedum ob metum facilis irreverentiæ , verum etiam quia tantum Sacramentum dedecet in loco minus solemniori asservari , quamvis si distet a Parochiali , & alia concurrant necessaria pro manutentione soleat annuere* . Atque hæc adeo vera esse dicit , ut pluries Sac. Congregatio decreverit , *quod Parochi nequeant retinere Sanctissimum in Ecclesiis ruralibus , ad quas accedunt ad celebrandum diebus festis , & non posse retinere in Capellis , & aliis Ecclesiis intra fines Parochiæ* , quemadmodum refert idem Card. Petra *loc. citat. n.*30.

Inquirendum est itaque , an in casu , de quo agitur, justæ concurrant , ac rationabiles Causæ Indultum concedendi ; an insuper metus esse possit facilis irreverentiæ ; an demum Oratorium,tanquam solemnior locus haberi possit , itaut tantum deceat Sacramentum ibidem retineri .

Emus Archiepiscopus rogatus primùm de sua Sententia super precibus Confratrum Societatis , hæc habet = *Castrum Montis Urani , quod mille , & septingentos homines continet , unicam Ecclesiam habet Parochialem , eamque non amplioris equidem magnitudinis . Extat autem in ea parte , quæ præ cæteris colitur , habitaturque frequentissimè altera Ecclesia elegantioris formæ , quæ ad Societatem SSmi Sacramenti pertinet . Cum verò id oneris habeat Societas , ut Sacramentum comitari , mortuosque Sepultura donare teneatur , dum Sacram agerem visitationem Parochus conquestus est , utrumque munus ab ipsa*

ipsa Societate non sine gravi Christianæ pietatis detrimento prætermitti. Fratres contra in eadem Societate remanere constantissimè recusabant, nisi in ipsorum Ecclesia Sacramenti retinendi facultatem impetrassent. Motus igitur his de causis Fratrum votis annuendum existimavi, permisique, ut ad annum possent Sacramentum retinere. Verum id ægro animo tulit Parochus, ac statim petiit, ne perpetua ipsis hujusmodi potestas fieret, quasi ex hoc sua jura violarentur. Certe id minus æquum cuilibet rem serio perpendenti videri debet, & aliundè non immeritò timendum est, ne spe frustrata Societas, comitandi Sacramenti, mortuorumque Sepeliendorum pia munera omninò deserat. Hinc arbitror, facultatem, de qua in adnexo supplici libello fit mentio, concedendam esse. Deindè iterum requisitus super iis, quæ ad impugnandum petitum a Societate Indultum Præpositus exposuerat, confirmat timorem, ne Confratres pia pietatis, & Christianæ Religionis munera derelinquant. Addit. Sacramentum non de novo, sed ab annis jam triginta, eoque amplius in Ecclesia SSmi Salvatoris asservari consuevisse, seseque judicio EE. VV. remittit, prout ex ejus relatione, quæ in Summario Præpositi fusius transcribitur.

His igitur ita se habentibus, quid facto opus sit viderint Emi PP., quibus definiendum proponitur.

I. *An constet de legitima erectione Societatis SSmi Sacramenti in Altari Majori Ecclesiæ Prepositurális S. Michaelis Arcangeli Montis Urani in casu &c.*

II. *An jus peragendi omnes functiones pertinentes ad Societatem privativè spectet ad Præpositum in casu &c.*

III. *An per ipsum Præpositum juxta solitum sint inposterum peragendæ aedem Sacræ Actiones in Oratorio dictæ Societatis, etiam uti Ecclesiæ filialis Præposituræ in casu &c.*

IV. *An sit concedendum Indultum Oratorio dictæ Societatis retinendi SSmum Sacramentum in casu &c.*

CAMERINEN. RESTAURATIONIS. Injuria temporis ruinam minitante Ecclesia Parochiali S. Gregorii Oppidi S. Genesii, Episcopus Sacram agens visitationem die 31. Augusti 1765. hoc edidit Decretum: *mandavit exhiberi per D. Priorem statum redituum Parochialis, quo viso cum Ordinarii reditus non excedant, non deductis oneribus, scuta 70., & onera ad scuta 42. ascendant, congregari jussit Parochianos prævia intimatione facienda &c. eligi duos deputatos pro repartimento complendo summæ necessariæ juxta Peri-* *Sess. 21. cap. 7. de Reform.*

tiam

tiam &c. exigi repartitas summas manu Regia, & more Camerali &c., & interim onera Missarum donec fabrica compleatur, adimpleri mandavit in Ecclesia viciniori S. Thomæ, ad quam transferri mandavit etiam SS. Eucharistiæ Sacramentum.

De hoc decreto conquesti sunt apud hanc Sac. Congregationem Parochiani, datisque die 31. Maii 1766. Episcopo litteris pro informatione, & voto, is spretis Parochianorum protestationibus Cancellarium suum in d. Oppidum misit ad explorandum reditus, & onera Ecclesiæ, & ex ejus relatione habetur, deductis oneribus, vix superesse annua scuta 30. 98. pro congrua Parochi. Nunc itaque quæritur de vi Episcopalis decreti in Sacra visitatione lati, additurque disputatio de reparatione etiam domus Parochialis.

Ad I. inquiunt Parochiani, primarium restaurationis onus incumbere Parocho, seu Rectori *Conc. Trid. sess.* 21. *cap.* 7. *de Ref.* Præscripto juris consonam esse inveteratam, & perennem consuetudinem, juxta quam tum Rectores S. Gregorii annis 1598. 1599., & 1612., tum Parochi aliarum Parochialium, semper proprio ære Ecclesias instaurarunt. Nefas ideo esse a tam clara juris dispositione, & a diuturna, ac universali consuetudine recedere *Barbos. de Paroch. part.* 1. *cap.* 13. *Card. de Luc. in miscell. lib.* 14. *disc.* 29. *n.* 3.

Nec obesse collationem annis 1723., & 1747. a Parochianis factam in reparationem Ecclesiæ. Id enim ipsos sponte, ac liberaliter fecisse: numquam invitos fuisse juridicis remediis, vel manu regia adactos: nullam proinde ex ea liberali contributione ortam fuisse consuetudinem, qua onus Parochi proprium in Parochianos fuerit translatum *Frances de Eccles. Cathed. cap.* 13. *num.* 10. *Thomat. dec.* 5. *n.* 15., & *Rot. rec. dec.* 184. *part.* 17. *n.* 20.

Perperam vero excipi de redituum Parochialium tenuitate. Ajunt enim, de ea non constare. Redituum statum a Cancellario confectum undique violentum, & attentatum fuisse in spretum pendentiæ litis in hac Sac. Congregatione: In eo non integros census describi, non omnes bonorum rusticorum fructus recenseri: omitti compendium animalium, omniaque emolumenta Parochialia incerta de jure recensenda *Card. de Luc. de Paroch. disc.* 18. *n.* 12. ac demum a statu activo perperam detrahi eleemosynam Missarum pro populo *Fagnan. in lib.* 3. *decret. de sepult. cap.* 3. *num.* 93.

Asserunt, Parochum abundis imò reditibus esse ditatum, nulloque proinde jure eximi posse ab onere restaurationis, ad quam tum ex juris communis dispositione, tum ex perenni observantia tenetur; recteque nunc cogendum esse ad integram Ecclesiæ restaurationem: Præsertim quia Ecclesia non, nisi per diutinam, ac supinam ipsius negligentiam in tam pessimum statum redacta est *Bero. cons.* 3. *num.* 10.

*num.*10. *tom.* 1., *Amostaz de caus. piis lib.* 3. *tom.* 2. *cap.* 6. *num.*28., *Constant. in Vot. decis.* 251. *num.* 9. *tom.* 2.. Cæterum advertunt, Parochianos maxima paupertate premi, unde nec in subsidium cogi posse ad onus restaurationis ferendum *Amostaz de caus. piis lib.* 5. *cap.*6. *num.*30.

Hinc ad secundum concludunt, eodem jure teneri Rectorem ad Domus Parochialis sarcitionem *Bellet. disquis. cleric. part.* 1. *de Cleric. debit.* §.14. *num.*9. *Barbos. de Paroch. part.*1. *cap.*13. *num.*12.;adduntque nullam in Sacra Visitatione habitam fuisse rationem de hac Domus Parochialis restauratione, nullibique probari,eamdem egere reparatione.

Contra Rector inquit, anteactis temporibus restaurationis onus agnitum fuisse proprium a Parochianis, ipsosque ære proprio illud implevisse annis præsertim 1723.,&1747.; id ipsum servari in aliis Ecclesiis Parochialibus ejusdem Oppidi: tam diutinæ proinde, ac universali consuetudini standum esse *Pignat. cons.* 126. *num.* 8. *tom.* 10., *Constant. vot. decis.* 251. *num.* 6.: nec id grave esse debere ipsis Parochianis, qui exempti sunt a quolibet decimarum onere sive prædialium, sivè Sacramentalium, *cap. fin. de Paroch.*, *Petra ad const.* 6. *Honorii III. tom.* 2. *n.*10.

Frustra vero opponi, repartitiones annorum 1723., & 1747. non fuisse executas, ac nonnisi aliquos ex Parochianis sponte eas implevisse: Id siquidem proponi tantum a testibus Parochianis, qui in causa propria fidem non merentur *Rot. in rec. dec.* 671. *n.*25. *part.*18., eosdemque de aperto mendacio convinci tum ex aliis testibus affirmantibus, tum ex coactis solutionibus factis in vim mandatorum, & Manus Regiæ relaxatorum.

Addit, Parochiales reditus vix ascendere ad annua scuta 30. 98.,idque probat tum ex testimonio Episcopi,tum ex diligenti, & accurato statu per Cancellarium efformato: Ob tantam itaque redituum tenuitatem congruæ sustentationi longe imparem, nullo jure cogi posse Parochum ad Ecclesiæ restaurationem, sed adigendos esse Parochianos, qui in ea Sacramenta percipiunt *Surd. cons.* 62. *n.* 19., *Sperel. dec.* 67. *num.*8., *Thomat. decis.* 5. *num.*7., & 10., spretis penitus antiquioribus instaurationibus ann. 1598.,1599., & 1612., cum hæ non a Rectoribus ære proprio, sed ex reditibus, ac bonis Ecclesiæ fuerint expletæ.

Demum de mendacio, errore, ac ignorantia notat Testes omnes, qui diligentem redituum Parochialium statum a Cancellario in re præsenti, ac omnia ponderante efformatum redarguere student, concluditque Parochianos tum ex juris censura, tum ex perenni, & universali consuetudine cogendos esse ad reparandum tum Ecclesiam, tum etiam Domum Parochialem, & ipsam ruinosam, cum idem de Ecclesia, ac de domo Parochiali semper esse debeat judicium *Pignatel consult.* 126. *n.*10. *tom.*10.

De Ecclesiis Parochialibus restaurandis, ac reficiendis Sancta Synodus hæc habet: *Parochiales vero Ecclesias, etsì jurispatronatus sint, ita collapsas, refici, & instaurari procurent ex fructibus, & proventibus quibuscumque ad easdem Ecclesias quomodocumque pertinentibus: qui si non fuerint sufficientes, omnes patronos, & alios, qui fructus aliquos ex dictis Ecclesiis provenientes percipiant, aut in illorum defectum parochianos omnibus remediis opportunis ad prædicta cogant, quacumque appellatione, exemptione, & contradictione remota. Quod si nimia egestate omnes laborent, ad Matrices, seu viciniores Ecclesias transferantur cum facultate tam dictas Parochiales, quam alias Ecclesias dirutas in prophanos usus non sordidos, erecta tamen ibi cruce convertendi. sess.* 21. *cap.*7. *de Ref.*

Tota hinc inspectio ex facto pendet, an vere desint Ecclesiæ reditus, & impares sint Parochiæ fructus, ita ut subsidiariæ Parochianorum contributioni locus esse debeat: vel saltem an talis probata sit consuetudo, vi cujus absque ulteriori indagine statim Parochiani cogi possint. Amplissima utrinque monumenta adducuntur, assueta ideo perspicacia, ac prudentia iis omnibus mature perpensis dignentur EE. PP. definire.

I. *An decretum Episcopi in Sacra Visitatione latum sit exequendum in casu &c.*

II. *An Domus Parochialis S. Gregorii Oppidi S. Genesii sit reficienda, & restauranda sumptibus Parochianorum in casu &c.*

F I N I S.

INDEX
CONCLUSIONUM
Quæ adnotatæ fuerunt in foliis Causarum anni 1768.

A

B

C

Capet-

D

E

Ne-

F

G

H

Hære-

I

L

M

Ter-

N

O

Pro-

Q

R

S

F I N I S.



INDEX
RESOLUTIONUM
Quæ prodierunt in Causis in Sac. Congregatione Concilii propositis anno 1768.

A

B

C

D

E

I

L

M

N

O

P

V

FINIS.

